Germania
Sacra

Eichhorn
Episcopatus Curi-
ensis
1797

Q9
12



GERMANIA SACRA

IN

PROVINCIAS ECCLESIASTICAS

ET

DIOECESES


DISTRIBUTA.

EPISCOPATUS
CURIENSIS
IN RHÆTIA
SUB
METROPOLI
MOGUNTINA
CHRONOLOGICE AC DIPLOMATICE
ILLUSTRATUS

OPERA ET STUDIO
P. AMBROSII EICHHORN
PRESBYTERI
CONGREGATIONIS S. BLASII.

CUM PERMISSIONE SUPERIORUM.

TYPIS SAN-BLASIANIS 1797.





AD ERUDITOS.

Vix ullus in Germania episcopatus est, de quo tam pauca, uti de Curiensi historici ſcripserint; rara eius occurrit in vastissimis voluminibus mentio, et in recentioribus diplomatum collectionibus vix paulo frequentior. Maximam proin historiæ, quam ſistimus, partem ex monumentis nondum editis hausimus, quæ tum autographa vidimus ipsi, tum apographa ab aliis accepimus.

Verum tantum abest, ut cuncta lustraverimus, ut plura fors ſupersint, quæ nos latent. Præterea non pauca omisimus, quibus recensendis et operæ vix pretium, et orbi litterario nihil commodi nos adferre posse putabamus. Attamen ubi præstantiora deerant, nec viliora ſprevimus; hinc accidit, ut de multis præsulibus præter emtiones aliaque pacta, inscriptaque chartis nomina ieiuno labore vix quidpiam referamus. Sæpe ex monumentis tantum commata quædam excerpsimus, ſæpius ſolum, ubi habeantur, in citationibus indicavimus, ea præsertim, quæ typo vel indigna, vel certe eidem

minus commoda videbantur. Plurima interierunt, vel tumultuum tempore in profanas manus devenerunt, quæ fruſtra quæsiveris. Selectiora damus in *Codice probationum*, qui, pauca si exceperis, ex ſolis ineditis conſtat; ab aliis edita in operis decurſu monſtramus. Res politicas nonniſi coacti tangimus, vel ubi ſacris, quod frequenter fit, caremus.

Cæterum eodem prorſus ordine uſi ſumus, quem *P. Aemilianus Uſſermann* in episcopatu Wirceburgenſi præfixit, quamvis ob eccleſiarum collegiatarum defectum parte altera facile ſuperſedere potuiſſemus. Errores, qui præter mentem ad alia vocationis negotia intentam irrepſerunt, lectores eo libentius condonabunt, quod opus hoc nonniſi horis ſubſecivis compilaverimus, id maximopere curantes, ne quid iuris læderemus. Lacunas et defectus iucundo labore ſupplebunt Rhætiæ eruditi, ſi forte ad concinnandam *Rhætiam diplomaticam* animos adplicuerint.

ORDO
HUIUS TOMI.

PROLEGOMENA
SEU
DISSERTATIONES PRÆVIÆ.

I. De regione Rhætiæ.

II. De fidei christianæ in Rhætia origine et progreſſu ſec. I. et II. ubi de S. Lucio.

III. De ſtatu religionis in Rhætia ſec. III. et IV.

IV. De episcopatus Curienſis origine et fatis.

V. Episcopatus Curienſis termini ac partes.

PARS I.
ANNALES
EPISCOPORUM CURIENSIUM.

PARS II.
STATUS ECCLESIASTICUS
SECULARIS
EPISCOPATUS CURIENSIS.

Cap. I. Eccleſia cathedralis Curienſis, cum ſuis præpoſitis et decanis.

Cap. II. Eccleſia collegiata S. Victoris.

Cap. III. Equites hoſpitalis S. Ioannis in Feldkirch.

PARS III.
STATUS ECCLESIASTICUS
REGULARIS
EPISCOPATUS CURIENSIS.

SECTIO I.
ABBATIÆ VIRORUM.

Cap. I. Monaſterium principale Deſertinenſe ord. S. Benedicti.

Cap. II. Monasterium principale Fabariense ord. S. Benedicti.

Cap. III. Monasterium Mariæmontanum ord. S. Benedicti.

Cap. IV. Monasterium S. Lucii ord. Præmonstratensis.

SECTIO II.

ABBATIÆ VIRGINUM.

Cap. I. Schœnis principale monast.

Cap. II. Catz.

Cap. III. Monasterium S. Io. Baptistæ.

SECTIO III.

MONASTERIA MINORA.

CAPUT I.

MONASTERIA MINORA VIRORUM.

Num. I. Churwalden.

Num. II. Cœnobium S. Iacobi.

Num. III. Schnals.

Num. IV. Cœnobium S. Nicolai Curiæ.

Num. V. Mons S. Victoris.

Num. VI. Mons S. Iosephi.

Num. VII. Cœnobia Capucinorum.

CAPUT II.

COENOBIA MINORA VIRGINUM.

Num. I. Valdona.

Num. II. Altenstadt.

Num. III. S. Petri Bludenti.

Num. IV. Wesen.

Num. V. Sion.

Num. VI. Parthenia ſublata.

PROLE-

PROLEGOMENA
SEU
DISSERTATIONES PRÆVIÆ
IN HISTORIAM
EPISCOPATUS CURIENSIS
IN RHÆTIA,
QUIBUS STATUS RELIGIONIS
APUD RHÆTOS
PRIMIS QUATUOR SECULIS A CHRISTO NATO
EXPENDITUR.

DISSERTATIO I.
De regione Rhætiæ.

ARGUMENTA.

I. Rhætiæ alpeſtris ſitus et nomen. II. Primi eius incolæ. III. Ambitus. IV. Appellatio poſterior.

I. Hiſtoriam Rhætiæ ſacram lecturis nil ingrati me facturum arbitror, ſi quænam ipſius regionis prima facies, quæ nomenclationis ratio, quinam primi eius incolæ, amplitudo ac termini fuerint, ſtrictim ob oculos ponam; magnam ſiquidem rerum geſtarum partem habemus, quum, ubi geſtum unumquodque ſit, non ignoramus.

Fuit igitur omni tempore Rhætia, de qua hic ſermo, ille alpium tractus, qui ſupra lacum Comenſem Italos Helvetioſque diſterminat; unde eidem *Alpeſtris* vel *Alpinæ* cognomen adhæſit. Eſt ea iugis Helveticis iuncta altiſſima

Europæ regio, et fluviorum maxime celebrium fœcunda mater, quos in omnem mundi plagam effundit: Rhenum quidem in ſeptemtrionem, in meridiem Ticinum, versus occidentem Rhodanum, Arulam et Ursam, ad ortum demum ſolis Oenum. Cæterum eidem tot natura dedit propugnacula, quot montes, quorum apices perpetua vix non glacie rigent, radices vero plurimis in plagis omnium rerum copia ſuperbiunt. Rhætia porro famoſum ſuum nomen traxisse dicitur a Rhæto Thuscorum regulo, qui ultra 500. ante Christum natum annos a Bellovoiso Celta ex Italia pulsus, cum opulentissimis quibusque incolis inter Alpes haud procul a Rheni ſcaturigine, patria relicta, se receperit, ut rem fusius narrat Fortunatus Sprecherus a Berneck *a*); nec non Aegidius Tschudius in Rhætiæ Alpinæ descriptione *b*). Ratione vero ſitus Rhætias quasi retia vel ſepes dixeris, prout intellexit ſeculo V. Theodoricus Gothorum rex apud Cassiodorum *c*), Rhætias vocans *Italiæ munimina, et claustra provinciæ, quæ velut plagarum obstacula contra feras gentes disponuntur.*

II. Livii, Strabonis, Plinii aliorumque testimoniis indubitata res est, Rhætos origine Thuscos esse, a Gallis patria pulsos; imo non infimæ fortis homines fuisse transfugas istos, ſed nobiles ac magnates. Titi quidem Livii clarissima ſententia est ſic ſcribentis *d*): *Alpinis quoque ea* (Thuscorum regio) *gentibus haud dubie origo est, maxime* Rhætis; *quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter ſonum linguæ, nec eum incorruptum retinerent.* Idem testatur Iustinus *e*): Dissensionum tædio *Galli cum in Italiam venissent, ſedibus Thuscos expulerunt.* Pulsi vero primas ſedes fixisse videntur iuxta Rhenum, ubi Rhætium castrum, vulgo *Rhætzuns*, et Rhætia alta, *Realt*, nec non Tusis ſeu Tusciana, in Domestica valle pagus, nomen ſuum a Thuscia patrio olim *Rhæti* ſolo verosimiliter ſortitus. In dextrum quoque Rheni litus effusi omnia illa incoluisse loca videntur, quæ Itala ſeu Thusca appellatione gaudent, atque ubi hodiedum incolæ idiomate Italico, quamvis horrendum corrupto, *Churwälsch*, utuntur. Successu temporis valles vicinas occupaverunt, Clavennam, Prægalliam, Mesaucum, Ursellam replentes; imo ad Oeni fontes progressi, illi se regioni immiserunt, quæ Engadina hodie et vallis Venusta nuncupatur; in illa certe proprium populo, et cæteris Europæis inusitatum idioma viget, quod ſecum Thusci ex Italia advexerant, regionis morumque barbarie postea corruptum.

a) Pallas Rhætica Lib. I. *b*) Schardi T. I. p. 519. *c*) Variar. L. VII. form. IV. p. 104. *d*) Lib. V. c. 33. *e*) Lib. 20. c. 5.

Neque tamen existimandum est, profugas illos omnium mortalium primos Rhætiam incoluisse; multa ex adverso inveniuntur Gallorum antiquorum, ſeu Celtarum vestigia in Alpibus. Sic ad Rheni Rhodanique fontes consederat iam dudum Lepontiorum antiquissima gens *a*); plurima quoque castella, et pagi multi germanico nomine insignes inter ipsos Rhætos primigenios claruerunt, uti in valle Domestica *Erenfels*, *Baldenstein*, *Ortenstein* aliaque: prope Ilantium *Castelberg*, *Frauenberg*, ut cætera omittam. In tota ferme Rhætia omnia commixta ſunt Italis Germanicisque usibus. In quavis vix non regione, ubi et locorum nomina et incolarum idioma italica ſunt, loca quædam invenies, qui germanica nomenclatione gaudent, ſicque vicissim; quod argumento esse potest, antiquitus et ante Thuscos, et cum Thuscis Alpes incoluisse Germanos. Quamquam factum ſit, ut posteriori etiam tempore et Germani et Itali inter Alpes delitescere cœperint.

III. Rhætica natio tam natura quam barbaro ſolo ferox bellis pedetentim magis adsuescere cœpit, nec diu distulit armorum ope ditiones ſuas augere, ſtructis undique innumeris ferme castellis, quæ nobilitati Rhæticæ, ea vero ſat numerosa ſemper fuit, postmodum dedere nomen, idque vel Rhæticum, si a Thuscis advenis, vel Germanicum, si a Celtis castra extructa fuerunt. Inde promanarunt nobilissimæ familiæ de Monteforti, Rhætio, Bellomonte, Monte alto, Vatio, Sacco, Amisio, Trimontibus, Plana terra, et complures aliæ, quas in numerum cogere tentavit Gulerus *b*). Inde quoque ortum trahunt Germanici Nobiles de *Ehrenfels*, *Baldenstein*, *Ortenstein*, *Schauenstein*, *Walterspurg*, *Werdenberg*, *Bernang*, *Blumenegg:* taceo innumeros.

Propagarunt igitur ditionem ſuam in omnem plagam, partim armis, partim consuetudine vivendi cum accolis. Ultra Alpes quidem se extenderunt ad Comum usque, Veronam et Tridentum urbes: versus Vindelicios vero per utramque Rheni ripam ad lacum Podamicum et Brigantium oppidum, uti famosa testantur castra Monsfortis et Amisum excelsum a Rhætis prognata. In ſinistro quidem latere Rheni perpauca occurrunt loca Rhætica, exceptis quibusdam in tractu Werdenbergico pagis *Sevola*, *Campso*, arce item *Sacco*, et paulo inferius est *Monticulus;* id quod evincit pauciores Rhætos in illa regione Rhenum transiisse, licet quædam loca ſint, quibus ex utroque idiomate adsignatum nomen, v. g. *Scalberg*. Neque enim Rhenanæ vallis incolæ se promis-

a) Sprecher p. 7. Tschud. apud Schard. l. c. p. 563. *b*) Guler. Rhætia f. 8.

cue patria pelli abs Rhætis paſsi fuiſſent, ſiquidem hi ſimile quid attentaſſent. Verum longe maiore numero Helvetiæ partem inundarunt ſurripueruntque. Quum enim Helvetii temerario auſu relictis terris ſuis, domibusque vulcano traditis Galliam occupare conarentur, atque a Iulio Cæsare, paucis ſervatis, interficerentur; Rhæti occaſione utendum rati, atque ex Alpibus in ſubiectam planitiem effuſi, eam usque ad lacum Rivanum et Limagum fluvium nemine reſiſtente ſuam fecerunt, erant namque ut locorum aſperitate feri, ſic prædii pinguioris avidi.

Rem egregie dillucidat Aeg. Tschudius *a*) ex ipsorummet locorum nominibus: lacus Ripanus, rhætice Rivanus inde dictus illi videtur, quod fuerit quaſi ripa vel terminus ditionum Rhæticæ et Helveticæ; oppidum vero *Wallenſtat* a *Wallen*, ſeu *Walchen* (ſic quippe audiebant Rhæti apud Germanos propter linguam) ita adpellatum adſerit, quaſi Rhætorum urbem dixeris. Aſt Rhæti necdum contenti pedetentim ditionem ſuam protraxerunt vix non ad ipsum lacum Tigurinum; ubi regio illa, quæ ad Limagi ripam orientalem est, hodiedum Caſtra Rhætica (Gaſtern) vocatur; ibi enim adverſus Helvetios Rhæti tutabantur ſeſe. Ex adverſo regioni trans Limagum est *Marchia* nomen, ſeu Helveticæ ditionis antiquus limes. Hæcque Rhætiæ Alpeſtris amplitudo, quando in Romanorum potestatem devenit, inque imperii provinciam redacta est, Rhætiæ primæ poſtmodum inſignita vocabulo, quamquam longius ſub hoc nomine ſe extenderit.

Erant ſemper Rhæti viri admodum truces et bellicosi, qui Strabone teste *b*) *finitimas Italiæ partes omni tempore, et Helvetiorum et Sequanorum et Boiorum et Germanorum incurſabant.* Quumque eorum proceres latrocinio ut plurimum vivere adsueſſent, tranſitumque per Alpes reddidiſſent periculoſum; compeſciti tandem a Tiberio et Druſo fratribus fuerunt, incolis maximam partem alio abductis anno ante Christum natum decimo tertio. Quomodo geſtum hoc bellum ſit, dicere meum non est: legat id, qui velit, apud antiquos Strabonem, ac Dionem Caſsium, et recentiores Tschudium, Gulerum, alios.

IV. Varia dehinc ſec. VIII. et ſequentibus huius regionis nomenclatio fuit: in diplomatibus plerumque dicitur *Curowalohan*, *Curwalen*, *Curwalchen* *c*)

a) Loc. cit. c. 7. *b*) Lib. 4. *c*) Cod. prob. N. V. X. etc.

quaſi Italiam Curienſem adpellares; Itali enim Germanis vocabantur *Wallen*, *Walchen*, *Wälschen*, Rhæti ergo ab urbe Curienſi *Churwälschen*, *Curwalenses*. Latine ſcribebatur *Retia Curiensis*, ut hac ratione a reliqua Rhætia, præſertim ea, quæ olim ſecunda fuit, diſtingueretur. Poſtquam vero in rempublicam coaluit, a tribus Ligis modernum nomen hauſit, quarum prior eſt Liga Griſea ſeu ſuperior, unde communiter Griſones *die Graubünder* appellari ſolent; altera Liga domus Dei a templo cathedrali nomen ſortita eſt; tertia demum decem Iudiciorum dicitur. Triplici huic Ligæ, ſeu fœderi accenſentur ſic dicti quatuor pagi prope Curiam, nec non Clavenna, vallis Telina, Bormium.

Sufficiat propoſito generalis hæc qualiscunque de ipſa regione notitia. Nunc quæ fidei chriſtianæ in ea origo, quæ fata fuerint, brevi æque ac fideli calamo explicabo.

DISSERTATIO II.

De fidei chriſtianæ in Rhætia origine et progreſſu ſecul. I. et II.

ARGUMENTA.

V. Religio chriſtiana ſecul. I. Rhætis non ignota. VI. S. Hermagoræ prædicatio. VII. Religio nondum ſtabilis. VIII. Italicus comes perſecutor. IX. S. Lucius Rhætiæ apoſtolus. X. Quis fuerit? XI. S. Emerita illius ſoror.

V. Quamvis nulla ſuperſint ſynchronæ vetuſtatis monumenta, quibus edoceamur, quo tempore, quove modo chriſtiana lux in Rhætis alpibus primum effulſerit; plurima tamen ſunt, quæ nos convincere debent, evangelii quasdam ſcintillas haud longo poſt Chriſtum paſſum tempore in Rhætia quoque reſplenduiſſe. Apoſtoli namque ac cæteri Servatoris noſtri diſcipuli ſpiritu divino ditati nihil habuere antiquius, quam Chriſti doctrinam, quaquaverſum poſſent, per orbem univerſum ſpargere, omnesque mortales Chriſto lucrifacere. Vix aliqua ab aſcenſione Domini luſtra effluxerant, quum in omnem terram eorum ſonus exiret, Italia, Illyricum, Galliæ cis- et trans alpina, Noricum, Panno-

niæ, quin ipsius Germaniæ pars aliqua primo ſtatim ſeculo evangelica prædicatione velut orto ſole collustratæ fuerunt: num Alpes, regionum istarum quasi meditullium in media luce tenebris obsitæ manserint? Non quidem adsentior Pruggero, qui in ſua descriptione Velcuriana *a*) contendere audet, ipsummet S. Petrum apostolorum principem anno 51. a Christo nato *Faniæ*, id erat antiquum Velcuriæ nomen, fidem prædicasse, quamquam urbs ista *Campus S. Petri*, indeque *Feldkirch* dicta fuerit. Nullus autem dubito, quin S. Petro adhuc ſuperstite et auctore christianum nomen Rhætis notum fuerit.

Famosi ſunt apud historiographos S. Prosdocimi in Feltria pro evangelio labores, S. Iovini apud Tridentinos, S. Syri Papiæ, S. Eventii Brixiæ, et aliorum alibi, de quibus inter alios agunt Ughellus *b*) et Hansizius *c*). Quid? quod ipse evangelista S. Lucas, et S. Crescens ambo S. Pauli discipuli Epiphanio teste fidem Gallis annuntiaverint. En ipsa S. Epiphanii verba *d*): *Huic igitur* Lucæ *prædicandi Evangelii munus est creditum, idque ipse primum in Dalmatia*, GALLIA, *Italia*, *Macedonia præstitit*, *ſed in* GALLIA *præ ceteris; ut de nonnullis comitibus ſuis Paulus in epistolis testatur:* CRESCENS, *inquit*, *in* GALLIA. *Non enim*, *in Galatia*, *legendum est*, *ut quibusdam immerito placuit*, *ſed in* GALLIA. Quascunque nunc regiones ſub Galliæ vocabulo intelligas, Alpibus si non contiguæ eædem, plurimum ſaltem erant vicinæ. Fieri igitur non potuit, quin primo iam ſeculo christianæ veritatis notitia aliqua Rhætiam Alpestrem pervaserit. Imo si eo tempore evangelium Italiam ſolam fœcundasset; nihilominus illud Alpes etiam penetrasse dicendum foret: fuit enim ſemper Rhætia non ſolum vicinissima Italiæ, et iam ante Christum natum Romano pervia militi, eiusdemque ſedes; ſed etiam profugorum ex Italia asylum. Plures, ſiquid ſapio, fuerunt, qui quum in patrio ſolo per fas aut nefas opprimerentur, antiquos Thuscos imitati, refugium et ſecuritatem in Rhætia quæsiverunt: perfacile adducor, ut credam, ſub Nerone et Domitiano fidei christianæ persecutoribus nonnullos fideles patria relicta in montibus abdidisse ſemet, ut persecutionis furorem evaderent; qua ratione religionem iis, a quibus ſuscipiebantur, vel persuaserunt, vel ſua ſaltem morum ſanctitate ſpectabilem reddiderunt. Sed quemadmodum latere desiderabant, ſic etiam nihil de iis compertum habetur.

a) Pag. 3. *b*) Ital. Sac. T. I. in episc. Papiens. *c*) Germ. Sac. T. I. p. 10. ſeq.
d) Hæres. 31. vel 51. n. 11. edit. Paris. T. I. p. 433.

VI. Cæterum neminem arbitror fore, qui S. Hermagoræ apud Aquileiam, et S. Barnabæ apud Insubres apostolicos labores penitus vocare in dubium auſit, vel qui S. Apollinarem Petri discipulum Ravennatibus prædicasse neget: persuasum omnibus puto, regionem trans- et cispadanam ſeculo primo in tantum fuisse christianam, ut etiam Christo martyres dederit, qua de re consuli potest Ughellus *a*), qui iuxta Gulerum testatur *b*), S. Hermagoram Rhætiæ confinia lustrasse vel ipsum, vel fidos illuc misisse discipulos: certe prædicasse creditur Venetiis, nec non in Flaminia, Liguria et Aemilia, quibus peragratis in Rhætiæ partes venit, atque in valle Telina fidei ſemina ſparsit, id quod ſub Nerone contigit. Italiæ ſacræ auctor vix non indubitatum reddit, ecclesiam Comensem Curiensi contiguam ab eodem S. Hermagora fundatam esse, illiusque urbis incolas in fide institutos; cuius quidem adserti ea est ratio, quod Comensis episcopus ſuffraganeis Aquileiensibus adnumeratus, et Aquileiam tanquam matrem veneratus fuerit. Ratio hæc, ſiqua tamen ſit, non minus pro ecclesia Curiensi militat, quæ antiquitus, ut infra palam fiet, Mediolanensi ſubiecta metropoli fuit, ubi S. Barnabas fidei primus præco agnoscitur ab omnibus. Fieri proinde potuit, ut idem beneficium Rhætis a Barnaba, quod Comensibus abs Hermagora, indultum ſit; quamquam ad ſtabiliendum aliquatenus in Rhætia evangelium primo ſtatim ſeculo ſufficiat, quod vicini Comenses eo illustrati fuerint.

Hæc si lector perpendat, nimiæ credulitatis me neutiquam incusabit, facilisque concedet, evangelicam tubam haud longo post Servatoris mortem tempore inter Rhætias personuisse. Non nego, populos ad Rheni Oenique ſcaturiginem considentes fidei beneficio ſerius potitos fuisse, utpote quorum fere inaccessa regio, indoles fera et barbara, atque Romano nondum ex integro ſubdita iugo. *Inalpini enim Rhæti*, perbene Sprecherus ſcribit *c*), *non omnino victi, ſed tantum hinc inde palantes repressi fuerunt.* Nescio pariter, ut et hoc adnotem, quo fundamento nixus Bucelinus adserat *d*), beatum Vindonissensem circa annum 96. verbum Dei in Rhætia prædicasse. Ast hæc aliaque non obsunt, quin in regionibus mitioris aeris, ſolique magis culti, v. g. valle Telina, Clavenna, Domestica, Drusiana etc. primo mox ſeculo christiani extiterint.

VII. Verum repones, si hoc iam tempore Rhæti quidam fide christiana fuerunt imbuti; quæ demum causa est, quod eorum numerus non magis accreve-

a) Ital. S. T. IV. p. 9. 14. 15. et T. V. p. 256. *b*) Fol. 166. *c*) Pall. Rhæt. l. I. p. 18. *d*) Rhæt. ſac. et prof. p. 43.

rit? quid dehinc opus erat Lucio et longe ſerius Fridolino, Pirminio, Columbano et aliis apoſtolis? — Animadvertendum inprimis eſt, prima fidei incunabula quemadmodum ubique terrarum, ſic in Rhætia quoque Alpeſtri parva, obſcura et tacita fuiſſe, nec eo ſplendore et magnificentia, qua poſtea, coruſcaſſe: nondum apoſtolicis viris ſtatæ ſedes, nondum templa ſubſequis etiam ſeculis undique viſebantur; imo nec urbe gaudebat Rhætia Alpina, et fidelium numerus adhuc minimus latere et voluit et debuit, ut furentium gentilium rabiem effugerent. Dein vero creberrima bella, et frequentes vicinarum gentium, Germanorum præcipue, irruptiones nova quovis vix non luſtro facie Rhætiam induerunt; quo factum, ut ſparſum fidei ſemen, ſi non penitus ſuffocatum, maxime tamen preſſum, ac omnis incrementi impar redditum fuerit. Pereleganter hac de re Vadianus S. Gallenſis *a*): „Colligimus, inquit, non ita multis annis a paſſo Domino Chriſti uſque adeo nomen et doctrinam per provincias Germaniæ increbuiſſe, ut et in Rheni et Danubii ripa eccleſiæ chriſtianæ frequentes emerſerint, et eſſent viri ſancti, ſacra illa, et vere apoſtolica functione ornati, qui harum curam gererent. Verum et hæ utcunque inſtitutæ et auctæ Germanicarum gentium frequenti eruptione, dein vero migratione, non afflictæ modo, ſed oppreſſæ etiam, et magna parte extinctæ fuerunt. Quare factum, ut ſtatu rerum mutato in novis illis et feris provinciarum colonis erudiendis, et inſtauranda iterum in Chriſtum fide denuo ſudatum et laboratum fuerit. Neque eſt a vero alienum, plus operæ datum fuiſſe ei negotio in barbaris illis edomandis, convertendiſque ad Dominum, quam in latinis adeoque provincialibus veteribus initiandis antea unquam impenſum fuiſſet.„ Hæc ille, qui ſtatim paulo poſt *b*) Rhætorum eccleſiam antiquiſſimis in Germania merito accenſet, cui quæ ſuperius dixit, quam maxime conveniunt; præſertim quum urbs Curienſis tum necdum extiterit, locuſque aliquot ſolummodo caſtellis fuerit illuſtris.

VIII. Multum iam ſeculo ſecundo efflorescere cœperat inſignis eccleſia Mediolanenſis, quam ſancti *Caſtritianus* et *Calimerus* regebant; hi duumviri non ſolum innumeram gentilium multitudinem Chriſto ſunt lucrati, ſed templa quoque ædificarunt *c*). Ex candelabro hoc lucem copioſam in Rhætiam emanaſſe eo minus dubitandum, quo magis illa vicina Inſubribus, et famoſa imperii Romani provincia fuit. Suſpicatur Gulerus *d*), hoc demum tempore ſub

a) Farrag. Ant. in præfat. num. 1. apud Goldaſt. rer. Aleman. T. III. *b*) Num. 10. 11.
c) Ugh. Ital. S. T. V. p. 37. 38. *d*) L. III. f. 30.

Adriano imp. Rhætiæ provinciam in duas fuisse divisam, quarum prima nostra Alpestris erat, gubernata a præside romano ſeu comite, qui ſedem ſuam in arcium altera Spinoila vel Marsoila, ubi hodie episcopi Curiensis palatium prominet, habuisse dicitur. Seculi II. initio Rhætiarum comes occurrit *Italicus* homo crudelis et ſanguinolentus adversus christianos maxime, qui SS. Faustini et Iovitæ apud Brixinenses, ſeu Brescianos, martyrii penes Adrianum incentor fuit, quum is a. Ch. 118. vel ſequenti in Gallias proficisceretur. Comes iste fidei propagationi in Rhætia multum obfuit, de quo auctor vitæ SS. Faustini et Iovitæ ſic habet *a*): *Eo itaque tempore Italicus comes, qui Rhætiarum populis præerat, cum esset paganissimus, et ſupra modum dæmoniacis cultibus occupatus, lumen fidei, quod ipse cæcitatis ſuæ obvolutus tenebris respuebat, moliebatur etiam insano ſtudio a ſuæ provinciæ hominibus arcere.* Quin proin aliqui hac occasione intra Alpes extiterint Christi confessores, vel martyres etiam, vix dubito; licet nulla de iis notitia ob temporum iniuriam ad nos devenerit.

Refert Crusius *b*) ex Thoma Lyrero Rankwilensi ignoto æque ac indocto ſcriptore, *Curium* vel Curionem magnatum romanorum quemdam fidei christianæ causa exulem a. Ch. 104. in Rhætiam adventasse, pluribus ex nobilitate ſociis ſibi adiunctis, ibique pro religionis augmento laborasse. Verum quum nec ſcriptores nec tabulæ huius adserti testes adsint, modica fide dignum censeo, ſaltem quod tempus nomenque concernit; quis enim credat, Curium usque ad Lyrerum latuisse, a quo demum absque omni documento in lucem protractus ſit? id equidem veritati maxime congruum, quod ſupra iam innui, plures forsan fuisse, qui persecutionis tempore religionis ergo ex Italia in Rhætiam ſecesserunt. Interim Brigantium oppidum a romano milite iam inhabitatum *c*), et dehinc legionis fulminatricis prodigium fidei propagationem multum adiuvit.

IX. Nunc quædam de S. Lucio, qui primus Rhætiæ apostolus passim perhibetur. Sancti huius viri historia tot fœta opinionibus, quot difficultatibus obnoxia est, quas si tollere animus foret, ſynchrona quædam testimonia essent adsignanda, quæ frustra quæsiveris. Ipsimet Rhæti præter ſancti exuvias et constantem traditionem nil certi ſuggerere possunt: floret quidem adhucdum vetustissimum S. Lucii nomine insignitum monasterium, notus S. Lucii clivus (*Lucissteig*), eiusdemque ſpelunca (*Lucislöchle*) imo eius nomen in medii et

a) Bolland. T. II. Febr. pag. 809. *b*) Annal. Suev. P. I. pag. 77. et P. II. pag. 357. *c*) Crus. Annal. Suev. P. I. Lib. 4. pag. 79.

poſterioris ævi diplomatibus occurrit. Verum hæc omnia ſufficientem eorum, quæ de eo narrantur, fidem vix faciunt; id ſolum evincunt, Lucium quemdam fuiſſe, a quo Rhæti religionem chriſtianam hauſerint. Nos primo quid ſentiant Curienſes, ex eorum Proprio, ut vocant, ad diem 3. Decembris, proferemus; deinde vetuſtiorum ſcriptorum teſtimonia, unum alterumve, audiamus: demum noſtram quoque opinionem ſubiungemus.

Iuxta lectiones ſecundi nocturni in dicto Proprio S. Lucius fuit Britannorum rex Coilli Iuſti filius gentilis quidem, chriſtianis autem nunquam infenſus, qui Marco Aurelio imperante, miſſis ad Eleutherium papam legatis in fidelium numerum aſſumi petiit. Pontifex pio deſiderio facturus ſatis, Damianum et Fugatium in Britanniam ire iuſſit, qui regi baptiſmum conferrent. Inde Lucius regno abdicato vitam apoſtolicam ducens magna terrarum ſpatia peragravit; Rhætiam obiens primum Auguſtam Vindelicorum venit, ibique inter alios Campeſtrium Patritium ad fidem convertit, templumque Deo vero condidit. Aſt iniuriis pulſus in alpinam Rhætiam conceſſit, ubi ſub concava quadam rupe, ex qua prodigioſam aquam elicuit, virtutum ſplendore multos incolarum ad ſe accivit, totamque ferme Rhætiam Chriſto lucratus eſt, factus etiam gentis illius epiſcopus. Tandem a paganis lapidibus obrutus martyr occubuit in arce Martiola III. nonas Decembris circa ann. Ch. 182. Eius corpus miraculis nobilitatum in ſarcophago argenteo Curiæ honorifice aſſervatur, et religioſe colitur. Hæc Rhæti.

Venerabilis Beda *a*) ea de re ſic ſcribit: „*Marci Antonini Veri et Aurelii Commodi temporibus, cum Eleutherius vir ſanctus pontificatui Romanæ eccleſiæ præeſſet, miſit ad eum* Lucius *Britannorum rex epiſtolam, obſecrans, ut per eius mandatum chriſtianus efficeretur. Et mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt, ſuſceptamque fidem Britanni uſque in tempora Diocletiani principis inviolatam integramque quieta pace ſervabant.*„ Ven. Bedæ, qui hæc circa initium ſeculi VIII. ſcripſit, ſuffragatur Notgerus Balbulus monachus S. Galli, qui exeunte ſeculo nono vixit; is in ſuo martyrologio *b*) ad VIII. Calend. Iunii ſic teſtatur: „Item Romæ Eleutherii papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos quindecim, *et accepit epiſtolas a* Lucio *Britannorum rege, ut per eius mandatum fieret chriſtianus*, quod et factum refertur per Timotheum virum ſanctum, ita ut idem Lucius ſpretis omnibus mundialibus rebus nudus et expeditus

a) L. I. hiſt. eccl. anglic. c. 4. *b*) Henr. Caniſi. theſ. monum. eccleſ. T. II. p. 132.

peregrinatione ſuſcepta partem Baioariorum et *totam Rhætiam inter Alpes ſitam* miraculis et prædicationibus ad fidem Christi convertiſſe *credatur*. Cuius ſepulcrum, id est, qui in Rhætia requiescit, *ſive rex quondam ille, ſive quicunque ſervus Dei fuerit*, creberrimis virtutibus illustratur. „

His ſubiungere iuvat aliqua testimonia diplomatum: primum occurrit circa ann. 821. in querelis *Victoris* ep. Curienſis ad Ludovicum Pium imp. ubi queritur, quod *nec illud ſacratiſſimum corpus beati* Lucii *confeſſoris reliquerint a*). Alterum anno 951. quod *eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ beatique* Lucii *confeſſoris caput Curienſis episcopii* appellat *b*). Anno 952. et deinceps *ſanctus* Lucius pariter *confeſſor Chriſti* ſcribitur *c*). Medio ſeculo XV. *Ortliebus* episcopus testatur: quod *beatus* Lucius *harum terrarum apoſtolus orthodoxeque fidei in eis primenus ſeminator cum eius ſorore virgine et martire ſancta Emerita in monaſterio* S. Lucii *corporaliter requieſcant, eorumque reliquie inibi devotis laudibus honorifice venerentur d*). Tandem *Ioannes VI.* ep. Curienſis in ſua epistola pastorali anno 1646. adſerit, S. Lucium ab aliis martyrem, ab aliis vero iuxta aliqua breviaria confeſſorem tantum celebrari.

X. Ex hactenus dictis patet, duo extra omnem controverſiam eſſe. Primo quidem negari nullatenus potest, Eleutherii papæ temporibus *Lucium* Britanorum regem fide christiana imbutum in ſuo eandem regno disſeminaſſe, ſive dein id Damiani et Fugatii, ſive Timothei cuiusdam opera factum fuerit: plura hanc in rem testimonia collegit Iacobus Uſſerius archiep. Amarchanus in ſuo de Britannicarum eccleſiarum antiquitatibus libro *e*).

Alterum, de quo dubitari non licet, est, quod Lucius aliquis vir apostolicus religionem christianam per Rhætiam ſparſerit, atque haud procul a loco, ubi hodie Curia est, obierit. Nam præter ſupra allata testimonia egregium ante 200. circiter annos adhuc extabat antiquitatis monumentum in S. Lucii abbatia, lapis ſepulchralis marmoreus S. Valentiano episcopo Curienſi circa medium ſeculi VI. poſitus in ipſa S. Lucii æde, de quo plura in annalibus episcoporum dicemus. Unde patet, templum S. Lucii ſeculo VI. iam viguiſſe, in quo Valentiani corpus terræ mandari potuerit, quodque propterea monasterium B. Va-

a) Cod. prob. N. VI. *b*) Ib. N. XVIII. *c*) N. XIX. XXII. etc. *d*) N. CXXI.
e) Cap. 3. et 4.

lentiani hinc inde dicebatur *a*). Id quod infallibili argumento est, S. Lucii et memoriam et patrocinium in ipsis adeo episcopatus incunabulis effulsisse.

Ast controversiæ caput illud est, utrum Lucius Curiensis idem fuerit cum *Lucio* Britannorum rege. Scriptores Angli ferme omnes *Lucium* regem Glocestriæ fuisse ſepultum testantur: aliqui eius corpus ex Rhætia illuc translatum fingunt; fingunt inquam, certum quippe est, S. Lucii Curiensis exuvias Curiæ adservari. Quocirca si Angli corpus regis ſui *Lucii*, qui ſub Eleutherio P. fidem ſuscepit, revera possident; luce clarius patet, quod Rhætiarum apostolus longe diversus ab illo Britonum rege fuerit, præsertim quum in nullo prorsus monumento, ubi S. Lucii Curiensis nomen frequenter occurrit, regiæ eiusdem dignitatis vel ſemel mentio fiat, quam certe non omisissent antiqui, si de ea fuissent persuasi. Forsitan Rhætiæ apostolus ne Brito quidem fuit, *Lucii* enim et *Emeritæ*, de qua mox, nomina romana ſunt. Britannorum vero regem *propter fidem*, *quæ in eius tempore venit*, Lucium cognominatum fuisse, auctor est Samuel Beulani filius in additionibus ad Ninium apud iam laudatum Iac. Usserium *b*), quum prius nomen britannicum *Lles* habuerit.

Si porro perpendas, quantum *Lucius* pro conversione regni ſui laboraverit, quotque fundarit ecclesias, quemadmodum apud eundem Usserium legere est *c*); si tempus computes, quod in ſua apostolica peregrinatione per Galliam, Germaniam, Bavariam, Augustam Vindelicorum etc. insumere debuisset, præcipue quum aliquibus in locis, uti Augustæ, diutius hæserit Lucius Curiensis: timeo ſane, ne non tot annos ab eius baptismo ſub Eleutherio papa usque ad eius obitum, qui circa ann. 182. ſtatuitur, reperias, quot tanti pro fide labores exegissent; ſive Eleutherii initium ad ann. 171. ſive a. 177. ſtatuas. His rite discussis nemo temeritatis nos arguet, si *Lucium* illum regem unquam Rhætias ſubiisse ſubdubitemus. Ecquid obest Rhæticæ gloriæ, si primarium huius gentis apostolum ex Italia vel Illyrico adventasse, aut eundem cum Curio vel Curione illo fuisse ſuspicemur, de quo ſupra num. præcedente? Fatentur equidem Angli, *Lucium* ſuum nullo hærede relicto quasi evanuisse, postremus quippe fuit, cui Romani titulo regio uti concesserunt; exin vero nondum constat, eundem in exteras regiones propagandæ fidei causa emigrasse.

a) Cod. prob. N. XXIX. *b*) Loc. cit. cap. 3. pag. 22.
c) Cap. 5. et 6. Conf. du Chesne hist. d'Angleterre P. I. p. 131. 132.

Vix ſolidiori fundamento innititur episcopalis S. Lucii dignitas; nondum enim existebat tunc temporis ulla in Alpestri Rhætia civitas; nondum erant in usu ſic dicti chorepiscopi. Nec ſuspicione vacat eius martyrium; nam constanter in chartis ſolum *Christi confessor*, non martyr, non episcopus, nominatur; negare interim non auſim, illum revera plurima pro fide passum fuisse, ut iuxta morem antiquum *Christi confessor* dici colique mereretur. Hæc porro omnia nullatenus in præiudicium antiquissimæ traditionis, cui nituntur Curienses, dicta velim; dum enim ſynchrona monumenta deficiunt, opinari quidem ſcriptori licet, non vero ſententiam ferre. Quidquid tandem ſit, grates ſupremo Numini agendæ, quod in regionem alias ferme inaccessam ac barbarie horridam S. Lucium, ſplendidum religionis christianæ ſidus immiserit, quo gens tota pœne evangelica luce illustrata vicinis quoque regionibus veritatis radios commodare potuerit.

XI. S. Lucius ſororem habuisse creditur S. Emeritam, quæ eum in fide et prædicatione ſecuta martyrio antecesserit. De illa narrat Proprium Curiense die 4. Decembris, quod diutius in patria hæserit erigendis ſacris ædibus detenta; dehinc relictis omnibus, honesto utriusque ſexus famulatu ſtipata ſanctum fratrem per devia et invia ubivis terrarum quæsiverit, ac tandem Curiæ e rupe prædicantem invenerit: quod demum ab incolis multis cruciata tormentis in vico Trimonte igni tradita martyrium consummaverit.

Iudicium de itinere ſanctæ huius virginis penes lectorem esto; eius vero martyrium a temporis locique circumstantiis minime abhorret. Rhæti namque ut armis feroces, ſic etiam tunc temporis idololatriæ maxime dediti fuerunt: præ cæteris deam Maiam adorasse feruntur, quam Mercurii matrem credebant, unde Lupino Maiævillæ, hodie Maienfeld, nomen adhæsit *a*).

Advertendum præterea, Rhætos medios Italiam inter et Germaniam utriusque ſuperstitionibus adhæsisse, ut proin vero ſat ſimile appareat, eos, qui fidem christianam illis annuntiabant, plurium in se odia concitasse, ac millenis ſemet iniuriis exposuisse.

a) Guler. L. 3. f. 33.

DISSERTATIO III.

De ſtatu religionis in Rhætia ſecul. III. et IV.

ARGUMENTA.

XII. Tumultus bellici. XIII. S. Felix martyr. XIV. Eius reliquiæ. XV. Curiæ urbis origo. XVI. S. Gaudentius martyr.

XII. Quamquam Septimius Severus imp. circa initium ſeculi III. christianis favere videretur, atque multa in Rhætiæ commodum ordinaret, vias pontesque restaurando, ut ex antiquis lapidibus testantur Gulerus *a*) et Crusius *b*); tamen atrocissima dehinc adversus ecclesiam persecutio exarsit, ita, ut teste Gregorio Turonensi *c*) *per plateas flumina currerent de ſanguine christianorum.*

Præterea Germani, Caracalla præsertim et postmodum Alexandro Severo imperantibus, Romanorum limites frequentioribus incursionibus premebant, et Vindeliciam Rhætiamque passim devastabant, multis Romanos cladibus afficientes, et ab iis passi vicissim. Quare Rhætia armis ex utroque latere concussa permodica religionis augmenta capere potuit, quæ ratio non ſolum pro hoc tempore, ſed ſequentibus etiam ævis quam maxime est adtendenda *d*).

Celebrantur in martyrologiis S. Hieronymi et Usuardino ſancti *Evantus* et *Hermes*, quorum apud Bollandum nuda nomina occurrunt *e*): *Evanti et Hermetis in Rhætia.* Usuardus autem ſolius Hermetis meminit: *Retiarie S. Hermetis exorcistæ.* Coniicit Reschius *f*) iure an immerito, haud dixerim, utrumque hunc ſanctum ſub Maximino martyrii corona decoratos fuisse; apud Usuardum autem loco *Retiariæ* legendum esse *Rhætiæ primæ.* Suæ opinionis verisimilitudinem quamdam profert ex eo, quod antiquitus iam in Sugana valle ſacellum S. Hermetis extiterit, quod adhucdum visitur. Verum leve admodum exinde argumentum pro fidei apud Rhætos augmento desumi poterit. Certe Gallieno imperante Aureoli, qui teste Aurelio Victore per Rhætias legionibus præerat, rebellio et Germanorum in Italiam vehemens irruptio religioni pluri-

a) F. 35. 36. *b*) Annal. Suev. P. I. lib. 4. p. 88. *c*) De S. Irenæo lib. I. cap. 29. *d*) Vid. Crevier Röm. Kais. Histor. T. IX. p. 310. et T. X. p. 102. *e*) T. I. Febr. p. 21. *f*) Annal. Sabionen. T. II. p. 38.

mum obfuit. *Germani enim*, ut refert Oroſius *a*), *alpibus*, *Rhætia totaque Italia penetratis Ravennam usque pervenerunt.* Et iuxta Onuphrium Panavinium *b*) *muri Veronæ ſub Gallieno de novo facti ſunt, ob Germanorum incurſiones. Eo tempore trecenta millia Alemannorum Alpes transgreſſa, agros Veronenſem, Brixianum et Tridentinum vexabant.* Hinc colligi poteſt, quid ea occaſione paſſa Rhætia fuerit.

XIII. Nec meliora tempus ſubſecutum tulit, Diocletiano et Maximiano totum imperium ſua crudelitate diffamantibus. Omnis vix non regio tunc Chriſti athletas habuit; in vicinia quoque Alpeſtris Rhætiæ varii pro fide chriſtiana occubuere: ſic Noricum Ripenſe S. *Florianum* dedit, S. *Quirinum* Siſcia, S. *Victorinum* Pictavia, Tergeſte SS. *Iuſtinum* et *Chryſogonum*, Aquileia SS. *Cantium*, *Cantianum* et *Cantianillam*, Verona SS. *Firmum*, *Ruſticum* et *Proculum;* Auguſta denique in Vindeliciis S. *Afram*, eiusque ſocias. Nullusne in Rhætia prima ſeu Alpeſtri in certamine martyr? imo venerantur Comenſes S. Fidelem Sumolaci ad Alpium radices pro Chriſto peremtum ſub ſeculi tertii finem. De eo martyrologium Romanum ad diem 28. Octobris mentionem facit: *Apud Comum S.* Fidelis *martyris ſub Maximiano imperatore;* Molanum: *Civitate Cumis S.* Fidelis *martyris.* Eius quoque meminit martyrologium Hagenoyenſe, et alia quædam apud Sollerium prædicta die *c*). Extat de hoc martyre S. Petri Damiani ſermo, qui eſt ordine LIV. inter eius opera Pariſiis anno 1663. edita *d*), nec non hymnus in laudem eius compoſitus *e*). Quædam etiam de eo habet Tillemontius *f*) ex quibus omnibus Adr. Bailletius brevem S. Fidelis hiſtoriam compoſuit, quam refert ad diem 28. Octobris *g*); eius ſynopſin hic ſiſto.

Sanctus Fidelis nobilitate ſanguinis et divitiarum abundantia clarus, ſed utriusque contemptu clarior militiam ſecutus eſt. Verum a vitiis, quæ arma plerumque comitantur, alieniſſimus, probatiſſimæ vitæ exemplar ſe omnibus præbuit: tempus omne a militia vacuum caritatis operibus impendit; pauperes, ægrotos, miſeros quocunque modo iuvit, atque infidelium converſioni maximopere ſtuduit. Quumque Maximianus imperator in chriſtianos deſæviens Mediolani omnes milites vel ad ſacrificium vel ad mortem compelleret, S. Fidelis militia relicta verſus Alpes fugiens ſupra lacum Comenſem unacum *Exan-*

a) Lib. VII. cap. 22. *b*) Antiq. Veron. lib. 4. *c*) Pag. 634. *d*) T. II. p. 129. *e*) T. IV. p. 17. *f*) T. V. p. 137. *g*) T. VII. Vies des Saints p. 414.

tho et *Carpophoro* vitæ fideique ſecuritatem quæsivit. Ast ab insecutis militibus comprehensus, ob fidei constantiam capite truncatus victor ad cœlum migravit. Ferunt, completo martyrio grandem tempestatem exortam, et dæmoniacum cadaveris attactu liberatum fuisse.

XIV. Testibus martyrologiis S. Fidelis martyrium contigit die 28. Octobris, et quidem anno 304. ut putant Tillemontius et Bailletius, quorum opinione S. Carolus ſacrum corpus Arona Mediolanum in templum Iesuitarum transtulit anno 1576. quod eiusdem nomine insignitum est. Ast ni fallor, errant uterque tam in anno martyrii adsignando, quam in translatione; Maximianus enim imperator anno 290. Mediolani morabatur, ubi in milites christianos ſæviit, refertque Gulerus *a)* S. Fidelis exuvias a Summolacu Comum transportatas ab *Ubaldo* urbis istius præsule anno 937. atque in ecclesia S. Euphemiæ honorifice depositas fuisse, quæ eiusdem Sancti nomine postmodum clara hodiedum effulget. Eandem rem narrat Ughellus *b)*, ſed 27. ferme annis ſerius gestam circa annum 964. iuxta Tatti coniecturam; et quidem merito, nam Ubaldus, ſeu Waldus, Walto, ut in diplomatibus vocatur, anno 937. nondum præfuit, ſed ſolum intra annos 943. et 967. Quodsi igitur S. Fidelis Summolacensis corpus Comi requiescat, exuvias illas a S. Carolo Mediolano illatas Fidelis longe alterius esse oportet, vel certe partes aliquas modicas Como accepit. Quidquid vero ſit, ex ſancti huius martyris historia compertum habemus, Maximiani gladium intra Alpes etiam Rhæticas ferocisse, pluresque forsan ibidem athletas pro Christo dimicasse, quorum memoriam tempus edax rerum nobis ſurripuit.

XV. Quosnam ſeculo IV. religio progressus in Rhætia fecerit, augurari non licet. Nam quamvis Constantini M. imperatoris zelus pro amplianda fide maximus fuerit; nulla tamen nobis antiquitas monumenta reliquit, quæ nos de quodam tunc temporis veræ religionis augmento apud Rhætos edoceant; præsertim quum ista regio, imperii Romani limes, ſemper Alemannorum incursionibus exposita fuerit.

Tria nihilominus ſunt, quæ Rhætiam magna ex parte abs christianis hoc ſeculo cultam comprobare videntur. Primum est civitatis Curiensis origo, quæ probabilius a Constantino extructa creditur, quum circa ſeculi IV. medium co-

a) Rhæt. f. 194. *b)* Ital. Sac. T. V. p. 476.

pias adverſus Alemannos ducens in campis Caninis hyberna haberet; id quod comprobare nititur Gulerus *a*) ex ſic dicto equorum campo, ubi hyberno tempore pereuntes equi in terra defoſſi fuerint. Huic opinioni non contradicit Sprecherus *b*), quamquam incrementa huius urbis ſucceſſiva fuiſse perbene ſtatuat. Clarius Curiæ originem narrat, qui eam quoque Conſtantio adſcribit, Ægid. Tſchudius *c*). Interim a vero haud multum abludere eos puto, qui antiquum *Ebodurum*, cuius Ptolomæus ſub Adriano imp. facit mentionem, eodem in loco eminuiſse aiunt, ubi hodie Curia eſt, nomenque loci dehinc ea occaſione mutatum fuiſse exiſtimant, quod Conſtantius imperator per aliquod tempus unacum exercitu ibi moratus fuerit, et quaſi *curiam* habuerit. Stetiſse enim feruntur ibidem diu ante tria caſtella, *Marſoila*, *Spinoila* et *Planterra*, quod ultimum *Imburgum* vocant ſeu *Ebenburgum*, *Ebodurum*, quaſi oſtium ad planitiem dixeris; a Curia namque urbe ultra Sarganſium uſque ſat ſpatioſa et perelegans planities nitet, quam Rhenus ſecat, pagique amœniſſimi et arces ſuperbæ exornant. Hinc etiam antiquum caſtrum, quod eodem in loco, ubi hodie prætorium Curienſe, ſteterat, *Planaterra*, *Plantair*, appellatum fuit. Novam autem urbem maxima parte ſtatim a chriſtianis incultam fuiſse, comprobat epiſcopatus Curienſis antiquitas, qui haud diu poſt initium ſumſiſse videtur.

Alterum pro fide in Rhætia argumentum eſt, quod Rhæti ſub ſeculi IV. finem *Eugenio* tyranno parere detrectarint, eoquod gentilitiis ſuperſtitionibus deditus eſset; qui dein a Theodoſio ad Frigidum amnem pugna feliciter commiſſa devictus eſt *d*). Referunt quoque Gulerus *e*) et Bucelinus *f*), virum quemdam Italum vita aſcetica clarum piis ſuis ſermonibus Rhætos eo adegiſse, ut omnem tyranno ſubiectionem negarint.

XVI. Tertium denique pro fide in Rhætia dominante teſtimonium eſse poteſt quidam S. Gaudentius, qui a Prægallis ad pedem Septimi montis colitur. Pauca ſuperſunt, quæ de illo referam: illud indubitatum, eum neutiquam cum *S. Gaudentio* Novarienſi eſse confundendum, ut faciunt Bucelinus *g*) et Murerus *h*), imo ipſemet Flugius *i*). Nam neque Barth. Piazza *k*), neque Ughellus *l*),

a) F. 46. 47. *b*) Pall. Rhæt. p. 221. *c*) Rhæt. Alp. cap. 15. p. 540. apud Schard. T. I.
d) Baronii Annal. T. IV. p. 687. et 691. edit. Antw. *e*) F. 51. *f*) Rhæt. S. p. 88.
g) L. c. p. 90. *h*) Helv. S. p. 61. *i*) Catal. ep. Cur. *k*) Emerol. di Roma p. 75.
l) Ital. S. T. IV. p. 691.

neque ullus alius referunt, S. *Gaudentium* Novarienſem unquam Alpes ſubiiſſe, aut martyrio fuiſſe affectum, quum tamen noster GAUDENTIUS, pro martyrii testimonio, in antiquis iconibus caput ſuum pro Christo amputatum manibus præſeferat. Recenſetur eius memoria in martyrologio Bruxellenſi nonis Maii apud Sollerium *a*) his verbis: *Ad radicem montis Septimi passio S.* GAUDENTII *martyris*, qui tamen Sollerio ignotus est; nec non in pervetusto eccleſiæ Germanicæ necrologio, quod Fridericus Beckius cum commentario anno 1687. edidit, et ſeculo iam VII. confectum aſſerit *b*), occurrit nomen GAUDENTII pridie nonas Maii ſine ulla additione, quem eundem puto, qui in Bruxellenſi memoratur. Cæterum tempus martyrii ignotum. Quid? si S. GAUDENTIUM Italum illum præconem fuiſſe ſtatueremus, qui Rhætos ab Eugenio avertiſſe dicitur? quid? si eum ab Eugenii ſatellitibus ad Septimi montis radices interemtum crederemus? Atque hæc de primis quatuor ſeculis dicta ſufficiant.

DISSERTATIO IV.

De episcopatus Curiensis origine obscura et fatis.

ARGUMENTA.

XVII. Episcopatus Curienſis origo obſcura. XVIII. Perantiqua. XIX. Primum ſub Mediolanenſi metropoli. XX. Dein ſub Moguntina. XXI. Eius ſors varia.

XVII. Vera episcopatus Curienſis origo definiri nullatenus potest, nec ſtatui, quis primus Curiæ episcopus fuerit; certum quippe non est, ante ASIMONEM, qui primus ſcitur, nullos præſules in Rhætia Alpestri, adeoque in urbe Curienſi, extitiſſe. Quod autem initia antiquiſſimæ huius eccleſiæ adeo obſcura ſint, non una causa ſubest: imprimis enim Rhæti gentiles vivebant christianis permixti, hique infimas forte tenebant partes, ſaltem usque ad conditam urbem. Deinde episcopi ipſimet, qui fortaſſis puſillo gregi præerant, fuere humiles, ignoti magnatibus, ac pauperes; unde modicam apud alios attentionem pepererunt, utut virtutum ſplendore ſuos collustraverint. Demum perpetua efferbuere bella in Rhætiis, quas Alemanni, aliique barbari infestare, atque ab

a) Pag. 259. *b*) Pag. 27.

imperio Romano avellere non ceſſarunt. Hinc tametsi ab ipſo S. Lucio episcopatus primordia peterentur; preſſa tamen eadem, et vix non ſuffocata exiſtimari deberent.

XVIII. Scriptores quidam recentiores, quos inter Gulerus *a*), pernegare videntur, episcopos Rhætiam Alpeſtrem incoluiſſe, quamdiu illa imperio Romano paruit, eo ex capite, quod Rhætiæ primæ ambitus longe amplior fuerit, quam unquam diœceſis Curienſis; quum tamen antiquitus episcopatuum limites iuxta amplitudinem provinciarum civilium extendi conſueverint, ita ut iidem eſſent episcopatuum, qui provinciarum. Aſt ut ratio hæc vim aliquam haberet, oſtendendum foret, quosvis episcopatus in Occidente quasvis imperii provincias complexos revera fuiſſe, quod evinci nequit; ſecus ſola Italia in tot imperii provincias fuiſſet diviſa, quot ingenti numero antiquiſſimos episcopatus continet. In contrarium potius ratiocinandum putem: Rhætia provincia Romana fuit, ergo eo citius inibi episcopatus erigi potuit; vix enim aliqua regio Romanis parere cœpit, quin veræ religionis beneficio aliquatenus dotata fuerit: nec aliunde fidei lumen, quam ex Italia, facilius Rhætis oriri debuit; eapropter iam ſuperius S. Lucium Italum potius, quam Britannum dicendum eſſe adſeruimus.

Verum eſt, Rhætiæ primæ provinciam gremio ſuo non ſolam Curienſem diœceſin, ſed maximam partem etiam episcopatuum Tridentini, Veronenſis, Feltrienſis etc. continuiſſe, ut ex Cluverii Italia antiqua patet *b*): exinde tamen adſeri non poteſt, aut veri nominis Rhætos tantam regionem impleviſſe, quanta Rhætiæ provincia fuit, aut episcopatum Curienſem eiusdem cum provincia amplitudinis eſſe debuiſſe. Negari profecto non poteſt, episcopatum Curienſem inter antiquiſſimos primosque Germaniæ habendum, eumque iam ante ſeculi V. medium incœpiſſe. Rhæti magno numero ante conditam urbem Curienſem chriſtiani fuerunt; unde probabilius cum ipſa urbe etiam episcopi ſedes erecta eſt. Sufficiant probabiles coniecturæ, ubi certitudo haberi nequit.

XIX. Pro antiquitate eccleſiæ Curienſis non modicum pondus adiicitur exinde, quod primitus metropoli Mediolanenſi ſubiecta fuerit. Iam ſeculo medio V. Abundantius Comenſis præſul ſynodo provinciali Mediolanenſi episcopi Curienſis nomine ſubſcripſit *c*). Fuit *S. Anatalon* ſecundus Mediolani antiſtes,

a) Fol. 56. *b*) Pag. 86. *c*) Pet. Crabbe Concil. T. I. p. CCCLXIII.

de quo eleganter in rem noſtram auctor opuſculi de ſitu civitatis Mediolani ita ſcribit *a*): „ Mediolanensi urbi tantum privilegii noverat concessum, ut ſicut inter reliquas Italicarum provinciarum urbes post Romanam arcem nitentis ſtructuræ eminentia, atque aulicorum conventu frequentissimo principare videbatur; ita ecclesiasticæ ditionis prærogativa post Romuleam ſedem cunctas excelleret. In hunc modum et ipse præfatus antistes (*Anatalon*) nil a ſuo institutore (S. Barnaba) discrepans, metropolitani ibidem cathedram pro futuris temporibus Christi ſtatuit esse fidelibus, quatenus *affinium populorum antistites, hoc est Venetiæ, Liguriæ, Aemiliæ,* Rhetiæ, *alpis Cottiæ*, quotquot fuerunt in ſancta matre ecclesia, futuri per has ſæpe dictas provincias caput quoddam et decus insigne post Romanum pontificem *habere debeant Mediolanensis ſedis præsulem.* „ Quamvis vero opuſculi huius auctor incertus ſit; lectus tamen eius liber a Landulpho ſeniore ſeculi XI. ſcriptore, atque pro annoſo habitus est; quocirca merito ad ſeculum IX. ſaltem refertur a Muratorio in præfatione dicto opuſculo præfixa *b*).

Quodsi igitur *affinium populorum*, ac Rhætiæ præsertim *futuri antistites S. Anatalonis* ſtatuto Mediolanensi ſedi fuerint ſubiecti; dubium non est, quin ecclesia Curiensis et antiquissima ſit, et metropoli Mediolanensi ab initio paruerit, utpote eidem maxime vicina et affinis. Iam ſupra innuimus, *S. Barnabæ*, cui *S. Anatalon* proxime ſuccessit, apostolicum fervorem Rhætiam quoque penetrasse.

Extat porro apud eundem Muratorium *c*), *ordo antiquus episcoporum ſuffraganeorum ſanctæ Mediolanensis ecclesiæ*, catalogo præsulum eiusdem metropoleos præfixus, quo in ſynodis ſedere consueverunt. Dexteram archiepiscopi novem episcopi, totidemque eius ſinistram occupant: a ſinistris ordine quartus post Cremonensem comparet *episcopus Curiensis.* Demum ſuperest decretum quoddam ſynodale ab *Angelberto* Mediolanensi, eiusque ſuffraganeis anno 842. editum, quo roboratur immunitas monasterii S. Faustini et Iovitæ abs *Ramberto* Brixinensi episcopo ædificati; ibi ordine postremus Verendarius *Curiensis ecclesiæ episcopus* ſubscripsit *d*). Itaque episcopi Curienses ferme usque ad medium ſeculi IX. præsules Mediolanenses ſuos metropolitas agnoverunt.

a) Murator. rer. Ital. ſcript. T. I. P. II. p. 207. *b*) L. c. p. 200. *c*) Ib. p. 228. *d*) Mansi concil. T. I. p. 903.

XX. Verum haud diu post anno nimirum 847. iam metropoli Moguntinæ ſuberat Curia, quod patet ex ſynodali epiſtola ab archiepiſcopo *Rabano* ad Ludovicum regem data, cuius hoc eſt procemium: „Digniſſimæ reverentiæ veſtræ patefecimus nos humillimi famuli veſtri *Rabanus* videlicet Moguntiacenſis eccleſiæ indignus archiepiſcopus cum coepiſcopis meis, qui ad prædictæ eccleſiæ diœceſin pertinent, hoc eſt, *Samuele* (Wormatienſi) *Egobaldo* alias Gozbaldo (Wirzburgenſi) *Baturato* (Paderbornenſi) *Hebone* (Hildeſienſi) Gerbracho ſeu Gorbratho (Curienſi) *Hemone* (Halberſtadienſi) *Waltgario* (Verdenſi) *Anſchario* (Hamburgenſi) *Otgario* (Eichſtadiano) *Lantone* (Auguſtano) *Salomone* (Conſtantienſi) et *Gebehardo* (Spirenſi), cum reliquis collegis noſtris chorepiſcopis *a*).„ Licet autem epiſtola ſynodalis nullas epiſcopis eccleſias adſignet, ſed nuda eorum nomina proferat, nec ullibi alias Gerbrachi mentio fiat; eum tamen Curienſis eccleſiæ præſulem fuiſſe inde conficitur, quod præter Curienſem in Moguntina provincia nulla alia eidem ſedes tribui poſſit.

Paruit ergo epiſcopus Curienſis archiepiſcopo Mediolanenſi, quamdiu Rhætia regno Italiæ unita permanſit; quamprimum autem Franciæ ſeu Germaniæ ſtabiliter adnumerata eſt, illico Curia metropoli Germanicæ, et quidem Moguntinæ ſubiecta fuit. Sic in prima imperii diviſione a Carolo M. facta Italia unacum ducatu Curienſi Pippino ceſſit *b*), et deinceps qui Italiam rexit, Rhætiam quoque tenuit. Quum igitur provinciæ eccleſiaſticæ iuxta regni politici normam diſpeſci conſueverint; ratio in aprico eſt, cur eccleſia Curienſis Mediolanenſi paruerit, usquedum Rhætia Germaniæ adiecta fuit vi pacti Virdunenſis anno 843, quod menſe Auguſto tres filii Lotharius, Ludovicus et Carolus inierunt, quum paternum imperium inter ſe dividerent; qua occaſione Ludovico unacum Germania etiam Rhætia obvenit; ſiquidem is *citra Rhenum omnia, ultra Rhenum vero Spiram, Wormatiam et Moguntiam* obtinuit *c*). Permanſit proinde Curia ſub Mediolano usque ad annum 843. quo ad Moguntinam metropolim tranſlata eſt: poſtquam anno præcedente 842. *Verendarius* ultima vice tanquam ſuffraganeus ſynodo provinciali Mediolanenſi interfuit; *Gerbrachus* prima vice anno 847. ſuffraganeus Moguntinus comparet.

Mutationem hanc promovere potuit inſolita *Angilberti* Mediolanenſis ſuperbia, qua inflatus cum Romano pontifice de dignitatis æque ac poteſtatis prærο-

a) Labb. Concil. T. VIII. p. 39. Harzh. Concil. T. II. p. 151. Eckart. Franc. Orient. T. II. p. 392.
b) Eckart. loc. cit. p. 42. *c*) Ibid. p. 367. Bunau Reichshiſt. T. III. p. 228.

gativa contumaciter decertare non erubuit *a*); qua quidem agendi ratione inductus episcopus Curienſis, eo facilius provinciæ Moguntinæ acceſſit.

XXI. Cæterum uſa eſt eccleſia Curienſis forte tam varia, ancipiti ac plena periculis, ut res ſit propemodum prodigio ſimilis, adhucdum illam florere. Plures episcopatus deletos novimus, qui tantis calamitatibus haud erant obnoxii, quantas diœceſis Curienſis perpeſſa eſt. Primis ſeculis dimicandum cum gentilibus fuit, innumeræ barbarorum incurſiones ſuperandæ longe adhuc diutius, Rhætia nunc Romanis, nunc Gothis, nunc Francis parente. Reſpiravit quidem tantisper Curia episcopis ex præſidum Rhætiæ familia ſelectis, ac dein ſub Caroli M. protectione. Mox tamen iterum prope excidium fuit, direptis et vaſtatis pene omnibus, quæ ad episcopatum pertinebant, comitatus præfectura ad laicos devoluta. Succeſſu temporis, Saraceni, Normanni, Schismatici, aliique eccleſiæ hoſtes innumera damna intulerunt, ita, ut ſæpe Curienſis clerus vix, quo ſuſtentaretur, haberet, ac aliquoties alio inopiæ causa ſit diſperſus. Seculo XIV. tanta æris alieni mole premebatur, ut ferme totus episcopatus vel ipſis Iudæis oppignoratus fuerit. Taceo bella, lites et contentiones, ut ita dicam, domeſticas, quibus Curienſes episcopi ſæpiſſime implicabantur: omitto frequentem dominiorum prædiorumque iacturam, advocatorum rapacitatem, præſulum quorumdam vel oscitantiam, vel prodigalitatem, Rhætorum, vicinorumque iniurias, ſeculo potiſſimum XV. quo pleraque episcopi iura in controverſiam vocabantur. Horret animus ad ea, quæ ſeculo XVI. et deinceps in Rhætia contigerunt: impoſſibile tunc temporis crediditdiſſes, ut vel umbra alicuius episcopatus remaneret. Videbimus, quantas ſtrages efferata gens nullo legum aut dominii conſtricta iugo, nulloque religionis cohibita fræno edere poſſit. Perſpiciemus, quanti interſit, ne clerus quiscunque ſcientia, pietate, zelo ac vigilantia deſtituatur. *Quum dormirent homines, venit inimicus et ſuperſeminavit zizania in medio tritici b*). Hac equidem ratione famoſiſſima illa religionis reformatio a Zwinglio ſuſcepta Rhætiæ dominari cœpit ita, ut hodiedum episcopatus nobiliſſimam partem ſibi e gremio raptam lugeat.

a) Ugh. Ital. S. T. IV. p. 79. *b*) Matth. 13.

DISSERTATIO V.

Episcopatus Curienſis termini ac partes.

ARGUMENTA.

XXII. Limites antiqui. XXIII. An Clavenna et Telina vallis olim in episcopatu Curienſi? XXIV. Limites hodierni. XXV. Diviſio episcopatus antiqua. XXVI. Diviſio episcopatus hodierna.

XXII. Qui de Rhætia ſcripſerunt Aeg. Tschudius *a*), Gulerus *b*) et Sprecherus *c*) eundem ferme episcopatui Curienſi ambitum concedunt, quem Rhæti iuxta Strabonem incoluerunt; ſic autem hic ſcribit *d*): *Supra Comum, quod eſt ad radices Alpium ſitum, habitant verſus orientem Rhæti et Vennones* (incolæ vallis Venuſtæ); *ad alteram partem Lepontii* (ad Rhodani fontes) *Tridentini et Stoni.* Hi ex Liguribus oriundi; eos Cluverius ſupra lacum Benacum locat. Et paulo poſt *e*): *Montium partes, quæ ortum ſpectant, et ad meridiem vertuntur, Rhæti et Vindelici tenent, Helvetiorum et Boiorum contermini, quorum campis imminent. Rhæti usque ad Italiam pertinent, ſupra Veronam et Comum. Pertingunt etiam usque ad loca, per quæ Rhenus fertur.* Demum *f*) *lacum Rheni Rhæti exigua parte, maiori Helvetii et Vindelici attingunt. — Rhæti ad Alpium ſumma adſurgunt, et verſus Italiam vergunt.* Rhæti itaque iuxta antiquum hunc ſcriptorem inter lacus Rheni ſeu Podamicum, et Comenſem, ac inter Helvetios et Tridentinos iacent.

Idem vix non erat antiquus diœceſeos Curienſis ambitus; nam Septentrionem verſus attingebat lacum Podamicum ex utraque Rheni ripa, a loco *Stad* usque ad *Fuſſach*, poſtremus hic reperitur in antiqua recenſione reddituum eccleſiæ Curienſis ſub nomine *Foſonas.*

Limites occidentales habebat montes, qui vallem *Tur* et *Caſtra Rhætica* dividunt; dehinc vero fluvium Limagum, exin linea per montem *Breitenwald* ducta ad Geſtinum in pago Urano, et *Urſariam* prope Gothardi montem.

a) Apud Schard. T. I. p. 536. *b*) Fol. 56. *c*) Pallas Rhæt. p. 21.
d) Lib. IV. p. 204. edit. Paris. a. 1620. *e*) Pag. 206. *f*) Lib. VII. p. 292.

Versus meridiem complectebatur *Mesaucinam* vallem Belliconam usque. Dehinc ab oriente a Tridentino et Brixiensi episcopatibus ſecernebatur, ut hodie per conterminos *Ultimis* montes, *Meranum*, vallem *Passyriam* amnemque *Passerem*, et demum per montium iuga usque ad hodiernum Finstermüntium.

XXIII. Testatur Gulerus *a*) ſub episcopatu Curiensi olim comprehensas fuisse valles *Telinam*, *Clavennam*, *Campumdulcem*, ac ſic dictos *Plevos* ad lacum Comensem. Ast ea de re vehementer dubito; inprimis enim in tota historia nihil occurrit, quod iurisdictionem ecclesiasticam ab episcopis Curiensibus illic exercitam indicet: deinde in antiqua reddituum ecclesiæ Curiensis descriptione ſeculo XI. confecta ne nomen quidem alicuius loci dictarum regionum comparet: tandem, quod caput est, antiqua diplomata nos edocere videntur, tam vallem Telinam, quam Clavennam ad episcopatum Comensem pertinuisse, ſicut hodie. Certe Carolus M. anno 803. *comitatum Clavennæ et Clusas clericis Cumanis in canonicalem usum donat et confirmat b)*; Lotharius vero Augustus anno 824. res controversas inter episcopum Comensem et abbatem S. Dionysii in valle Telina ſitas confirmans ita loquitur: *Ipsæ res erant ecclesiæ baptismales una in Amatia, altera in Burmis* (Burmium, Worms) *tertia in Postclave, et monasteriolum S. Fidelis pertinens ad episcopatum Cumanum c*). Clavennam quod attinet, idem præstiterunt reges Italiæ ann. 937. 950. *d*) et ſequentibus. Nec adsignari tempus potest, quo vallis Telina cum Clavenna et Pusclavio ad episcopatum Comensem translata fuerit, ut admodum probabile ſit, eam regionem in ſacris episcopo Curiensi nunquam paruisse. Certum equidem est, Bormium, Pusclavium, ipsamque Clavennam certis annis territoriali, ut aiunt, Curiensis episcopi dominio ſubditam fuisse; unde forsan aliqui ſuſpicabantur, eandem cum cæteris etiam dioecesi fuisse adnumeratam.

XXIV. His positis palam ſit, hodiernos episcopatus Curiensis limites ab antiquis non multum discrepare; complectitur enimvero is primo totam Rhætiam, ſeu tres Grisonum ligas, si excipias Pusclavium, vallem Telinam, Bormium et Clavennam. Deinde pars comitatus Tyrolensis, quæ Rhætiæ adiacet, ad Curiensem ecclesiam pertinet: nimirum vallis Venusta, quæ inde a Finstermüntio Meranum usque porrigitur; ubi vallis *Passyria*, amnisque *Passer* a

a) F. 56. *b*) Coint. Annal. Eccl. Franc. T. VI. p. 820. et Tatti Annali di Como T. I. p. 945. *c*) Tatti ibid. p. 950. *d*) Ibid. T. II. p. 798. etc.

Brixinenſibus, aqua autem decidua ex monte in *Vorſt*, et montana Ultimis contermina a Tridentinis Curienſes diſpeſcunt.

Ad dextram Rheni ripam iuriſdictionem ſuam porrigit in omnem regionem illam, quæ complectitur comitatus Vaduzanum et Schellenbergicum, Iagdbergicum, Bludentinum et Sonnenbergicum; necnon dominium Auſtriacum Feldkirchenſe usque ad Amiſium altum, dominium quoque Blumeggenſe cum S. Geroldi cœnobio. Ad ſiniſtram Rheni comitatus Werdenbergicus, dominium *Hohenſax*, Gamſium cum parte vallis Rhenanæ; porro comitatus Sarganenſis usque ad lacum Rivanum, et ultra lacum Caſtra Rhætica, omnisque regio, quæ fluviis Limago, Steina et Sezio comprehenditur, usque ad pagum Toggenſem ſeu Tucconiam, Curienſia ſunt. Inde vero termini Curienſes per Glaronam montiumque iuga Uriam usque protenduntur, ac vallem Urſarienſem in monte S. Gothardi complectuntur. His omnibus ferme locis a Conſtantienſi epiſcopatu diſtinguitur. Loca *Bilten* et *Niederurnen* prius Conſtantienſia parœciæ Glaronenſi ſubiacebant; poſtea vero in commodum animarum parœciæ Schænnenſi ac proin diœceſi Curienſi acceſſerunt: loca hodie acatholica ſunt. Verum Curienſis amiſit omnes parœcias infra Monticulum in valle Rhenana ſitas ex utraque ripa Rheni, quas olim ad *Stad* usque et Brigantium poſſederat teſte Tſchudio *a*). Prope montem vero Arulam diœceſin Auguſtanam, in valle Urſarienſi Sedunenſem, in Meſaucina Comenſem contingit. Mons certe Arula quatuor epiſcopatuum limes eſt, Conſtantienſis, Auguſtani, Brixinenſis et Curienſis *b*),

XXV. Iam videndum, in quas partes, archidiaconatus, ſeu capitula ruralia diviſa olim fuerit Curienſis diœceſis. Seculo IX. ineunte ultra 230. eccleſias complectebatur *c*). In topographia Rhætiæ manuſcripta auctore Aeg. Tſchudio, quam adſervant ſodales Angelomontani, mihi vero in apographo tranſmiſit L. B. de Zurlauben Tugienſis, recenſentur ad annum 1486. octo *Collectæ*, ut ibi vocantur ſeu decanatus vel capitula.

Primum Capitulum *vallis Venuſtæ*, quod præter monaſterium Mariæmontanum 23. eccleſias exhibet.

Secundum Capitulum *Engadinæ* numerat ſolummodo ecclesias duodecim.

a) Gall. Comat. p. 71. *b*) Guler. f. 220. *c*) Cod. prob. N. VI.

Tertium Capitulum *infra Langarum* complectebatur unacum filiabus ecclesias 47.

Quartum Capitulum *Druſianum* 20. parœciis constat.

Quintum Capitulum *in Montanis* in tractu Desertinensi habebat parœcias 22.

Sextum Capitulum *Curienſe*, ſeu *ſupra Langarum* complectebatur ecclesias 19.

Septimum Capitulum *ultra Curwaldiam*, ſeu in *Impedinis*, quod ſonat ad imum pedis constabat pariter 19. ecclesiis.

Octavum Capitulum *Miſaucinum*, quod Mesaucum, Calancam et Rogoretum comprehendebat, prout hodie, constans 17. parœciis. Notandum vero, in dicta Topographia non omnes ecclesias accurate adsignari, ſed plures omitti. Hæcque erat episcopatus divisio ante Calvini tempora.

XXVI. Nostris temporibus integra diœcesis ſex tantum capitula habet.

I.

CAPITULUM TYROLENSE.

Dividitur in *ſuperius* et *inferius*: Pars inferior complectitur parœcias tredecim. 1. Allgund cum filiabus *Steinach*, et *Monte S. Ioſephi*. 2. Cuentium. 3. Latsch, quæ ſex filias habet: S. Martini in *Koſl*, *Morters*, ſeu antiquam terram mortuorum, *Tarſch*, *Marein*, *Goldrain* et *Montani*. 4. Martellum. 5. Meranum oppidum. 6. Naturns. 7. Partschins cum filia *Rabland*. 8. Passeyr ad S. Martini cum filia *Platt*. 9. Passeyr ad S. Petrum cum filia *Pfelders*. 10. Plaus. 11. Schnals cum ecclesia S. Catharinæ, et *Fent*. 12. Tscharsch. 13. Tyrolis cum filia *Riffian*.

Pars superior habet parœcias 22.

1. Aguns cum filia *Brad*. 2. Burgeis. 3. Glurns. 4. Graun, cuius filiæ *Langtaufers*, et *Reſchen*. 5. Staid. 6. Laas. 7. Laatsch. 8. Lichtenberg. 9. Mals, habet filias tres, *Tartſch*, *Planail*, et *Plawen*. 10. Matsch. 11. Nau-

ders cum *Spiſs* et *Finſtermünz* filiabus. 12. Schlanders cum filia *Cortſch.* 13. Schleuſs. 14. Schlinig. 15. Schluderns. 16. Stilſs, cuius ambæ filiæ *Sulden* et *Trefoi.* 17. Tauſers, antiquis Tubers, Toberium. 18. Tschengels, eius filiæ *Ayrs* et *Tanas.* 19. Monasterium, Münster, ubi parthenon. 20. S. Maria, ſeu abbatia Mariæmontana. 21. Samnaun. 22. Taraspum, ad principem Dietrichsteinium hodie pertinet.

II.
CAPITULUM DRUSIANUM.

In ditionibus Arlbergico-Austriacis, quod in partes *interiorem* et *exteriorem* dispescitur.

In parte INTERIORI versus Tyrolim ſequentes parœciæ numerantur:

1. S. Antonii. 2. Mons S. Bartholomæi. 3. Bludentum oppidum, cum filia *Stalleer.* 4. Brand. 5. Bratz. 6. Bürs. 7. Bürserberg. 8. Clœsterle. 9. Dalaas cum filia *In Wald.* 10. Frastanz. 11. S. Galli, quo ſpectant filiæ *Gortipol* et *Gargellen.* 12. Gaschurn cum filia *Partennen.* 13. Nenzingen. 14. Nitziders. 15. Schruns. 16. Silberthal. 17. Stuben. 18. Tshaggun. 19. Vandans. 20. Galthürn in adiacente Tyroli. 21. Ischgels cum filia *Matton* pariter in Tyroli.

Pars EXTERIOR ad dextram Rheni:

1. Altenstadt, cuius filia *Giſingen.* 2. Claus. 3. Damils. 4. Fontanella. 5. Fraxern. 6. Geſis. 7. Gœtzis, quæ tres habet filias *Meſchach*, *Altach* et *Bauern.* 8. Koblach. 9. Laterns. 10. Mainingen. 11. Novels. 12. Rankweil ad S. Mariam cum ſex filiabus *Sulz*, *Durfins*, *Buchebrun*, *Batschuns*, *Breteris* et *Muntlix.* 13. Rankweil ad S. Petrum, cui præest canonicus regularis ex Creuzlingen. 14. Röttis, quo ſpectat *Mons S. Victoris.* 15. Satteins. 16. Schlins, cui ſubest *Röns.* 17. Schniffis. 18. Thiſis. 19. Tosters. 20. Uberſachsen. 21. Feldkirch oppidum. 22. Weiler. His accedunt ex ditione Blumeggensi. 23. Bludesch. 24. Buchboden. 25. Ludesch. 26. Raggall cum filia *Maruel.* 27. Sonntag. 28. Türingen cum monte *Türingensi.* 29. Blons et 30. S. Geroldi ſunt in ditione Frieſica. In Lichtensteinio ſeu Vaduzensi dominio ſunt: 31. Balzers. 32. Bendern cum filia *Roggell.* 33. Eschen, ubi præpositura Fabarienſis. 34. Muren. 35. Schaam, huc ſpectat vallis Dulcis, *Va-*

d 2

duz, ubi castrum et præfectura Lichtenſteinia. 36. Triſen ſeu Drüſen, cui a Druſo nomen, ſicut toti regioni Druſianæ. 37. Triſnerberg.

III.

CAPITULUM INFRA LANGARUM.

Vocatur alias *Helveticum* in duas quoque partes diviſum, *ſupra* et *infra* lacum Rivanum.

Pars supra lacum:

1. Berſchis cum filia *Tſcherla*. 2. Flums, prope Grappam longam. 3. Gams. 4. Mels cum filia *Wangs*. 5. Murgg. 6. Pfeffers, ubi abbatia. 7. Quarten. 8. Ragaz. 9. Sargans. 10. Valens. 11. S. Valentini. 12. Vettis. 13. Viliſterra, Vilters. 14. Wallenſtatt. 15. Molls nova parœcia, hactenus prioris filia. 16. Weiſstannen.

Pars infra lacum:

1. Amden. 2. Benken. 3. Gumiswald. 4. Rieden. 5. Schönis. 6. Weeſen. 7. Maſseltrangen.

IV.

CAPITULUM RHÆTICUM SUPRA SILVAM.

Hoc capitulum quatuor partes habet.

Pars Foppensis:

1. Andeſt. 2. Fellers. 3. Ladyr. 4. Laax. 5. Pingianum ſeu Panix. 6. Ruis. 7. Ruſchein. 8. Sagens, prope eſt Löwenberg, ubi barones de Monte. 9. Sebis. 10. Seth. 11. Uberſaxen cum filia ad *S. Martinum*.

Pars Longaniziensis:

1. Camons. 2. Combels. 3. Igels. 4. Lomberin, quo ſpectat *Surrein*. 5. Neukirch. 6. Pleiff ſeu Wila, cuius filiæ *Moriſsen*, *Paiden* et *Rumein*. 7. Terſnaus et filia ad *S. Martinum*. 8. Vals. 9. Ubercaſtels. 10. Vigens. 11. Wrinn.

PARS DESERTINENSIS:

1. Brigels. 2. Danis. 3. Dardin. 4. Davetsch, cuius filiæ *Roeras* et *In Silva*. 5. Disentis, ubi abbatia. 6. Medels cum *Coraglia*. 7. Schlans. 8. Summovicum. 9. Surrein. 10. Trons, ubi fœderis Grisei incunabula; eius filia *Ringgenberg*.

PARS HELVETICA:

1. Ursaria cum filiabus *Hospital*, *Realp* et *Zumdorf*.

V.

CAPITULUM RHÆTICUM SUPRA ET INFRA MURUM.

Tribus partibus constat.

SUPRA MURUM:

1. Alvaschain. 2. Alvenova. 3. Bivium. 4. Brienz vel Brinzols. 5. Conters. 6. Lenz. 7. Molendinum. 8. Monn. 9. Vatium ſuperius. 10. Presanz. 11. Reams. 12. Salux. 13. Schmitten. 14. Sorava. 15. Sovagnino. 16. Stirvis. 17. Sur. 18. Tieffenkasten. 19. Tinizonum.

INFRA MURUM:

1. Almens. 2. Tomilium. 3. Bonadulcia, Bonaduz, inde haud procul arx Reichenau, ubi ambo Rheni confluunt. 4. Cazis, ubi parthenon. 5. Ems. 6. Rätzuns.

CIRCA CURIAM:

1. Curia in districtu aulæ cum abbatia S. Lucii. 2. Churwalden. 3. Trimis. 4. Vatium inferius. 5. Zizers cum monte *S. Antonii*.

VI.

CAPITULUM MISAUCINUM ET CALANCENSE.

PARS MISAUCINA:

1. Cama cum filia *Leggia*. 2. Grono. 3. Lostallo cum filia *Gabiolo*. 4. Misaucum. 5. Soazza. 6. Verdabbio. 7. S. Victoris ecclesia collegiata. 8. Roveredo.

PARS CALANCENSIS:

1. Arvigo. 2. Auggio. 3. Braggio. 4. Busen. 5. Cauco. 6. S. Domenica. 7. Landerenca. 8. S. Maria. 9. Rossa. 10. Selma.

Parœciæ catholicæ in tota diœcesi 198. et ecclesiæ filiales 61.

Porro plurimæ ſunt acatholicorum parochiæ, quæ Calvini et Zwinglii tempore legitimæ episcopi Curiensis potestati se ſubtraxerunt, quarum præcipuas nominare iuvat. Secessit inprimis integrum capitulum Engadinæ tam ſuperioris quam inferioris. Pagi memoratu digniores ſunt: Silium, S. Mauritius, Celerina, Pontaresina, Samadenum, Beverum, Madulenum, Zutium, Scamfium, Zernetium, Ardetium, Scolium, Eremusium etc. etc.

In capitulo infra Langarum amissa ſunt Maienfeld, Malans, Ienins etc.

In parte Foppensi capituli Rhætici: Ilantium, Feldsberg, Taminis, Valendaunum etc. etc.

Circa Curiam: Integra urbs Curiensis cum parœciis S. Salvatoris et SS. Felicis et Regulæ, Marschlins, Maladers, Masans; et ex fœdere X. iudiciorum ferme omnia, v. g. Grüsch, Ienaz, Davosium, Longumpratum et alia plura loca, quæ ut ad avitum pastorem redeant, medullitus precamur.

PARS I.

CORRIGENDA.

IN PROLEGOMENIS.

Pag. VII. beatum *lege* Beatum.

IN ANNALIBUS.

Pag. 36. Cap. VI. *lege* Dissertat. IV.
- - 95. CONRADUS III. *lege* CONRADUS II.
- - 129. CONRADUS IV. — - - - - III.

IN CODICE PROBATIONUM.

Pag. 1. Tyrranidem *lege* tyrannidem.
- - 11. fide millorum *lege* fidem illorum.
- - 71. N. LXIII. nota *l* omittenda.
Ibid. N. LXIV. nota *a* ordine quartus *lege* ſecundus.

PARS I.

ANNALES EPISCOPORUM
CURIENSIUM.
SECULUM V.

I.
S. ASIMO.

Med. ſec. V.

I. Quum incertum omnino ſit, quis primus ecclesiam Curiensem vel fundarit, vel rexerit, nec ulla, quæ nos edoceant, antiquitatis monumenta habeantur; S. Asimonem primo loco ponendum duxi, non quod eum reapse primum fuisse adseverem, ſed quod illo priorem repererim neminem.

II. Occasione œcumenicæ ſynodi Chalcedonensis quartæ Asimonis nomen posteritati innotuit, alias ignoraremus. Celebrata ea fuit anno 450. Octobri mense, cui quidem non ipsus interfuit Asimo, neque Abundantius Comensis episcopus; quum præter tres ſedis apostolicæ legatos ex ecclesia latina nullus præsulum interfuisse legatur. Agebatur causa Dioscóri et Eutychetis, qui a ſynodo damnabantur. Ea finita hinc inde varia concilia provincialia convocata fuere, quibus decisio Chalcedonensis confirmabatur. Sic S. Eusebius Mediolanensis archipræsul comprovinciales ſuos anno 452. Mediolanum convocavit, ubi præter Eusebium adfuerunt Faventius Regiensis, Maioranus Placentinus, Cyprianus Brixillensis, Quintinus Dertonensis, Crispinus Ticinensis, Maximus Taurinas, Florenis presbyter loco Eulogii Iporiensis, Gradus presbyter vice Eustasii Augustani, Cyriacus Laudensis, Abundantius Comensis pro se, et Asimone Curiensi, Paschasius Genuensis, pastor Astensis, Simplicius Novariensis, Ioannes Cremonensis, Octavianus Brixiensis, Iustinus Vercellensis, Quintius Albingaunensis, et Præstantius Bergomas, episcopi novemdecim. Abundantius Comensis in hæc verba ſubscripsit: *Ego Abundantius episcopus ecclesiæ Comensis in omnia ſupra ſcripta pro me, ac pro absente ſancto fratre meo*

ASIMONE *episcopo ecclesiæ Curiensis primæ Rhætiæ ſubſcripſi*, *anathema dicens his*, *qui de incarnationis dominicæ ſacramento impie ſenſerunt.* Hæc legimus in ipsius Eusebii Mediolanensis epistola ad Leonem papam data *a*).

III. Cæterum vixit S. ASIMO tempore admodum calamitoso; ſiquidem Dei flagellum rex Hunnorum Attila e Pannonia erumpens omnia longe lateque devastavit. Qui dum ſub anni 451. initium in Galliam irrueret, regionesque feroci impleret milite; fieri non potuit, quin Rhætiam quoque arroserit. Alemanni insuper Rhenum transgressi Sequanorum partem, Turgoviam, Valesiam, ac primam Rhætiam ſibi vendicarunt, uti ex Beato Rhenano refert Crusius *b*). Inde factum, ut gentiles, qui christianis permixti vivebant, caput denuo cœperint attollere, incitati procul dubio alemannicis ſuperſtitionibus. Testari id videntur variæ adversus idololatras epistolæ, quas imperatores hoc tempore tulerunt. Dubitandum proinde non est, quin communes æque, ac continui bellorum ſub Attila tumultus fidei christianæ bonisque moribus plurimum obfuerint, ac emorituram ſuperſtitionem hinc inde resuscitarint. Malorum cumulum auxere hæreses, quæ ex agro Mediolanensi alpes pervaserunt. Constans apud Rhætos traditio est, ſcriptorum illius gentis calculo firmata *c*), Theodosium imp. S. Ambrosii Mediolan. hortatu Arianos exilio mulctasse, atque in refractarios exercitu immisso intra iuga Bormiensia magna clade animadvertisse. In cuius rei testimonium ingentis magnitudinis ossa variumque armorum genus, pugnæ olim commissæ testes, adhucdum reperiri perhibentur. Interim gigantum exuviæ et arma bellica arianismum non produnt; concludere tamen ex temporum circumstantiis licet, tam bella quam hæreses S. ASIMONI multum negotii facessivisse, ac etiam fortassis impedivisse, ne ad concilium Mediolanense proficisceretur.

IV. Italiam insuper tunc temporis arroserat manichæa lues, quam S. Leo papa ſuffocare ſummo ſtudio conatus est. Eapropter ad omnes Italiæ episcopos litteras dedit *d*), quibus eos hortatur, ut vigilarent, ne plebs ipsis commissa a transfugis hæreticis perverteretur. „Quia aliquantos de his, ſcribit pontifex, quos ne absolverentur, arctior reatus involverat, cognovimus auffugisse; hanc ad dilectionem vestram epistolam misimus, ut effecta certior ſollicitius agere dignetur et cautius, necubi *manichææ* perversitatis homines plebes vestras facultatem lædendi, et huius ſacrilegii possint invenire doctores.„ Si ulla regio, certe Rhætia, et Italis contigua, et percommoda latere volentibus eiusmodi transfugis patuit: id quod præsulum

a) Pet. Crabbe Concil. T. I. p. CCCLXIII. *b*) Annal. Suevic. P. I. L. 8. p. 203. *c*) Guler. Lib. XI. p. 171. Sprecher. Pall. rhæt. L. X. p. 276. Ros. a Porta T. I. p. 31. *d*) Labb. Collect. concil. T. III. p. 1295.

Curienſium vigilantiam multum exercere debuit. Quo anno deceſſerit Asimo, ignotum; colitur eius memoria tanquam ſancti in diœceſi Curienſi XIV. Cal. Februarii, nulli tamen martyrologio inſcriptus.

II.
PRURITIUS.
Circa annum 460.

V. Succeſſorem nactus eſt S. Aſimo ſuum diſcipulum Pruritium ſeu Puritium, cuius, uti ſequentium geſta temporum iniuriæ nobis ſurripuerunt. Nec mirum, tantæ enim tunc temporis Europam, et Italiam præſertim, calamitates inundaverunt, quantæ vel cogitari poſſunt. Gothi, Hunni, Rugi, Heruli, Gepidæ, truceſque Alemanni cuncta infeſtis armis vaſtavere, gentes partim idololatriæ, partim arianiſmo deditiſſimæ. Mirandum ſane, fidem chriſtianam non penitus extinctam fuiſſe. Deplorat S. Petrus Chryſologus ævi illius ſcriptor ſermone 104. de Calendis Ianuarii craſſam gentilium ſui temporis ſuperſtitionem *a*): „Hodie, inquit, gentiles deos ſuos fœditatibus exquiſitis, excogitato dedecore, et ipſa turpitudine turpiores videndos trahunt, diſtrahunt, pertrahunt, quos faciunt non videndos.„ Et Salvianus Maſſilienſis ſeculi quinti, quo vixit, ulcera graphice depingit *b*) in hunc modum: „Omnes admodum in perditionem ruunt, aut certe, ut aliquid dicam lenius, pene omnes. O miſeriam lachrymabilem! o miſeriam luctuoſam! quam diſſimilis eſt nunc a ſeipſo populus chriſtianus! — — pene omnia fiunt, quæ etiam quondam pagani veteres frivola atque irridenda duxerunt.„ Et paulo inferius: „Sed videlicet reſponderi hoc poteſt, non in omnibus hæc Romanorum urbibus agi; verum eſt, etiam plus ego addo, ne illic quidem nunc agi, ubi ſemper acta ſunt antea. Non enim hoc agitur iam in Moguntiacenſium civitate; ſed quia exciſa atque deleta eſt: non agitur Agrippinæ; ſed quia hoſtibus plena: non agitur in Trevirorum urbe excellentiſſimâ; ſed quia eſt quadruplici everſione proſtrata.„ Ruſumque: „Fragor, ut ita dicam, extra muros, et intra muros præliorum et ludicrorum: confunditur vox morientium, voxque bacchantium.„ Intus nimirum gentilium ſpurcitiæ, foris barbarorum ac hoſtium ſibi invicem ſuccedentium vaſtationes miſerrimam ac maxime lugubrem orbi faciem induebant. Nullus tunc rex catholicus, ut bene advertit Baronius ad ann. 476. alicui ſaltem vel

a) S. Pet. Chryſol. Opera Auguſtæ edita a. 1758. p. 218. *b*) Lib. VI. de Gubernat.

exiguæ provinciæ dominabatur; omnia aut arianorum, aut certe gentilium tyrannidi ſuberant.

VI. Si in cultiſſimis regionibus, si tota in Europa tanta tunc barbaries, tanta ruina morum, et tam atrox ipſius religionis periculum; quam horrida demum Rhætiæ facies fuerit, ubi barbarum ſolum pacatis etiam temporibus ſaniori cultui aditum occludere debuit? Hinc certe est, quod de episcopis huius ſeculi vix quidpiam memoriæ proditum habeamus, præſertim quum disciplina arcani, ſolita tunc temporis, quo christiani gentilibus miſcebantur, religio plura geſta ſacro ſilentio tegere conſueverit.

III.
CLAUDIANUS.
Circa annum 470.

VII. Tres ſuperſunt hoc ſeculo adhuc locandi episcopi Curienses, quorum vix nomina novimus ex catalogis a Gulero, Sprechero, Tſchudio etc. concinnatis. Omnes Pruritio CLAUDIANUM ſufficiunt, qui tempore S. VALENTINI Rhætiarum apostoli præfuiſſe creditur. De S. VALENTINO fuſius agunt hagiographi Antverpienses ad diem 7. Ianuarii *a*), et Ioſephus Reſchius *b*). Prima illius mentio occurrit apud Eugippium abbatem Italum, qui ineunte ſeculo VI. ſcripſit *c*), in vita S. Severini cap. 41. in hæc verba: „Epiphaniorum die, quum S. Lucillus presbyter *abbatis ſui* S. VALENTINI *Rhætiarum quondam episcopi* diem depoſitionis annua ſolemnitate in craſtinum celebraturus ſollicitus intimaſſet; idem famulus Dei ita respondit: Si beatus VALENTINUS hæc tibi celebranda ſolemnia delegavit, ego quoque tibi in eodem die vigiliarum mearum ſtudia obſervanda migraturus e corpore derelinquo.„ Exinde patet, S. VALENTINUM non ſeculo IV. ut proprium Curienſe et Ioannes Flugius tradunt, qui obitum eius ad ann. 340. refert, in Rhætia prædicaſſe, ſed ſeculo demum quinto. Si enim S. Lucillus eiusdem fuit diſcipulus, qui cum S. Severino ant eſeculi V. finem adhuc ſuperſtes erat, S. VALENTINI obitus ultra integrum ſeculum differendus erit, quod bene advertunt Hanſizius *d*) et Reſchius *e*), contigitque non 17. ſed 7. Ianuarii die, quæ eiusdem depoſitionis anniverſaria dicitur; hocque ex ſuppari ſcriptore Eugippio colligitur.

a) Bolland. T. I. Ian. p. 368. *b*) Annal. Brix. T. I. p. 281. *c*) Marc. Velser. op. Histor. p. 661. *d*) T. I. Germ. S. p. 66. *e*) L. cit.

VIII. Verum ſancti huius viri geſta ex traditione potiſſimum hauſta ſcripſit quidam anonymus Paſſavienſis ſeculo XII, qui teſtatur, in eccleſia Paſſavienſi unacum ſancti corpore anno 1120. inventam fuiſſe tabulam plumbeam, cui aliqua S. VALENTINI acta inſerta fuerant. Teſte igitur tabula vir ſanctus ab oceano, quonam non refertur, Pataviam venit, urbem tunc temporis partim idolis, partim arianiſmo infamem. Ibi quum ſine fructu aliquamdiu prædicaſſet, iterato Romam profectus a ſummo pontifice in epiſcopum conſecratus facultatem obtinuit, quaqua vellet commigrandi. Romanæ eccleſiæ tunc præerat vel Sixtus III, qui ab anno 432. ad ann. 440. clavum tenuit, vel S. Leo I. Magnus dictus, qui ab anno 440. ad ann. 461. eccleſiam rexit. Nam ſi ſerius Romam adventaſſet VALENTINUS, tanta perficere haud potuiſſet epiſcopus, quanta de eo narrantur; quum S. Lucillus eius diſcipulus iam anno 474. ſub S. Severini magiſterio vixiſſe probetur ab Hanſizio *a)*, ac proinde S. VALENTINUM iam hoc ſaltem anno defunctum fuiſſe oporteat.

Quamvis autem apoſtolica facultate inſtructus eſſet, a Paſſavienſibus nihilominus cum iniuria expulſus, divino nutu in Rhætiam conceſſit ingenti cum animarium fœnore; ſiquidem non ſpernendam tum paganorum tum arianorum multitudinem veræ fidei ſubiecit. Sed quasnam potiſſimum Rhætiæ partes peragravit vir hic apoſtolicus? a ſupra laudato anonymo ad montana ſe contuliſſe dicitur, *multosque populos, qui non modo in montanis, ſed etiam vicinis locis, et circa alpes contra Italiam et Inſubres degebant, ſacrum ab eo baptiſma percepiſſe.* Atqui populi, qui *circa alpes contra Italiam et Inſubres* degunt, non alii quam Rhæti eſſe poſſunt, vallium Domeſticæ, Clavennæ, Telinæ ac Venuſtæ inquilini, et Griſones, penes quos hodiedum perantiquum in vico Pingiano ſacellum viſitur huic ſancto devotum.

IX. Extat inſuper prope Finſtermünzium vicus quidam cum eccleſia et xenodochio S. VALENTINI nomine inſignitus. Conſtans quoque traditio eſt, ut fatetur Hanſizius *b)*, ab illo ad alpes Maias prope Meranum baſilicam cum cœnobio extructam fuiſſe, id quod vero eſt ſimillimum; nam S. Lucillus in Eugippio ſupra allegato S. VALENTINUM expreſſe abbatem ſuum vocat. Præterea Meichelbekius in vita S. Corbiniani *c)* ita ſcribit: „Sanctus epiſcopus VALENTINUS, ut, quod vitæ reliquum erat, Deo in ſolitudine dulcius impenderet, prope Maias oratorium ſibi ſtruxerat, ubi demum ſancte mortuus, terræque mandatus eſt. Supereſt in hanc diem ſacellum iſtud; et in vicina arce Neuburg, olim Trautmansdorf dicta, monſtratur locus, cui S. VALENTINI camera nomen hodieque adhæret, veluti recenti-

a) Loc. cit. p. 67. *b)* Loc. cit. *c)* Hiſt. Friſing. T. I. p. 14.

bus litteris nuntiatum nobis Merania vicinissima Maiensibus urbe fuit." Multis ergo pro Christo laboribus perfunctus ſanctissime obiit VALENTINUS in alpibus Maiis circa annum 474. die 7. Ianuarii; ubi ſacrum eius corpus ſeculo adhuc octavo S. Corbinianus religiose veneratus est. Illud haud diu post Tridentum, ac exin Pataviam translatum fuit *a*). Visuntur hodie in Curiensi diœcesi templa quinque S. VALENTINI nomine insignia: videlicet Pingiani in Fœdere griseo, prope Finstermünzum in ditione Naudersbergensi, aliud in monte Heidensi, nec non in vallis Monasteriensis loco Ravair nuncupato, ac demum Caminæ. Eius festum die 23. Ianuarii a Curiensibus celebratur. Habuit certe, quod ſibi ſuoque gregi gratularetur CLAUDIANUS, quum tantam lucem in orientali maxime ſuæ diœceseos parte coruscare cerneret. Quidnam ipsemet pro religione egerit, quove tempore demortuus ſit, antiquitas reticuit.

IV.
URSICINUS I.
Circa annum 485.

X. Quamvis ecclesia Curiensis pressa ſqualluerit, et quasi tenebris hoc tempore ſepulta videri possit; ſupremum tamen numen ſplendida quædam lumina intra alpes immisit, quorum pietate, indefesso ſtudio ac patientia invicta labascens religio fulciretur. Ne anachoretæ quidem Rhætis ante huius ſeculi finem defuerunt, qui morum ſanctimonia fidem alpibus tum implantarunt, tum auxerunt. Percelebris inter cæteros est S. ANTONIUS *Lirinensis* dictus, eoquod carnem Lirini in Gallia posuerit. Qui eius vitam conscripsit Ennodius episcopus Ticini virum ſanctum ex facie nosse potuit; ſcripsit enim circa ann. 510. unde, quæ ſub ſeculi præcedentis finem, in viciniis præsertim, gesta ſunt, eidem ignorare haud licuit. Extant Ennodii opera in bibliotheca patrum a Gallandio congesta, quæ inter S. ANTONII vita *b*), cuius ſynopsin, quum res rhæticas tangat, heic ſistimus.

XI. Ortus est ANTONIUS patre Secundino viro nobili in primaria Pannoniæ urbe Valeria, quæ a Galerii Maximiani uxore nomen ſortita est. Adhuc iuvenis in S. Severini disciplinam traditur. Eo autem brevi post in cœlos abeunte, ANTONIUS curæ Constantii antistitis Laureacensis patrui ſui se commisit, ſub utriusque magiste-

a) Resch. Annal. Brix. T. I. p. 289. *b*) T. XI. p. 156.

rio omnium virtutum genere clarus. Poſtquam vero etiam Conſtantius defunctus esset, in vallem Telinam delatus est, ubi Marii cuiusdam presbyteri, qui dæmonibus pellendis famosus erat, amicitia et consortio usus, tantos in virtute progressus fecit, ut oblatam a Mario ſacerdotii dignitatem ſumma animi demiſſione respueret. Quæ heic ſit laudabilis Marii mentio, et ANTONII in vallem Telinam discessus comprobant, altas iam tum radices religionem christianam egisse ea in regione; ex qua deinceps profugus vir ſanctus, ne honorum, quos averſabatur, lenocinio corrumperetur, ſupra lacum Comenſem ſeu Larium ſeceſſit, ſibique circa Summolacum, ubi S. Felicis ſepulchrum visebatur, habitaculum in horrido monte ſelegit, assumtis leguminibus quibusdam, et ligone, quo terram foderet. Illuc adventans præter ſpem duumviros eremicolas invenit ſenio graves, asperitate loci induratos, ac ſanctitatis ſplendore coruſcos. Crediderim, quosdam, ut arianorum furorem et præliorum tumultum vitarent, antris abdidisse ſemet, atque austeritatem eremi ſocietatis periculis præhabuisse. Hausit certe Rhætia ex eorum vivendi ratione ſidei pietatisque augmentum. Interea quum alter illorum ad cœlestia transiret, S. ANTONIUS fama pedetentim toti regioni innotuit, plurimosque ad eremum accerſivit; qua re denuo fugatus in ſecretius ſe latibulum abdidit. Verum et heic virtutum fulgore proditus, ut erat laudum pertæsus, ad Lirinense monasterium transmigravit, cellula in alpibus fratribus dimiſſa, in quam plures pietatis amore convolaverant, qui forte in Rhætia ac vicinis Italiæ regionibus persecutione premebantur; alpes enim afflictorum, qui latere desiderabant, nunquam non refugium fuerunt. Meminit Gulerus in ſua Rhætiæ descriptione *a*) templi cuiusdam S. ANTONII nomine insigniti, quod haud procul a Plurio in præaltis ac horridis rupibus eminet in Clavennæ comitatu: quid? ſi hic loci illorum anachoretarum, et S. ANTONII cellam fuisse ſuſpicaremur? ſaltem a Summolacu, ubi passus est S. Fidelis, de quo in prolegomenis quædam, et circa quem habitasse ANTONIUS dicitur ab Ennodio, non longius distat. Vir ſanctus tandem in Lirinensi abbatia circa ſeculi V. finem animam Deo reddidit. Eius memoria a Curienſibus 29. Ianuarii recolitur; in martyrologio autem Romano die 28. Decembris. Circa S. ANTONII tempora Curiæ præfuisse creditur URSICINUS, de quo, præter nomen, nihil posteritati relictum.

a) Pag. 196.

V.

SIDONIUS.

Sub fin. ſec. V.

XII. Quum ante ſeculi huius finem Theodoricus Gothorum rex Odoacro ſubacto Italia et Rhætia potiretur, eccleſiam Curienſem gubernavit SIDONIUS, quem ob monumentorum inopiam nominasse ſufficiat. Rhætis regio nomine tunc præerat *Servatus* dux, ad quem Theodorici regis epiſtolam recitat Cassiodorus *a*), qua rex ducem adhortatur, ne ullam in provincia ſibi commissa violentiam fieri patiatur, curetque mancipia a Breonibus, ingenii ferocis hominibus, Maniario cuidam ablata reſtitui. Breones iſti ſeu Breuni Oeni fluvii accolæ fuerunt, prout hodiedum Engadini et proximi Tyrolenses *b*). De iis dicta epiſtola ſic loquitur: „Breones militaribus officiis assueti civilitatem premere dicuntur armati, et ob hoc iuſtitiæ parere deſpiciunt, quoniam ad bella martia ſemper intendunt, dum neſcio quo pacto assidue dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram.„ Ex quo teſtimonio facile apparet, SIDONIUM, cæterosque huius ævi præſules Curienſes in efformandis ad evangelium moribus penes gregem tam ferum vix quidpiam potuisse effectui dare; præſertim quum Alemanni Rhætiam regni Gothici tunc limitem ferme ſemper infeſtarint, adverſus quos Theodoricus ducem ſapienter præmunire conabatur, ut ex formula ducatus Rhætiarum patet apud eundem Cassiodorum *c*): „Multum his creditum videtur, ait formula, quibus confinales populi deputantur, quia non eſt tale pacatis regionibus ius dicere, quale ſuſpectis gentibus assidere, ubi non tantum vitia, quantum bella ſuſpecta ſunt. — *Rhætiæ namque munimina ſunt Italiæ, et clauſtra provinciæ, quæ non immerito ſic appellata esse iudicamus*, quando contra feras et agreſtisſimas gentes, Alemannos intelligit, velut quædam plagarum obſtacula disponuntur.„ — — Vetat deinde, ne gentiles iſti temere in militiam ſuſcipiantur.

XIII. Barbariem quidem iſtam paulisper emolliit fauſtissima Clodovei ad fidem chriſtianam converſio, quæ ante huius ſeculi finem contigit; aſt parum commodi exinde Rhætia hauſit, utpote Gothis ſubiecta: falſum namque eſt, Rhætias quoque a Clodoveo poſt pugnam Tolpiacenſem ſubactas fuisse, quemadmodum Cruſius *d*), aliique fingunt. Perperam inſuper S. Fridolinus hoc tempore in Alemannia et Rhætia prædicasse creditur, quod ſuo loco videbimus.

a) Tom. I. Variar. L. I. p. 8. edit. Venet. *b*) Tſchud. Gall. comat. p. 277. *c*) Variar. L. VII. Form. IV. p. 104. *d*) Annal. Suev. P. I. L. 8. p. 210. et 213.

SECULUM VI.

VI.

EDDO.

Sec. VI. ineunte.

I. S. Valentianum, qui iuxta inferius dicenda anno 548. obiit, in Curienſi ſede præceſſit Eddo. Hic proin cum ſuo antecesſore Sidonio ſeculi VI. initia usque ad annum circiter 530. confeciſſe creditur. Eo quidem tempore Rhætia ſub Theodorici, Amalaſunthæ et Theodati regimine plerumque pace fruebatur; attamen impleta ſemper copioſo milite, prout vix ante vidimus, turbis carere non potuit.

VII.

S. VALENTIANUS.

Usque ad annum 548.

II. Anno 535. bellum Gothicum exarſit, quo Italia, vicinaque Rhætia rurſus maximarum calamitatum theatrum extiterunt. Illinc Iuſtinianus Orientis imperator, hinc Francorum reges illas regiones pulſis Gothis ditioni ſuæ adiungere vi dolove tentarunt. Inter cæteras urbs Mediolanenſis, teſte Mario Aventicenſi, a Gothis et Burgundionibus anno 538. effracta eſt, ibique ſenatores ac ſacerdotes unacum plebe interfecti in templis fuerunt, ita *ut ſanguine eorum ipſa altaria cruentata ſint.* Metropolitanam ſedem Mediolani tunc tenuit S. Datius, qui ut hoſtium manus evaderet, Conſtantinopolim ad imperatorem confugit *a*). Mox anno inſequenti 539. Theodebertus Auſtraſiæ rex cum ingenti exercitu Italiam inundavit, et ſub falſa Gothis adverſus Belliſarium ſuppetias ferendi ſpecie Liguriam, Aemiliamque miſere depopulatus eſt, uti præfatum Marii chronicon refert. Quin ea occaſione Rhætia in Auſtraſiæ regis poteſtatem devenerit, dubitari vix licet. Siquidem Agathias inquit *b*): „Gothi Francis adulantes eorumque amicitiam et benevolentiam ſibi conciliantes e multis locis diſceſſere, et Alemannicam gentem dimittere coacti ſunt —

a) Ughell. Ital. S. T. IV. p. 56. *b*) Bell. Goth. L. I.

quam in ſuam poteſtatem redegerunt Franci.„ Imo teſtatur Procopius *a*), Theodebaldum Theodeberti in Auſtraſiæ regno ſucceſſorem ſibi nullo negotio tributaria feciſſe nonnulla Liguriæ loca, alpes Cottias, agrique Veneti partem maximam. Id quod factu vix fuiſſet poſſibile, niſi propiorem prius Rhætiam alpeſtrem ſubegiſſet. Quocirca Rhætia regni Francici limes effecta eſt, quemadmodum Gothici prius fuerat. Religioni haud modico adiumento id fuit; erant enim Agathia teſte *b*): „Franci omnes chriſtiani, et rectiſſimæ inter cæteros omnes opinionis.„

III. Eccleſiam Curienſem tunc temporis rexit S. Valentianus, de quo monumentum oppido præclarum nupero adhuc ſeculo videbatur, lapis nimirum ſepulchralis in canonia S. Lucii ſupra Curiam, qui modo interiiſſe creditur; quamvis enim anno 1787. cum reverendiſſimo D. Nicolao S. Lucii abbate omnes cœnobii angulos luſtraverim, dictum tamen lapidem detegere non potui: forſan a cæmentariis profanatum hoc pignus antiquitatis, et muro incluſum fuit. Epitaphium lapidi inciſum Tſhudius recenſet in hæc verba *c*): Sce. M. Epcs. hoc eſt S. memoriæ vel ſanctæ Mariæ epiſcopus, in diplomatibus enim vocatur *eccleſia S. Mariæ Curienſis.*

Hoc iacit in tomolo, quem deflevit Retica tellus,
Maxima ſummorum gloria Pontifecum:
Abiectis qui fudit opes, nudataque texit
Agmina, captivis præmia larga ferens.
Est pietas vicina polo, nec funeris ictum
Sentit, ovans factis qui petit astra bonis.
His pollens titulis Valentiane ſacerdus!
Crederis a cunctis non potuiſſe mori.

Subiungitur dein vocibus abbreviatis chronologia in hunc modum: *Qui vixit in hoc ſeculo annis plus minus LXX. depoſitus ſub die VI. iduum Septembris poſt conſulatum Baſilii viri conſularis, indictione XI. Paulinus nepos ipſius hec fieri ordinavit.*

Ex inſigni hoc encomio, et ævi illius circumſtantiis S. Valentiani geſta et obitus faciilime eruuntur. Ac imprimis quidem eum nobilitate clarum, et auctum divitiis fuiſſe oportet, qui opes ſuas in pauperum ſinus tam copioſe profudit. Sæviebat enimvero tunc horrenda fames, et maxima omnium vix non inopia rerum; colligimus id ex quibuſdam apud Caſſiodorum *d*) litteris, quas ſenator prætorio præfectus pro colligenda et diſtribuenda annona dedit, nec non ex S. Datii Medio-

a) Bell. Goth. L. IV. p. 24. *b*) Loc. cit. *c*) Gall. comat. p. 298. *d*) Variar. L. 12. epiſt. 25. 26. et 27.

lanenſis hiſtoria, qua filii a matribus comeſti perhibentur *a*). Bellum quippe Gothicum æque diuturnum ac ſanguinolentum fuit, quod magnam exercitus etiam Francici partem conſumsit; omnibus enim frumentis iam abſumtis, quum nonniſi carnibus alerentur, morbo exinde contracto extincti ſunt. Plurimi certe tunc fuerunt, qui ex Italia in Rhætiam profugi miſeriarum levamina quærebant, multi quoque militum rabie in captivitatem abſtracti, qui dein pro peculio aut annona vendebantur. Erant in Francorum exercitu Alemanni, qui Gothorum uxores, liberosque aquis ſubmerſerunt; quam crudelitatem non tam ſuperſtitionis veſaniæ, ut opinatur Procopius *b*), quam magnitudini famis adſcribendam putem.

Communi hac calamitate tactus S. VALENTIANUS paternum omnibus expandit ſinum, cunctos qua opibus, qua conſiliis iuvit: diſtribuit frumenta, effudit, quibus ea poſſent comparari pecunias; ſubmiſit captivis æs, quo vel ſe redimerent, vel neceſſarium victum compararent: verbo, nihil reliquit intentatum, quo miſeros iuvaret. Eximia et heroica hac ſua caritate omnium ſibi animos devinxit, omnium pater ab omnibus filiali affectu diligebatur. Hinc colligi licet, S. VALENTIANI ſtudia pro ſuo grege adverſus Gentilium et Arianorum errores tutando ſuis miſericordiæ operibus haud minora fuiſſe; ut enim ſana religio tunc intacta ſervaretur, opus erat epiſcopo, qui vigilantia, auctoritate, doctrina, pietate, ac potiſſimum intrepida animi fortitudine quam maxime emineret. Undique eo tempore ſepta malis Rhætia fuit, et ſummis expoſita periculis: a fronte inſtabat Gothus arianus; urgebat a tergo Alemannus maximam partem gentilis adhuc; famis denique bellique furor in latera et viſcera ſæviebat.

IV. Tot malorum fluctibus ut aggerem quemdam opponeret præſul pervigil, aſceterium S. Lucii ſupra ædes epiſcopales inſtituit, et quidem, ut creditum hactenus fuit, ſub S. Benedicti regula. Verum nulla illic Benedictini ordinis monumenta comparent usque ad ſeculi X. finem, quo B. VALENTIANI monaſterium abbatiæ Fabarienſi ſubiectum legitur *c*); creditu præterea difficile eſt, S. Benedicti inſtitutum alpes tam cito per tumultus bellorum penetraſſe. Licet enim S. Maurus S. Patriarchæ iſtius diſcipulus iam anno 543. per Valleſiam in Gallias tranſierit *d*); vix tamen poſſibile videtur, ordinem Benedictinum prope Curiam per quinque ferme ſecula viguiſſe, quin vel unius abbatis aliqua memoria aut veſtigium ſit relictum. Hinc facile adducor, ut credam, S. VALENTIANUM in S. Lucii æde primitus clericos ordinaſſe, qui ſub regulari vita eccleſiæ ſuæ clerum componerent; quemadmo-

a) Ughell. loc. cit. *b*) Bell. Goth. L. 2. c. 25. *c*) Cod. prob. N. XXIX. *d*) Mabill. T. I. Annal. hoc anno.

dum id a pluribus episcopis factum legimus. Sic S. Eusebius Vercellis, S. Ambrosius Mediolani, S. Martinus itidem Mediolani et apud Pictonas, atque alibi alii eosdem monachos instituerunt, quos clericos. Qua de re celsissimus princeps abbas Martinus Gerbertus fusius agit *a*). Quidquid autem ſit, id omnino certum exploratumque est, S. Lucii cœnobium conditum a S. VALENTIANO fuisse, quum iuxta eius nomen a Gregorio V. papa anno 998. B. VALENTIANI *monasterium prope castra Martiola* (ſic ædes episcopi dicebantur) nuncupatum fuerit, ac ibidem ipsemet fundator ſepulturam nactus ſit *b*).

V. Tschudius *c*) insigni cum errore S. VALENTIANUM demum circa annum 638. defunctum ſcribit ſub Iactato Rhætiæ præfecto, qui patrem habuerit Victorem S. Placidi Desertinensis parricidam, qui dicti Iactati fuit proavus *d*). Prædictum vero epitaphium errorem hunc corrigit, dum annum et diem, quo decessit VALENTIANUS certum assignat, nimirum octavam diem Septembris anni 548. quo currebat indictio undecima in lapide ſepulchrali assignata. Basilius, cuius ibidem mentio fit, consulatum inter privatos ultimus adiit anno 541. bene proin post eius consulatum obiisse dicitur ſeptuagenarius. Memoriam ſancti præsulis devote recolunt Curienses die 9. Septembris.

VIII.
PAULINUS.
Ab anno 548.

VI. S. Valentianus ſuccessorem habuit ſuum ex fratre nepotem PAULINUM, qui patruo ſuo ſupradictum monumentum posuit. Quid præterea egerit, quove anno decesserit, ob varias illorum temporum iniurias compertum non habemus.

Celebrabatur anno 553. ſynodus II. Constantinopoli œcumenica quinta, qua tria capitula damnabantur: cuius decisioni quum plures Occidentis episcopi consentire nollent, veriti, ne Eütychianis Chalcedone proscriptis favere viderentur; ſchisma exinde ortum, cuius Aquileiæ et Mediolani antistites primarii auctores erant, qui anno 557. Aquileiæ conciliabulum congregarunt *e*). Suspicari licet,

a) Hist. Silv. nigræ T. I. p. 17. etc. *b*) Cod. prob. N. XXIX. *c*) Gall. comat. p. 298. et 316. *d*) Cod. prob. N. II. not. *i*. *e*) Mansi Collect. concil. T. I. col. 437.

episcopum Curienſem ſuum metropolitam ſequutum ſchismati quoque adhæsisse; quod ei vitio verti nequit, ſiquidem ſchismatici non tam voluntate, quam zelo et ignorantia peccaverunt *a*).

IX.

THEODORUS.

Circa fin. ſec. VI.

VII. A Paulino usque ad medium ſeculi VIII. incerta episcoporum ſeries: discrepant inter ſe catalogi, qui diverso ordine præſules recenſent, imo aliquos plane omittunt. Inter Paulinum et Tellonem, qui circa annum 758. præesse incœpit, octo tantum episcopos reperio, quorum ſat longum fuisse regimen oportet, quum a Paulini obitu, qui tamen incertus est, ducenti ferme anni præterlapsi ſint. Forte tamen is, eiusque ſucceſſor reliquam ſeculi VI. partem emenſi ſunt; forte etiam ſedes non ſemel per plures annos vacavit. Id obiter adnotamus, Bucelinum, et qui eum ſequuntur, in texenda Curienſi chronologia toto cœlo aberrare, ut infra palam fiet.

Paulino igitur in cathedra Curienſi ſuffectus creditur THEODORUS, de quo præter nomen nihil ſupereſt. Vixit tempore belli Longobardici, quo, ut refert Paulus diaconus *b*): „Spoliatis eccleſiis, interfectis ſacerdotibus, civitatibus ſubrutis, populisque extinctis, Italia ex maxima parte capta, et a Longobardis ſubiugata est.„ Nec his contenti barbari Gallias quoque adgreſſi ſunt, *tantamque*, ut idem refert *c*) *ſtragem de Burgundionibus fecerunt, ut non possit colligi numerus occiſorum.* Hinc Franci vim vi repellendam rati ſupra Gothardi montem difficili itinere effuſi per vallem Telinam agrum Tridentinum occuparunt, urbemque depopulati ſunt. Curienſis igitur ecclesia utrimque concutiebatur, ut nemini mirum videri debeat, nihil de illius temporis præſulibus memoriæ proditum haberi.

a) Conf. Reſch. Annal. Brix. ſec. VI. §. 10. ſeqq. *b*) Geſt. Longob. L. II. c. 32. apud Murat. Script. rer. Ital. T, I. *c*) L. III. c. 3. 4. et 8.

SECULUM VII.

X.

VERENDARIUS I.

Annis incert.

I. Credibile est, turbulentis istis temporibus ſedem Curiensem annis aliquot vacasse; nam usque ad Paschalem, cuius initia ad annum 680. ponemus, nonnisi duos episcopos invenimus, qui 80. ſaltem annis præesse debuissent. Accedit, quod anno 616. vel ſequenti, quum Ioannes diaconus in Constantiensi ſynodo istius ecclesiæ præsul eligeretur, nulla alicuius episcopi Curiensis mentio occurrat, quamvis Ioannes Curiensis diaconus fuerit. Proximus interea, qui cathedram tenere cœpit, Verendarius fuit, de quo quum nihil certi nobis constet, ad certiora, quæ Rhætiam quoquo modo illustrarunt, progredimur.

II. Fidei lumen, quod gliscens adhuc hinc inde gentilismus et hæresis ariana multum offuscarunt, ut alibi gentium, ſic et in Rhætia denuo magis magisque accenderunt apostolici viri, ſancti *Columbanus* et *Gallus:* ille quidem e Luxoviensi monasterio Brunechildis iniuria pulsus circa annum 610. primum Tucconiam, ubi Limagus fluvius Turicino lacui miscetur, dein Arbonam, ac demum Brigantium advenit *a*), ibique per triennium Suevis, Helvetis, Rhætisque evangelium prædicavit. Quo tempore quum dira fames eam regionem opprimeret, vicinus quidam episcopus ſancto viro frumenti copiam ſubmisit, ut refert eius biographus Ionas Bobiensis *b*) in hæc verba: *Quidam pontifex ex vicinis urbibus frumenti copiam divina admonitus aspiratione ad beatum Columbanum direxit.* Præter Constantiensem nullus episcopus, quam Curiensis, S. Columbano vicinior esse potuisset, qui illam beneficentiam exerceret. In Italiam ſecedens S. Columbanus S. Gallum apud Brigantium, ſanctum vero Sigisbertum discipulos apud Ursariam reliquit, de quo redibit ſermo in parte III. ubi de monasterio Desertinensi agemus.

Interim S. Gallus diœcesin Curiensem ſubiens aliquamdiu in vico Quadravedes, hodie Grabs, commoratus amicitiam cum Ioanne diacono contraxit, quem ſibi discipulum assumserat *c*). Ioannes ille per triennium in ſacris litteris a S. Gallo eru-

a) Mabillon. Acta SS. Ord. S. Ben. ſec. II. p. 231. ſeq. *b*) Ib. p. 261. n. 54. *c*) Ib. p. 239. et 241.

ditus, poſt Gaudentium epiſcopus Conſtantienſis evaſit, quod proin anno 617. circiter contigit; nam S. Gallus ad ſummum annos quatuor a ſui magiſtri in Italiam diſceſſu usque ad Ioannis electionem exegit. Hinc errant, qui Gaudentii mortem ad annum 622. differunt. Hoc autem defuncto Alemanniæ dux Gunzo, qui Uberlingæ, Iburingas Wallafridus vocat, ſedem tunc habebat, Conſtantiæ pro eligendo ſucceſſore ſynodum congregavit, ubi multo cum clero aderant Auguſtodunenſis, Virdunenſis et Spirenſis epiſcopi. S. Gallus cum ſuo diſcipulo Ioanne diacono iuxta ducis voluntatem pariter aderat, oblatumque epiſcopatum recuſans, dictum Ioannem propoſuit, qui flens et invitus ab omnibus electus atque conſecratus eſt *a)*.

III. Teſtimonio iſta narratio eſt, eccleſiam Curienſem viris zelo et ſanctimonia claris non caruiſſe, cui magnum ſplendorem conciliavit S. Fridolinus, qui circa medium huius ſeculi VII. Curiam advenerat. Omnes quidem hactenus apoſtolici huius viri in Germaniam et Rhætiam adventum poſt ſeculi VI. initium collocaverunt; aſt perperam, ſicut Martinus Gerbertus princeps abbas noſter demonſtravit *b)*; is Cointium imprimis, qui difficultates nonniſi figmentis rumpere ſolet, eleganter depexum ſiſtit, probatque S. Fridolinum Clodoveo ſecundo, non primo, regnante patriam noſtram peragraſſe; Baltherus enim, qui ſeculo X. S. Fridolini geſta ex traditione conſcripſit, teſtatur, locum Secaniam, quem ex dono regis S. Fridolinus pro conſtruendo ibi cœnobio acceperat, *ad regalem Clodovei poteſtatem ab antiquis temporibus pertinuiſſe.* Atqui Clodoveo I. nullum unquam ius in Secaniam Burgundiæ tunc adnexam competere potuit; bene vero Clodoveo II. qui anno 638. regno Neuſtriæ et Burgundiæ, ac poſt anno 650. Auſtraſia quoque potitus eſt *c)*. Exinde itaque oſtenditur, omnia, quæ a S. Fridolino circa nos geſta narrantur, ſeculo demum VII. ſub Clodoveo II. contigiſſe.

Quæ hiſtoriam Curienſem tangunt, ſic narrat Baltherus *d)*: „Ab Argentinenſi dum pergeret civitate Fridolinus, per monaſteria Burgundionum ſuum direxit iter in quamdam regionem Rhætiam vocatam, cauſa Curienſem epiſcopum adeundi. Ibidem vero in illa urbe Curia dicta cum interim moraretur, donec ille eccleſiam S. Hilario conſtruxiſſet in ſervitium, et ab ipſius habitatoribus inquireret, ſi alicubi ſcirent aliquam inſulam alveo Rheni circumfuſam, et ab humanis habitatoribus inuſitatam et incultam; reſponderunt, aliam ſe neſcire, abſque cultura ſcilicet humanæ uſitationis, præter unam, ſibi adhuc non bene notam; ſed tamen ubi

a) Conf. Harzh. Conc. Germ. T. I. p. 24. *b)* Hiſt. Silv. nig. T. I. p. 24. *c)* Gabr. Daniel Geſch. von Frankr. T. I. p. 403. ſeqq. *d)* Bolland. T. I. Mart. p. 438.

esset eadem insula, et per quam viam illuc venire deberet, insinuabant.„ Ex hac Baltheri narratione patet, VERENDARIUM I. ſaltem circa medium ſeculum VII. ecclesiam Curiensem rexisse; nam hocce tempore S. Fridolinus Curiam advenerat, priusquam Secaniam adiens illam a Clodoveo II. rege obtineret; id quod ante annum 655. quo rex obiit, contigisse oportet. Liquet porro Curiensem episcopum virtutum fama claruisse, cuius visendi gratia S. Fridolinus tam arduum per Burgundiam et Rhætiam confecit iter; quocum non modico tempore conversatus est; cuius demum facultate et impensis in S. Hilarii honorem templum prope Curiam extruxit. Comparent etiamnum trans Plessuram amnem, qui urbem alluit, antiquæ ædis rudera, locoque a S. Hilario inditum nomen.

IV. Cointius *a*) ex Colgano refert, octo monasteria, ſeu oratoria diversis in locis a S. Fridolino extructa fuisse, et quidem Curiæ in Rhætia duo, quintum ſcilicet et ſextum: unum quidem illud iam memoratum S. Hilarii est, alterum vero assignari certo non potest, nisi forte illud in monte S. Victoris ſit prope campum S. Petri et Rancwilam, quod Franciscani hactenus incoluerunt. Nam in diplomate Caroli Crassi imp., quo dictus mons anno 882. 23. Sept. monasterio S. Galli donatur *b*), ita legitur: *Quemdam montem, quo reliquiæ et ecclesia S. Victoris constructa esse dinoscitur, atque religioso quorumdam Scotorum conventu incolitur, ad monasterium S. Galli contulimus.* Iam notum est, monasteria *Scotorum* in Germania a primis eorundem habitatoribus *Scotigenis* nomen trahere. Nisi proin S. Eusebius pariter Scotigena primus fuerit, qui ſeculo nono medio montem S. Victoris incoluit, de quo ſuo loco; valde tentor, ut ſuspicer, S. Fridolinum istius oratorii auctorem fuisse, quum præter S. Hilarii templum Curiense, nullum aliud in tota diœcesi a S. Fridolino fundatum reperiri possit. Quidqnid autem ea de re ſit, ex hactenus dictis constat, omnes, si quæ ſuperfuerint, idololatriæ reliquias ex episcopatu Curiensi hoc ſeculo facile eliminatas fuisse. Id enim ſanctis istis triumviris Columbano, Gallo et Fridolino propositum fuerat, ut, quocunque devenirent, pulsa ſuperstitione fidem christianam restituerent.

a) Annal. Franc. T. I. p. 273. *b*) Neugart Cod. diplom. Alem. T. I. p. 430.

XI.
RUTHARDUS.

Ante annum 680.

V. Quamvis de RUTHARDO nihil compertum habeamus, illud tamen certum est, multum errare Bucelinum, qui eum circa ſeculi ſequentis medium ponit, quo tempore Ursicinum II. præfuisse infra demonstrabimus. RUTHARDUM ante annum 680. collocandum esse, ſubsequentium præsulum ſeries evincit; vixisse illum existimem eo tempore, quo Avares ſeu Hunni, cruda gens et effera, ex Foroiuliensi prælio in Rhætiam irruperunt, omniaque rapinis et incendiis devastarunt, a quibus florentissimum iam tunc Desertinense monasterium, monachis partim cæsis, partim fugatis, penitus excisum est, et quidem anno 670. tertio nonas Augusti, ut ex veteri codice tradit Mabillonius *a*). Verum haud diu post latrones isti a Rhætis inclusi in campo Dislano prope Desertinam ferme omnes trucidati ſunt.

XII.
PASCHALIS.

Ab anno circ. 680.

VI. Fuit PASCHALIS Brigantii comes ex illustri præsidum Rhætiæ familia prognatus, nepos Victoris tyranni, qui S. Placidum Desertinensem anno 632. decollari iussit, et Vigilii præsidis primogenitus *b*). Uxorem prius habuit PASCHALIS Aesopeiam, ſeu ut alii legunt, Episcopiam, matronam ſanctitate celebrem, ex qua binos ſuscepit filios, Victorem postea episcopum, et Iactatum Rhætiæ dehinc præfectum; totidemque filias Vespulam, et Ursicinam ambas postmodum moniales. Aetate iam provectior ſacerdotio initiatus, ecclesiam Curiensem regendam ſuscepit post mortem Ruthardi ante ſeculi VII. finem, non autem anno 754. uti ex Bucelino mentitur Cointius *c*). Quod autem hoc ſeculo iam fuerit episcopus, patet ex testamento, quod Tello iam ſenex anno 766. condidit *d*), ubi Iactatum avum

a) Annal. Bened. L. 16. c. 8. p. 504. *b*) Cod. prob. N. II. not. *i*. *c*) Annal. Franc. T. V. p. 461. *d*) Cod. prob. N. II.

ſuum vocat, qui Paschalis noſtri filius fuit. Qua vero ratione Paschalis Tellonis ann. 766. iam ſenis proavus eſſe potuiſſet, ſi epiſcopatum demum ſeculo octavo medio adiiſſet? Ad hæc Paschalem inter et Tellonem omnino quatuor epiſcopi reperiuntur, quibus nullus locus ſupereſſet, niſi Paschalis regimen anticiparemus, cuius initia ſaltem ad annum 680. merito referimus.

Confirmat hanc ſententiam lapis ſepulchralis, quem Victor Paschalis nepos atavo ſuo Victori tyranno poſuit, quique in abbatia S. Lucii olim videbatur, deſcriptus barbare a Tſchudio et aliis *a*); latine vero ſic ſonat: *Hic ſub iſto lapide marmoreo, quem Victor vir inluſter præſes ordinavit venire de Triento, hic requieſcit clariſſimus Victor* PROAVUS *domini* Victoris *epiſcopi, et domini* Iactati. Hoc epitaphio ſtabilitur genealogia, quam in notis ad Tellonis teſtamentum dabimus; quumque Victor epiſcopus et Iactatus in eodem nominati Paschalis ex Aeſopeia filii fuerint; epiſcopalem patris dignitatem ultra 70. annos, ne dicam plures, prius anticipari oportet, quam creditum hactenus fuit.

VII. Cæterum de illius geſtis parum nobis conſtat. Suſcepto epiſcopatu pro coniuge et filiabus monaſterium conſtruere cœpit in valle, quæ hodie Domeſtica, Domleſch, dicitur, in loco Caz; verum morte præventus opus cœptum perficere non potuit. Id commonſtrat inſcriptio ad parietem templi Cacienſis, quam Gulerus *b*) et Sprecherus *c*) exhibent in hæc verba: *Victor epiſcopus Curienſis unacum matre ſua fundator huius monaſterii, et cum ea* Paschalis *epiſcopus Curienſis, genitor et anteceſſor eius.* Hoc teſtimonio confunditur opinio Tſchudii, Paschalem Victoris parentem fuiſſe negantis *d*); quaſi vero iuxta leges eccleſiaſticas non potuiſſet primum in matrimonio vivere, ac dehinc thoro dimiſſo epiſcopus fieri, maxime quum eiusdem coniux fœmina ſancta fuerit, unacum filiabus monaſticen profeſſa. Falluntur etiam, qui Paschalem S. Urſicini, de quo poſtea, præceptorem faciunt, nam ſeculi huius VII. finem attingere vix potuit; ſed paucis admodum annis præfuiſſe videtur, alias certe Cacienſis monaſterii ſtructuram conſummaſſet. Mabillonius quidem *e*) aſſerit, in antiquis monumentis tradi, quod S. Urſicinus ſub Paschali et Victore epiſcopis adoleverit. Aſt timeo, ne forte Paschalis, qui ſenex eccleſiæ regimen ſuſcepit, vivis exceſſerit, priusquam Urſicinus naſceretur. Erudite interim advertit idem auctor, Curienſium epiſcoporum ſeriem a Bucelino et Cointio præpoſtere ordinari, eandemque adoptat, quam nos ſtabilimus, eo ſolum cum diſcrimine, quod Paschalem ſerius collocet.

a) Gall. comat. p. 299. *b*) Rhætia fol. 87. *c*) Pall. rhæt. p. 53. et 208. *d*) Gall. comat. p. 299. et 316. *e*) Annal. Bened. T. II. p. 177.

SECULUM VIII.

XIII.

VICTOR I.

Ad fin. ſec. VII. et init. VIII.

I. Itaque ante ſeculi VII. finem adhuc, Paſchali patri defuncto ſucceſſit filius Victor I. Iactati, tunc Rhætiæ præſidis, frater, ſub piiſſimi parentis magiſterio ad omnem pietatem et eruditionem efformatus. Reſpirare tandem ab ærumnis eccleſiæ Curienſi totique Rhætiæ licuit, quum multos per annos tam in ſpiritualibus quam civilibus rebus a familia regeretur, quæ non minus morum ſanctimonia, quam nobilitate claruit. Certe ab obitu Ruthardi uſque ad Conſtantium per centum prope annos ex familia præſidum Rhætiæ, Baldebertum ſi forte ſolum excipias, epiſcopi Curienſes, quaſi hæreditario iure ſeligebantur, præſtantes viri omnes, qui rem ſacram et tuiti ſunt et auxerunt. Victor quidem veſtigiis paternis inſiſtens, ut piiſſimæ matri ſororibusque proſpiceret, cœnobium Caciense ad faſtigium perduxit; iuvenem quoque Urſicinum ſuum conſanguineum litteris et ſanctitate erudiendum ſuſcepit. Id enim tunc epiſcopi Curienſes primis in curis habuiſſe videntur, ut providerent, ne deeſſent idonei viri, qui ipſis defunctis ſuccederent. Hæc autem Urſicini inſtitutio probat, Victorem vix primos ſeculi VIII. annos attigiſſe, quum idem Urſicinus et ſucceſſoris Vigilii magiſterio fuerit uſus, et apud Deſertinenſes anno 721. monachum induerit. Imo ſi verum eſt, quod Sprecherus ſcribit *a*), etiam S. Othmarum, qui anno 720. S. Galli abbas evaſit iuxta Hepidannum, ſub Vigilii diſciplina educatum fuiſſe, dubium non eſt, Victorem plures annos ſeculi præcedentis, quam præſentis octavi ſuo regimine conſumſiſſe *b*).

a) Pall. rhæt. p. 54. *b*) Goldaſt. rer. Alem. ab init.

XIV.
VIGILIUS.

Ante annum 720.

II. Erat VIGILIUS Theusindæ, quam Victor II. Rhætiæ præses uxorem duxerat, frater, prout ex Tellonis testamento colligimus, ubi VIGILIUM ſuum vocat avunculum *a)*. Episcopatum adiit circa annum 710. refert namque Walafridus Strabus *b)* S. Othmarum adhuc puerum in Victoris præsidis ſervitia traditum, magnos in virtute et ſcientiis progressus fecisse, ac ſacerdotio denique initiatum fuisse. Hinc dubium non est, quin instigante Victore VIGILII episcopi institutione usus fuerit Othmarus, atque ab eodem tum ſacerdotii honorem, tum ecclesiæ S. Florini regimen acceperit, ut idem Walafridus testatur. Extat perantiqua hæc S. Florini ecclesia parochialis Eremusii in Engadina inferiore, ad quam anno 930. 9. Aprilis Henricus Auceps vicum Sins non procul dissitum devolvit *c)*. Othmarus iste, dum animarum lucro impigre ſtudebat, adeo ſanctitatis fama celebris evasit, ut Waltramus eremi S. Galli dominus illum anno 720. in abbatem a Victore exposceret, atque facillime impetraret *d)*. Inde palam fit, S. Othmarum primo ſtatim huius ſeculi decennio in Rhætiam venisse, educandum ibi, donec pro abbatis dignitate maturesceret, eodemque tempore ecclesiæ Curiensi VIGILIUM præfuisse. Hæc probabilior coniectura.

III. S. Othmari condiscipulus fuerat S. Ursicinus anno 721. monachis Desertinensibus adscriptus, abbas postmodum et episcopus. Viguit enim vero, ni fallimur, Curiæ ſchola, in qua ſub episcopi providentia ſelectior iuventus ſcientiis, bonisque moribus ornaretur; atque exinde pastores optime instructi in diœcesin fuerunt emissi. Vero ſat ſimile est, S. Lucii ædes prudenti huic consilio destinatas fuisse; ut enim ſupra iam tetigimus, nulla ibi usque ad ſeculum X. instituti Benedictini vestigia apparent. Seminarium igitur quoddam cœnobium istud fuerat habitatum a clero, atque efformandis pro ſacerdotio iuvenibus aptatum. Id eo magis credibile, quum diœcesis Curiensis monasteria tunc eo nondum excreverint, ut ſtudiosæ iuventuti inservire potuerint; Desertina nondum ex ruinis ſurrexerat, et Fabaria erat in incunabulis; priorem Curiensis ſchola primitus celebrem hoc ævo

a) Cod. prob. N. II. *b)* Goldast. rer. Alem. T. I. P. II. *c)* Zapf. Monum. anecdot. Vol. I. p. 54.
d) Walafr. loc. cit.

reddidit transmiſſis abbatibus, uti infra videbimus. Provida hæc institutio fors causa fuit, cur VIGILIUS, teste Bucelino, in ſua cathedra illustribus meritis et ſanctiſſimæ vitæ exemplo adeo emicuerit, ut de eo hodiedum et ſedes Curienſis, et tota Rhætia glorientur.

IV. S. Pirminii pro religione propaganda zelus, quem circa annum 724. in Rhætiam quoque exeruit, fidei morumque integritatem multum iuvit, de quo plura, ubi de Fabaria ſermo. Nec prætereundus S. Corbinianus, qui ſub VIGILII episcopatu altera vice Romam pergens orientales Curienſis diœceſis fines peragravit, ac per vallem Venustam primo Tridentum, dein Papiam venit. Grimoaldus Theodonis ducis Baioariæ filius quosdam miniſtros itineris comites illi adiunxerat, a quibus moniti alpium et Venustæ vallis incolæ, ne reducem virum ſanctum elabi permitterent, ſed curarent, ut in Baioariam rediret, quod et factum est. Roma enim redux tamdiu in alpibus Maiis detentus est Corbinianus, donec miſſis nuntiis ad Grimoaldum deduceretur. Interea inviſit ſepulchrum S. Valentini, de quo nos ſupra ſec. V. §. VII. et VIII, et in vicino loco Camina, hodie Chains, oratorium in B. Zenonis honorem postmodum construxit haud procul ab urbe Merano, ibique, donec cathedram Friſingenſem conſcenderet, commoratus Rhætiæ atque Tyrolenſibus fidei pietatisque incrementa ſuppeditavit. Rem narrat Aribo vitæ eius ſcriptor *a*).

V. Diuturnum fuit VIGILII regimen, nam eiusdem ſucceſſor demum anno 750. cathedram conſcendiſſe dicitur. Eo quidem tempore ſæpe numero videntur defuiſſe idonei viri, qui episcopatui præficerentur; ut forſan a VIGILII morte, cuius tempus definiri nequit, ſedes aliquamdiu vacaverit, donec ex Fabaria bonus pastor accerſeretur.

XV.

BALDEBERTUS.

Ab ann. 750. usque ad ann. 754.

VI. BALDEBERTUS ſeu ADALBERTUS prius abbas Fabarienſis fuiſſe dicitur ab omnibus, qui eius unquam meminerunt, ſedique Curienſi præfuiſſe post Vigilium.

a) Reſch. Annal. Brix. T. II. p. 569. ſeq.

Neutrum quidem repugnat; verum quum anno 765. ſynodo Attiniacenſi ATHALBERTUS *abbas de Fabarias* ſubſcriptus legatur *a)*; quædam exinde oritur difficultas. Sic enim vel duo ſtatuendi ſunt huius nominis Fabariæ abbates, vel uni tot anni ſunt adiiciendi, ut ſynodo Attiniacenſi intereſſe potuerit; imo admittendum, quod reſignata Curienſi eccleſia abbatiam denuo ſuſceperit. Statuunt Fabarienſes, BALDEBERTUM ſuum iam anno 735. ad infulam Curienſem poſtulatum fuiſſe, quam anno 740. morte vel ceſſione depoſuerit: et inde usque ad ſynodi Attiniacenſis epocham quatuor omnino locant abbates; ad annum verò 765. quo dicta ſynodus habebatur, Bertrantium ponunt. Aſt unica ATHALBERTI abbatis de Fabaria ſubſcriptio nos cogit, ut ab illorum ſententia recedamus; nomina enim *Baldebertus*, *Adalbertus*, *Aldebertus*, *Athalbertus*, unum idemque eſſe videntur, qua quidem de re in parte III. ſermo redibit.

Interea BALDEBERTUM episcopum bis chartis ſubſcriptum invenimus: ſemel in charta Heddonis episcopi Argentinenſis anno 748. 27. Sept. aqud Schœpflinum *b)*. Altera vice apud Grandidier *c)* in teſtamento Remigii. Quum vero circa idem tempus Baldebertus quidam episcopatum Baſileenſem tenuerit; controverſum adhuc eſt, quisnam illorum Curienſis an Baſileenſis dictis chartis ſubſcripſerit? Pro Curienſi dicit militare Schœpflinus, quod eandem cum Argentoratenſi metropolim habuerit, et chronologiæ chartæ propius accedat. Aſt Curia tunc temporis nondum Moguntiam, ſed Mediolanum metropolim agnovit, et BALDEBERTUS noſter fortaſſis biennio ſerius episcopus evaſit.

VII. Vero igitur ſimillimum eſt, Curienſes poſt Vigilii mortem, oculos in BALDEBERTUM Fabariæ tunc abbatem coniecisse, utpote qui S. Pirminii et Ethonis in Augia divite magiſterio clarus evaſerit; illum autem vitæ monaſticæ auſteritatibus aſſuetum, et tenellæ adhuc plantationi Fabarienſi præfectum diutius reluctatum fuiſſe; donec oblatam dignitatem anno 750. accipere quaſi cogeretur, ægerrime enim a fratribus Fabarienſibus dimiſſus dicitur. Tantum is porro ſanctimonia effulſit, ut inter illuſtres illuſtriſſimus a ſuis appellaretur, utramque eccleſiam et Curienſem et Fabarienſem pari ſollicitudine gubernans. Verum ſolitudinis et fratrum amore captus quadriennio nondum expleto episcopatum dimiſit, et anno 754. in dilectam Fabariam conceſſit, pluribus adhuc annis ibidem ſuperſtes.

a) Labb. Collect. concil. T. VI. p. 1702. *b)* Alsat. diplom. T. I. p. 17. *c)* T. II. Hiſt. Straſsb. p. CXXXVI.

XVI.

S. URSICINUS II.

Ab anno 754. ad 758.

VIII. Ex illuſtri comitum Curienſium proſapia natus Ursicinus, Curiæ ſub Vigilii epiſcopi disciplina unacum S. Othmaro educatus, ut iam ſupra §. III. meminimus. Anno 721. in Deſertina monachum induit, ibique anno 730. in abbatem adoptatus fuit, quum 60. abhinc annis, ſeu ab Hunnorum irruptione Deſertinenses absque capite eſſent. Ursicinus ergo primus iterum Deſertinæ ab excidio abbas, et magnificus reſtaurator extitit, uti in parte III. referemus.

IX. Baldeberto reſignante, Curienſes paſtorem S. Ursicino digniorem reperire vix poterant, tum quod ex familia præſidum Rhætiæ natus eſſet, Paſchali, Victori, Vigilio ſanguine iunctus; tum quod Curiæ eruditionis et ſanctimoniæ iam dudum fundamenta iecisſet, atque in Deſertinenſi monaſterio per 24. annos bene præeſſe didicisſet. Senectutem igitur iam attigerat, dum eccleſiæ regimen ſuscepit; vir magnæ auctoritatis, teſte proprio Curienſi, utrumque et epiſcopatum et monaſterium ſingulari vigilantia, prudentia et animi puritate adminiſtravit, ſuisque ad ſummam epiſcopalis officii curam et commendationem, laborum merito, virtutis ſtudio, et pietatis exemplo egregie præluxit *a*).

X. Aiunt Deſertinenſes, ſanctum hunc præſulem anno 758. abbatiam retento epiſcopatu reſignaſſe. Nos mox oſtendemus, illum eodem anno etiam in ſede Curienſi iam ſucceſſorem habuiſſe. Senio confectus ultimos vitæ dies ſolitudini dedicaſſe videtur. Obiiſſe legitur temporibus Francorum regis Pipini circa annum Domini 760 *b*). Occurrit in necrologio Augienſi tanquam vir ſanctus, epiſcopus et abbas, eiusque memoria in tota diœceſi celebratur die 2. Octobris. Proprium Curienſe anno 1646. confectum adſerit, in Deſertinenſi monaſterio vetuſtiſſimum ſcripturæ monumentum de S. Ursicino extare; de quo tamen nihil comperire potuimus.

a) Proprium Curiens. 2. Octob. p. 142. Mabill. Annal. Bened. T. II. p. 192. *b*) Loc. cit.

XVII.
TELLO.

Ab anno 758. ad 773.

XI. TELLO Victoris II. Rhætiæ præsidis et Teusindæ filius, Iactati et Salviæ nepos egregiæ indolis adolescens circa annum 743. Desertinensibus pietate et litteris erudiendus traditus fuit. Post S. Ursicini resignationem ab eisdem abbas electus est anno 758. ſimulque communi ſuffragio episcopatum adiit, quod ex Ioannis Constantiensis episcopi, qui Sidonio ſuccessit, epocha exploratum redditur. Quum enim Ioannes die 15. Ianuarii anno regni Pipini octavo, Christi 759. iam episcopus compareat *a*); Sidonius vero illius antecessor a TELLONE iam episcopo admonitus fuerit, ne monachos S. Galli ultra divexaret *b*): ſequitur, TELLONEM iam ſub anni 758. finem regimini ecclesiæ Curiensis admotum fuisse. Sidonius iste, ut refert Walafridus Strabus de miraculis S. Galli, cap. 16. *c*) ſuasionibus Warini et Ruthardi comitum illectus S. Galli monasterium ſuæ ditioni ſubiicere omni violentia tentavit; cui se fortiter opposuit TELLO noster, eodem Walafrido teste cap. 18. ubi ita ſcribit: „TELLO *quidam Curiensis ecclesiæ præsul* misit ad eum (Sidonium), humiliter deprecans, ut ſui amoris causa, quoniam eorundem fratrum aliqui consanguinitatis vinculo illi erant coniuncti, ab eorum cessaret iniuriis, nihilque incommodi Dei famulis irrogaret. Quam petitionem furore dictante ſuperbe contemsit.„ Pœnas dein prosequitur Walafridus, quas tam ſpreti moniti, quam intentati furoris paucis post diebus dedit Sidonius, morte ingloria extinctus. Hinc emendandi omnes, quoquot TELLONIS primordia ſerius collocant; præprimis vero purgandus venit Cointius *d*), qui proprio marte duos TELLONES fingit, alterum ab anno 759. ad 766. alterum intra annos 772. et 784. utrique vero Vigilium et Ursicinum ingenti anachronismo interponit.

XII. Unicus plane Curiensi ecclesiæ præfuit TELLO, virtutum et rerum gestarum gloria percelebris; qui quum larga uteretur fortuna, eam omnem ecclesiæ ſuæ commodis inservire iussit. Inter alia pietatis monumenta cathedrale templum Curiæ, quod hodiedum extat, magnis ſumtibus construxisse dicitur a Bruschio et Bucelino. Interfuit quoque Attiniacensi conventui, qui anno regni Pipini XIV.

a) Goldast. rer. Alem. T. II. Cod. prob. N. LIX. *b*) Ibid. T. I. P. II. p. 169. edit. Francof. a. 1661. *c*) Goldast. loc. cit. *d*) Annal. eccles. Franc. T. V. p. 674.

Christi 765. coactus est *a*); ubi reperitur Tello *episcopus civitatis Coera diddo* id, est, *civitatis Curia dictæ.* Quumquam ignoretur, quid potiſsimum gestum in hac ſynodo, quæve illius convocandæ causa fuerit; notatu tamen dignum est, quod ex ſchedis Holstenianis refert Labbeus *b*), patres nimirum Attiniaci pro causa religionis et ſalute animarum congregatos inter alia id quoque ſtatuisse, „ut, ſiquis præsulum tunc præsentium ex hac vita decesserit, cæterorum unusquisque triginta missas pro eo persolvat, atque a ſubiectis ſibi presbyteris centum psalteria totidemque missas decantari curet: *Abbates vero, qui non ſunt episcopi;* rogent episcopos, ut vice illorum missas triginta expleant, et presbyteri eorum centum missas, et monachi centum psalteria psallere meminerint." Exinde non ſolum antiquus ſuffragiorum pro defunctis usus elucet, ſed etiam privatarum, ut vocant, missarum consuetudo. Id porro non prætereundum, quod hic nomen episcopi cum illo presbyteri confundi videatur; cur enim abbates non episcopi, pro missis explendis episcopos rogare debuissent, si ipsimet fuissent presbyteri? fortassis tamen abbates ſimplices hoc loco ab iis distinguuntur, qui episcopali ſimul ordinatione præfulgebant, qualis eodem in ſynodo aderat Baldebertus Fabariensis.

XIII. Attiniaco redux Tello anno ſequenti vel certe 767. ſeu regni Pipini XV. celebre illud condidit testamentum a Mabillonio editum *c*), quo magnam prædiorum ac proventuum copiam ex patrimonio ſuo ad monasterium Desertinense transfudit, quorum pars maxima in hodierno Fœderis grisei tractu iacent *d*). Amplissimæ huius donationis causas resenset ipsemet piissimus dotator, nimirum non ſolum religionis et charitatis affectum, ſed etiam canonum ecclesiasticorum rigorem, et iustitiæ debitum, cui ex patris ſui Victoris II. Rhætiæ præsidis iussu ſatisfacere voluit. Tellonis enim atavus Victor I. vi Desertinensibus abstulisse videtur, quæ S. Placidus istius regionis toparcha, quem is anno 632. decollari iusserat, S. Sigisberto quondam donaverat, quæque abs Tellonis maioribus inique hactenus possessa fuerant. Unde Tello et mandati a parente accepti, et peccatorum a maioribus ſuis commissorum iterato mentionem facit; præceptis vero ecclesiasticis, ait, definiri, *ut qui res ecclesiæ possidet, et ſuæ aliquid proprietatis habuerit, cum rebus ecclesiæ debeat ſociari.* Testamentum istud, præterquam quod insigne pietatis, iustitiæ et humilitatis argumentum existat, tot insuper præclara genealogiæ et topographiæ rhæticæ ſubsidia continet, ut iterato prælo, debitisque illustrationibus dignissimum censeatur. Cæterum quin optima quæque in ecclesiæ ſuæ commodum gesserit Tello,

a) Labb. Collect. concil. Tom. VI. Col. 1702. Coint. Annal. Franc. Tom. V. p. 674. *b*) Loc. cit.
c) Annal. Bened. Tom. II. p. 707. *d*) Cod. prob. N. II.

dubitare non possumus, tametsi nobis non constent; præsertim quum Carolo Magno Franciam gubernante res ecclesiasticæ in Rhætia, ſicut alibi, ſolidiore pace ac quiete perfruerentur.

XIV. Mabillonius *a*), Gulerus *b*), aliique TELLONEM anno demum 784. X. Cal. Octob. defunctum dicunt; ast timeo, ne non decennio integro prius deceſſerit probatiſſimus præsul. Eam in opinionem me declinat Caroli Magni diploma Constantio TELLONIS ſucceſſori datum, quo eum totamque Rhætiam in regiam defensionem ſuscepit. Deest quidem in autographo, quod in ſcriniis episcopalibus Curiæ vidimus, chronotaxis; eam quippe temporum iniuria corrosit. Ipsum tamen diploma datum videtur, antequam Carolus regno Longobardico potiretur, proin iam ante annum 774. aut ſaltem ineunte ipso hoc anno: ab initio enim diplomatis Carolus Francorum duntaxat se regem, virumque illustrem appellat, quum cæteroquin adepto regno Longobardico constanter, ut puto, rex Francorum et Longobardorum ſimul ſcribi consueverit. In apographo quodam recentiori comparet chronotaxis, ſed adhuc iuniore manu addita, quæ annum regni Caroli in Francia decimum ſeptimum et indictionem II. præsefert, ipsumque diploma Autisiodori datum perhibet X. Cal. Iunii, quæ non conveniunt: nam anno regni Francici XVII. Christi 784, indictio VII. non II. currebat, eoque tempore bellum Saxonicum geſſit Carolus, ut proin Autisiodori commorari vix potuerit. Dein quum dies obitus TELLONIS ex necrologiis certa ſit 24. Sept. ſeu VIII. Cal. Octobris, diploma vero iuxta fictam illam chronotaxin iam 23. Maii datum foret; dicere deberemus, Constantium ante TELLONIS mortem episcopum fuiſſe, etiamsi hic demum anno 784. obiiſſet. Exploratum itaque videtur, TELLONEM pie ac feliciter defunctum esse circa annum 773. VIII. Calend. Octobris *c*).

XVIII.
CONSTANTIUS.

Ab anno 773. ad fin. ſec. VIII.

XV. De CONSTANTII prosapia nihil compertum est, credi tamen potest ex præsidum Rhætiæ familia illustri oriundus, penes quam hactenus ſumma rerum fuerat. Virum plane nobilitate, prudentia et auctoritate conspicuum fuiſſe oportet;

a) Annal. Bened. T. II. p. 210. *b*) Rhæt. p. 90. *c*) Cod. prob. N. III.

quum eidem Carolus M. integras Rhætias regio nomine gubernandas tradiderit *a*); quæ provincia tunc eo honorificentior, quo difficilior fuit, utpote in regni Franci-ci limite conſtituta, et Longobardorum vellicationibus expoſita. Utrum provinciæ an eccleſiæ rector prius fuerit CONSTANTIUS, an vero utramque ſimul regendam ſuſceperit, definiri facile non poteſt: verba diplomatis innuere videntur, primo regimen politicum eidem a Carolo fuiſſe collatum, quod aliquo tempore ſub Tellone epiſcopo gerere potuit, dein hoc defuncto, epiſcopatum quoque illum adiiſſe anno 773. loquitur enim diploma in præterito: *Vir venerabilis* CONSTANTIUS, *quem territurio Rætiarum rectorem poſuimus.*

XVI. Utraque igitur ſacra et civili poteſtate potitus CONSTANTIUS nihil non egiſſe cenſendus eſt, ut utrique faceret ſatis. Fervebant eo tempore diſſidia inter Carolum Francorum et Deſiderium Longobardorum reges, ſicque magnis bellorum periculis Rhætia exponebatur. Quocirca pervigil et providus præſul primas curas eo impendit, ut pacem et tranquillitatem publicam in commiſſa ſibi provincia ſtabiliret, ne exterorum hoſtili incurſione fides labaſceret, neve boni mores peſſumirent. Hunc in finem ad Carolum regem miſit, qui ſuo populique nomine ſupplicarent, ne Rhætiam hoſtium invaſionibus exponi pateretur, ſed eam regia poteſtate defenderet, et avitis conſuetudinibus uti concederet; quod etiam præſtitit Carolus, prout ſuperſtes adhuc diploma teſtatur. Regnis dehinc Francico et Longobardico coniunctis Rhætia ſuavi pace fruebatur, nec ullæ tunc amplius barbarorum incurſiones illam devaſtabant.

XVII. Cointius *b*) ex Bucelino CONSTANTII mortem refert ad annum Chriſti 813. ſed fallitur, nam Remigius illius ſucceſſor quatuor epiſtolas a B. Alcuino Caroli M. præceptore iam epiſcopus accepit; Alcuinus autem anno 804. in feſto Pentecoſtes obiit, ut abbas Frobenius demonſtrat *c*). Hinc palam fit, CONSTANTIUM unacum ſeculo octavo eſſe inter vivos desiiſſe.

a) Cod. prob. N. III. *b*) Annal. Franc. T. VII. p. 272. *c*) Alcuin. Opera in eius vita c. 13. p. 4.

SECULUM IX.

XIX.

REMIGIUS SEU REMEDIUS.

Ab anno 800. ad 820.

I. Remigius, ſeu ut aliquoties in antiquis monumentis comparet, Remedius vir erat morum integritate et eruditione maxime conſpicuus. Candelabro Curienſi impoſitus eſt circa annum 800. Nam tenerrima utebatur B. Alcuini familiaritate; nec vero eſt diſſimile, ſi Turonis ſub eius magiſterio adoleviſſe credatur. Certe in epiſtola quadam ad Arnonem Salisburgenſem anno 800. data a) de Remigio Alcuinus ſic ſcribit: Remedium *de Curia*, *nobis cariſſimum fidelemque amicum ſaluta.*

Utrum tempore huius epiſtolæ episcopus iam fuerit, per certo definire nolim, quum Alcuinus omiſſo dignitatis episcopalis vocabulo ſolum Remedium *de Curia vocet*. Cæterum ambo pro mutuo affectu, familiari inter ſe utebantur litterarum commercio; ex quibus quatuor adhucdum extant ab Alcuino ad Remedium datæ: omnes intra annum 800. et 804. ſcribebantur, et episcopi titulum præſeferunt.

II. In epiſtola prima, quæ apud Frobenium *b)* eſt ordine 132. Remigiò commendat mercatorem quemdam, merces trans alpes in Italiam ferentem, rogans, ut ei tuto per Rhætiam proficiſci liceat, ne a teloniorum præfectis retardetur. Inde palam fit, primo Alcuini litteras ad Remigium Curienſem, non autem illum Argentoratenſem exaratas fuiſſe; nam mercatori per alpes tranſeunti non hic, ſed ille utique auxilio eſſe potuit: alterum, Rhætiam Remigio, tanquam duci a rege poſito, etiam in temporalibus paruiſſe. Nam ex eo tempore, quo Carolus Magnus ducatum Rhætiarum episcopo Conſtantio commiſerat, ſub episcopis ille permanſit uſque ad annum 814. circiter, uti infra dicemus.

Secunda epiſtola teſtis gaudii eſt, quod tum ex muneribus ſibi tranſmiſſis, tum ex Remigii proſperitate concepit Alcuinus, continetque hortationem, qua ad officii obſervantiam episcopum excitat.

Tertia ſupplicat, ut preces ad Deum pro ſe perſolvat, et a monachis in ſua diœceſi exiſtentibus perſolvi curet. „Nam ego, inquit, plurimis huius ſæculi ia-

a) Alcuin. Oper. T. I. p. 134. b) Loc. cit.

culis vulneratus diem trepido animo expecto, quo duci ad iudicium vocer ignorans, quid habeam reſpondere iudici meo Ieſu Chriſto, qui mihi tanta tribuit in hoc ſeculo bona; et ego quaſi his omnibus ingratus plurima feci, quæ non debui. Tu vero, pergit, ſanctiſsime pater! ſecundum caritatem, quam habes in membra Chriſti, et fidem probatam in Salvatorem noſtrum, me aſsiduis orationibus adiuvare digneris, ut miſericordem inveniam Dominum Deum meum.„

Quartam demum epiſtolam ſic orditur: „Acceptis amabiliter venerandæ dilectionis veſtræ litteris, quæ me multo gaudio lætificaverunt, de proſperitate dignitatis veſtræ, ſeu de recordatione nominis veſtri multum confido.„ Commendat dein mutuas ad Deum preces, nec non prudentiam et ſedulitatem in munere paſtorali exequendo. Remigii ad Alcuinum reſponſorias, quod dolendum, nullibi detegere potuimus.

III. Cæterum Italia Caroli Magni ſceptrum ſubeunte Rhætia non iam alienis, ſed quaſi fraternis ditionibus cingebatur, quæ unacum ipſa uni domino parebant. Religio quoque pax et ſcientiæ ſuſcitato Occidentis imperio non reviviſcere ſolum, ſed etiam foveri et roborari cœperunt: ſurgere undique monaſteria, dotari eccleſiæ, ac nova fundari templa cernebantur. Ipſemet Remigius diœceſin ſuam ſub ſeculi IX. initium binis monaſteriis recens fundatis ornatam vidit, Schænnenſi nimirum et Tobrenſi: illud ab Hunfrido Iſtriæ comite in caſtris rhæticis, hoc a Carolo Magno ad Tyrolis confinia fundatum *a*), ubi hodiernum Tuberium ſeu *Tauſers* pagus eſt. De utroque plura in parte III.

IV. Minore fortuna in ſtatu politico uſus eſt Remigius. Fortaſsis rhætica plebs tranquillitatis impatiens, et ſueta bellis, obedire detrectabat: fors epiſcopus negotiis ſacris diſtentus, civilibus minus intendere poterat, aut iudices ab eo delecti ſuis officiis deeſſe videbantur. Quidquid ſit, orta inter Rhætos diſſidia fuerunt, quæ Caroli imperatoris ſollicitudinem provocarunt, magno eccleſiæ Curienſis detrimento. Imprimis enim imperator Wolfharium Remenſium antiſtitem in Rhætiam ablegavit, qui iuſtitiam vel neglectam vel contemptam inibi adminiſtraret. Rem narrat Ratpertus S. Galli monachus *b*) his verbis: „Contigit, Wolfharium Remenſem epiſcopum legatione a domno Karolo ſibi iniuncta iuſtitias in Rhætia Curienſi faciendas ad ipſum pagum veniſſe.„ Neceſſario id contigit ante annum 811. quo Werdo S. Galli abbas obiit iuxta Hepidannum; nam referente eodem Ratberto Wolfharius ex Rhætia redux ad Werdonem inviſit. Minus honorifica ea res Re-

a) Tſchud. Gall. comat. p. 339. *b*) De caſ. S. Gall. apud Goldaſt. rer. Alem. T. I. P. I. c. V.

MIGIO fuit, ſive negotiis gerundis impar Carolo ſit viſus, ſive malorum forte invidiam paſſus fuerit; certe comitatus rhætici regimen illi auctoritate imperatoria ademtum et nobilibus quibusdam creditum fuit, quod patet ex litteris, quas Victor II. Remigii ſucceſſor poſt annos aliquot ad Ludovicum Pium exaravit, quibusque ingentia damna depingit eccleſiæ Curienſi per illam comitatus ſeparationem illata, prout mox infra videbimus.

V. Memoriam apud poſteros ſibi conciliavit REMIGIUS collectione canonum, quam in cleri ſui commodum conſcripſit. Extat adhucdum manca licet apud Goldaſtum *a*) et Harzhemium *b*). Quamvis canones iſti ex falſa Iſidori merce potiſſimum ſint depromti; varia tamen ibi occurrunt notatu digniſſima, quæ quum tunc in uſu fuerint, eius ævi liturgiam et diſciplinam eccleſiæ ob oculos ponunt. Sunt capita omnino quadraginta novem, præter ea, quæ perierunt. Imprimis agit REMIGIUS de SS. Miſſæ ſacrificio: mandat, ut corpore Domini veſcantur ieiuni, vaſa et lintea ſacra diligenter lavent; prohibetque, ne alio in loco, niſi quem epiſcopus conſecrarit, ſacrum faciant. Dehinc præcepta tradit de obedientia omnigena epiſcopis exhibenda: de baptiſmo et chriſmate ſacro, ac utriusque tum neceſſitate, tum virtute. Canone nono ſic ſcribit: „Epiſcopus in ſolemnioribus diebus aut 7. aut 5. aut 3. diaconos, qui eius oculi dicuntur, et ſubdiaconos, atque reliquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti veſtimentis in fronte et a tergo, et presbyteri e regione dextra lævaque contrito corde et humiliato, ac prono ſtent vultu, cuſtodientes eum a malevolis hominibus, et conſenſum eius præbeant ſacrificio.„ In ſequentibus alia quædam de ſacrificio occurrunt præcepta, v. g. præter panem, vinum et aquam nihil offerendum: miſſam ſolemnem, excepta natalis Domini nocte, non ante horam diei tertiam celebrandam: vaſa ſacra non niſi a clericis tangenda: hymnum *Gloria in excelſis etc.* certis temporibus aut dicendum, aut decantandum eſſe. Peculiari canone, qui eſt 24. agit de aqua luſtrali ſale conſperſa, eiusque uſum præcipit, et virtutem commendat. Reliqui canones agunt de ordine hierarchico, de clericorum delictis, delationibus et iudiciis. Animadvertant hic heterodoxi, ſacros religioſos uſus antiquitus eosdem, qui nunc vigent, obſervatos fuiſſe.

VI. Quos poſtremos vixit annos REMIGIUS, admodum nefaſti fuerunt; abſtento enim a poteſtate epiſcopi regimine politico, Curienſis eccleſia nobilium invidiæ, furori et inſatiabili rapacitati ſubiecta eſt, qui omnia ſus deque verterunt. Iniquo hoc fato fractus pius antiſtes ad ſuperos abiit die 27. Iunii anno 820 *c*).

a) Rer. Alem. T. II. P. II. p. 119. ſeq. *b*) Conc. Germ. T. II. p. 414. *c*) Catal. Ioann. Flug.

XX.
VICTOR II.
Ab anno 820. ad 833.

VII. Quamdiu ſumma rerum penes gentiles erat, eccleſiarum ſplendor vigorque non ex opum ditionumque amplitudine pendebat; ſed ex morum ſanctitate ac necessaria ſubmiſſione, qua præsules excelluere, quaque populum christianum ſubiectioni tunc maxime adsuetum, facilem ſibi ac morigerum reddiderunt. Quamprimum autem dominari cœperunt christiani, prærogativa quadam politica opus habebant hierarchæ, ne eorum apud plebes dignitas vilesceret, neque iisdem, quibus præerant, ſubesse cogerentur. Qua quidem ratione ſuavis inter utrumque ſtatum amicitia adeo necessaria evasit, ut absque ea neuter diu poſſet ſubsistere: eccleſiastici enim, dum bonis exuuntur, plerumque impares fiunt muneri ſuo rite fungendo; cives vero opibus aucti ſæpe insolescunt, et magnates dominandi libidine excitati fraudibus, violentiis, ac rapinis adsuescere ſolent. Hinc cultus divini ruina, disciplinæ ſtrages, tristisque ſacerdotum depressio et contemptus. Hæc ipsissima erat Curiensis eccleſiæ facies, quum Remigio defuncto anno 820. VICTOR huius nominis alter ſubrogaretur; de cuius prosapia nihil memoriæ proditum.

VIII. Postquam Remigius episcopus comitatus præfectura exutus a Carolo fuisset; regioni circa Langarum fluvium imperatorio nomine præesse cœpit Rodericus aliquis, homo insolens et rapax, qui potestate ſua abusus, et Herloini cuiusdam potentia ſuffultus, eccleſiæ Curiensis bona diripuit, iura pessumdedit, ædes ſacras partim ſpoliavit, partim diruit, ita ut vix quidpiam cultus christiani ſuperesset. Quocirca nihil non egit VICTOR, ut intereunti ſuæ eccleſiæ quoquo modo ſuccurreret. Omnium ope destitutus ad Ludovici Pii imp. iustitiam et clementiam confugit, cui litteris ſæpe iteratis ſupplicavit, ne eccleſiam ſuam funditus everti pateretur.

IX. Supersunt tres VICTORIS epistolæ admodum querulæ, quibus episcopatus miseria graphice depingitur *a*): ex adiectis locorum circumstantiis colligitur, eas ſaltem ante annum 825. ſcriptas fuisse. Prima data est anno 821. vel ſequenti, quum imperator Francofurti ageret *b*). Eam aliæ iam præcesserant, quæ autem perierunt.

a) Cod. prob. N. VI. VII. et VIII. *b*) Du Chesne Hist. Franc. ſcript. T. II. p. 302.

Plangit igitur imprimis VICTOR destructam domum, ſeu arcem episcopalem, cuius ſola turris remansisse videtur, quæ adhucdum visitur, ubi archivum et episcopi ſacellum est S. Lucio ſacrum. Conqueritur dein exspoliatam esse ecclesiam, ruptum ordinem canonicum, abolitum ferme omnem cultum divinum, xenodochia demolita, redditus, unde clerus pauperesque ſustentabantur, extinctos, et iura violata. Allegabat quidem episcopus adversus comitem Rodericum fortissimas, quibus se ſuaque tueretur, rationes; proferebat testes et tabulas, ac rerum legitime acquisitarum, quas longo tempore possederat ecclesia, chartas monstrabat, ſed irrito conatu. Impii prædones templi cathedralis ſpoliis non contenti, rapacem furorem ſuum in vicinas quoque ecclesias, quæ ſemper hactenus penes episcopum erant, effuderunt, earumque redditus ſuffurati ſunt, ita, ut ex ducentis circiter et triginta ecclesiis, quas diœcesis Curiensis tunc complectebatur, nonnisi ſex baptisteria, et viginti quinque minores ædes ſacræ episcopatui remanserint, ad unam omnes vacuatæ. Ipsa adeo Sanctorum cadavera, quæ inter illud S. Lucii, ne uno quidem relicto, ſacrilega manu abstulerunt. Erant in diœcesi quinque monasteria, trina virorum, Tobrense, Desertina et Fabaria; et bina virginum Schænnense et Cazense: priora in ſuam potestatem redegerunt, posterioribus virginum, quod tenuiora essent, relictis. Eo Curiensis ecclesiæ calamitas excreverat, ut bona inde ablata imperatoris iussu, qui tamen iniustitiæ ignarus erat, aliis donarentur, clerusque, unde viveret, non haberet. Hæc omnia imperatori ex ordine proposuit episcopus, ſupplicans, ut in Rhætiam mitteret a partium ſtudio alienum, qui in rei veritatem inquirens, regionis et ecclesiæ ærumnas coram contemplaretur.

X. Tanta calamitate motus Ludovicus reapse quosdam in Rhætiam abire iussit, qui diligenti præmissa inquisitione, quod actum iniuste fuisset, emendarent. Verum invidia dolove factum, ne legati alpes ſubirent; nihilque ecclesiæ afflictæ ſubsidii accessit. Cumulos malorum auxit VICTORIS provectior ætas, et debilitas virium; igitur onus ſummis difficultatibus coniunctum levaturus, vicarium ſibi ſelegit bonus ſenecio, in quem ſarcinæ partem tuto transferre potuit, virum rerum agendarum dexteritate conspicuum, Verendarium nomine, quem ineunte anno 822. Aquisgranum ad imperatorem misit, ibi enim hyemem is tunc agebat *a*). Habuit ſecum Verendarius VICTORIS litteras *b*), quæ referebant, nec missorum quemdam in Rhætiam adventasse, prout iussum fuerat, nec ab iniuriis cessatum. Continebant insuper humillimam ſupplicationem, ne ecclesia Curiensis in prædonum manibus diutius tabescere permitteretur. Obtulit etiam imperatori episcopus mille mis-

a) Du Chesne loc. cit. p. 301. *b*) Cod. prob. N. VII.

sas, et totidem psalteria a clero Curiensi hoc anno pro eiusdem ſalute persolvenda, ut illum hac ratione facilius ad misericordiam flecteret. Ast Ludovicus pluribus forsan negotiis ſeptus ſubsidium exoptatum ferre distulit; Victor autem et dilationem hanc, et continuatas Roderici rapinas, et inopiam rerum, et gravem de ecclesiæ commissæ miseriis mærorem ſumma animi constantia pertulit.

XI. Interea Lotharius Ludovici filius, postquam in paschate anno 823. Romæ a Paschale papa imperii coronam nactus fuisset, et dehinc dies aliquot Papiæ transegisset *a*), tandem per alpes in Germaniam ineunte æstate ad patrem rediit; cui per Rhætiam transeunti magna frequentia obviam ivere, quotquot erant in diœcesi ſacerdotes, clerici, monachi, ipsæque moniales, ſupplices, ut intereuntis ecclesiæ causam apud patrem in se ſusciperet, ipsiusque pro ea clementiam exoraret. Lugubre erat ſpectaculum, tot ſacerdotes, Dei famulos et ancillas, ærumnis, inedia, et rapinis pene confectos, et calamitatum ſuarum levamen emendicantes videre. Non poterant non moveri Lotharii viscera, qui Victori ſuasor fuit, ut ſecum ipsus ad Ludovicum patrem proficisceretur. Adgressus igitur iter episcopus, quamvis ſenex, unacum Lothario Francofurtum mense Iunio pervenit, ubi causa ſua denuo exposita id ab imperatore obtinuit, ut aliqui ſeligerentur inquisituri, quid rerum in Rhætia ageretur.

Curiam redux Victor litis ærumnarumque finem patiens præstolabatur. Quum vero nec hac vice ullus legatorum in Rhætia compareret; ad finem anni, vel certe ſequentis 824. initium, alterum longe difficilius iter in Laudunensem pagum ſuscepit, ubi in palatio, cui Carbonacum nomen, Ludovico imp. libellum ſupplicem porrexit, qui ea, quæ proxime narravimus, continebat *b*). Cessit tandem precibus toties iteratis Pius imperator, atque in Rhætiam ablegavit Bernoldum episcopum Argentoratensem, et Gotefridum Monasteriensem in Alsatia ſeu S. Gregorii abbatem, quibus iunxit comites Rodericum quemdam, et Rotharium Pipini Aquitaniæ regis generum *c*). Isti re diligenter discussa retulerunt, reapse bona quædam ab ecclesia Curiensi violenter et iniuste abstracta, nec non obedientiam et ſubiectionem episcopo debitam pervicaciter denegatam fuisse. Ludovicus itaque, postquam ſoluto Aquisgrani conventu Vosagum montem venando lustrasset *d*), Argentorati, antequam Aquisgranum reverteretur, peramplum Victori diploma dedit VIII. Cal. Augusti anno 825. et inique ablata eidem illico restitui iussit, hac-

a) Du Chesne loc. cit. p. 302. *b*) Cod. prob. N. VIII. *c*) Grandid. Hist. Strasb. T. II. p. CLXXXI inter Monum. *d*) Du Chesne loc. cit. p. 303. et 304.

que demum ratione optimus præſul voti compos evaſit. Inter ablata recenſentur S. Siſinii eccleſia, et illa S. Columbani, nec non pagus Cicerianus ſeu Zizers, atque S. Petri xenodochium. Mandatur porro omnibus in diœceſi conſtitutis, ut debitam ſuo epiſcopo ſubiectionem exhibeant, caveantque, ne exercitium muneris epiſcopalis ullo modo impediant; plena demum in omnia epiſcopatus monaſteria poteſtas ſtabilitur. Ipſum diploma præter Schœpflinum *a*) accuratius edidit Grandidierus *b*).

XII. Tot ærumnis perfunctus VICTOR paululum reſpirare cœpit, et reliquos ſenectutis annos quiete tranſegit; neque enim ſtatim anno 825. obiit, ut tradunt Gulerus et Sprecherus. Credibile eſt, illum annis adhuc octo ſupervixiſſe. Saltem nondum e vivis exceſſerat anno 831. quo denuo legationem ad Ludovicum imperatorem miſit, rogans, ut eccleſiam Curienſem unacum eiusdem bonis a iudicum poteſtate immunem, in ſuam defenſionem ſuſciperet. Preces non irritas fuiſſe comprobat diploma die 9. Iunii anno 831. Ingelhemii datum, quo eccleſiæ Curienſis bona tam in Rhætia, quam Alſatia, et ducatu Alemannico ſita ab omni prorſus iudiciaria poteſtate libera declarantur *c*). Hac ratione pervigil et prudens paſtor eccleſiam, quam pene extinctam adierat, locupletem et priſtino ſplendori reſtitutam circa annum 833. ſuo vicario reliquit.

XXI.
VERENDARIUS II.

Ab anno 833. ad 844.

XIII. Videri poterat, Roderici comitis rapacitate ſuppreſſa, bonisque eccleſiæ reſtitutis, VERENDARIUM, qui certe anno 833. ſi non prius, cathedræ epiſcopali impoſitus eſt, optata pace fruiturum. Aſt vix regimen ſuſceperat, quum magna in eum tempeſtas deſæviret, quæ tamen eidem perhonorifica fuit. Eodem namque hoc anno tres Ludovici imperatoris filii adverſus patrem aperto marte rebelles, eum imperii diademate ſpoliant, maxima ſubditorum tam nobilium quam plebeiorum, tam clericorum quam ſecularium parte ad ſe pertracta *d*). Quum ergo VERENDARIUS a legitimo principe deſciſcere nullo pacto vellet, erat enim vir in

a) Alſat. dipl. T. I. p. 68. *b*) Loc. cit. p. CLXXXI. *c*) Grandid. loc. cit. p. CXCIX. *d*) Hiſt. Franc. Script. T. III. p. 309.

paucis providus æque ac probus, a rebellibus, quamprimum Rhætia erant potiti, ſede ſua deponitur, et in exilium detruditur, ablatis, quibus hactenus fruebatur, teloneo urbis Curienſis, et bonis quibusdam in Seleſtadio Alſatiæ oppido ſitis.

XIV. Eadem occaſione epiſcopo exulante, periit furto vel fato Caroli M. diploma, quo eccleſiæ Curienſi bona aliqua donaverat. Ubi et quamdiu exul fuerit, non compertum. Videtur, Ludovico ſequenti anno 834. coronam rurſum adepto, VERENDARIUS pariter ſedi ſuæ reſtitutus fuiſſe; bona interim eidem ademta nondum redibant. Quocirca Drogonem Metenſem, qui imperatoris frater et archicapellanus erat, atque Rutaldum Sueſſionenſium epiſcopos interpellavit, ſua authoritate id apud Ludovicum efficerent, ut, quæ ob conſtantem in eum fidelitatem amiſerat, reſtituerentur. Succeſſit conſilium, ſiquidem imperator anno 836. dum Ianuarium Francofurti ageret, octava eiuſdem menſis die ampliſſimis litteris imperiali ſigillo firmatis et vectigal Curienſe, et bona Seleſtadiana epiſcopo confirmavit *a*). Hoc modo Ludovicus eccleſiæ Curienſis inopiam altera iam vice benigniſſime ſublevavit, perſuaſus, regnorum felicitatem ab eccleſiarum ſplendore, et præſulum quieta amplitudine plurimum pendere. VERENDARIUS autem, quemadmodum pro ſua animi gratitudine ac integritate fidem Ludovico ſervavit, ſic in ſuæ fidelitatis præmium id obtinuit, ut novo eccleſia ſua robore fulciretur.

XV. Necdum tamen illi penitus licuit eſſe quieto. Imperatorio nomine poſt Rodericum Rhætiæ tunc præerat Adalbertus, Hunfridi Rhætiæ et Iſtriæ comitis filius, quem lividis oculis aſpiciebat Rapertus quidam. Sequebatur is aulam Ludovici, homo verſutus et in arte adulandi maxime verſatus. Hic ergo eo imperatorem adegit, ut neglecto Adalberto ſibi Rhætiæ comitatum regendum committeret, quem inde etiam circa annum 837. armis expulit. Pulſus vero Adalbertus ad Burchardum fratrem Iſtriæ comitem confugiens ab eodem auxilia poſtulavit, obtinuitque, quibus ſuffultus lividum æmulum bello petit, et pugna ad pagum Zizers commiſſa ſuperat. Rapertus in fuga ab equo decidens obiit, a ſuo victore in monaſterio Lindavienſi ſepultus *b*). Ita merito plus amiſit, quam inique ambierat. Interim epiſcopus exinde non mediocre detrimentum tulit; quum regio, ubi erant eccleſiæ bona, a milite, ut fieri ſolet, devaſtata fuerit. Nihilominus tamen VERENDARIUS, ut erat pro cultu Dei ampliando ſollicitus, in honorem Deiparæ, aliorumque Sanctorum cellulam quamdam conſtruxit *Serras* dictam, pro cuius ſuſtentatione Lotharius imp. varia bona in Rhætia epiſcopo donavit anno probabilius 842 *c*).

a) Grandid. loc cit. p. CCIII. *b*) Cruſ. Annal. Suev. P. II. l. 2. p. 47. Guler. p. 92. Sprecher. Pall. rhæt. p. 62. *c*) Cod. prob. N. X.

Idem anno ſequenti 843. die 21. Ianuarii præter iurium confirmationem Verendario conceſſit liberum uſum navis in lacu Rivano. Credi poteſt Lotharius eo magis propenſus et beneficus erga eccleſiam Curienſem fuiſſe, quo iniquius antea epiſcopum inde exturbaverat. Cæterum cella *Serras* ignota hactenus, nec ubinam ſteterit, compertum.

XVI. Quid geſſerit porro Verendarius, tacet antiquitas. Id ſolum conſtat, eum interfuiſſe ſynodo provinciali, quam Angelbertus archipræſul Mediolanenſis anno 842. in ſua urbe coegit; in qua unacum ſuffraganeis ſuis confirmavit monaſterium *SS. Fauſtini* et *Iovitæ* a Ramberto Brixienſium epiſcopo recens extructum *a*). Ordine ultimus ſubſcripſit Verendarius *Curienſis eccleſiæ epiſcopus.*

Poſtremus is etiam inter Curienſes fuit, qui Mediolanum ſuam metropolim agnovit; nam Curienſis epiſcopatus anno mox ſequenti 843. menſe Auguſto vi pacti Virdunenſis Moguntiæ ſubiecta fuit, uti iam in Prolegomenis cap. VI. oſtenſum.

Catalogo Flugiano teſte carnem poſuit Verendarius anno 844. die 3. Oct.

XXII.
GERBRACHUS.

Ab anno 844. ad 849.

XVII. Gerbrachi, ſeu prout alibi legitur, Gorbrathi in nullo catalogo, ne Flugiano quidem, mentio occurrit; ſed omnes Verendario Eſſonem ſubiungunt. Extitit tamen reapſe hoc tempore Gerbrachus, et quidem primus inter epiſcopos Curienſes, qui archipræſulem Moguntinum metropolitam ſuum veneratus legitur. Moguntiæ præerat Rabanus, qui anno 847. ſynodo provinciæ ſuæ coacta varia in eccleſiæ utilitatem ſanxit. Adfuere epiſcopi duodecim, qui Moguntino parebant, quos inter ordine quintus habetur Gorbrathus *b*). Notatu digniora, quæ in hac ſynodo geſta ſunt, recenſere paucis iuvat. Præmiſſo triduano ieiunio cum litaniis initium fiebat, ac imprimis pro Ludovico rege preces per univerſam provinciam decretæ; nimirum ut loquitur epiſtola ad ipſum regem data, *miſſarum tria millia et quinquaginta, et pſalteriorum mille ſeptingenta.* Unde non ſolum miſſarum, ut aiunt,

a) Manſi Supplem. concil. T. I. p. 903.

b) Eccard. Franc. Orient. T. II. p. 392. Harzh. Concil. Germ. T. II. p. 151.

privatarum usus, ſed etiam pius cleri erga principes affectus colligitur. Solemne tunc episcopis fuit, ut certum ſacrificiorum et psalteriorum numerum doni loco, et gratitudinis etiam causa regibus et imperatoribus offerrent, quemadmodum id observabat erga Ludovicum Pium Victor II. episcopus Curiensis, uti ſupra retulimus §. X. Nec dubitandum, pios principes hac devotione motos fuisse, ut ecclesias dotarent prædiis, ac prærogativis ornarent, prout ipsimet in diplomatibus fatentur, his ſimilibusve verbis: *Quatenus cum congregatione ſibi commissa pro nobis, coniuge prolque nostra atque totius imperii incolumitate Domini misericordiam attentius exorare delectet.* Necdum enim tunc clericorum monachorumque publicæ preces ſtatui politico inutiles habebantur. Pietatem imperatorum ſequuti magnates posteri, et homines etiam plebeii tot fundaverunt anniversaria, quorum tenore quotannis aliqua missarum ſacrificia, et preces pro eis fierent.

His ergo præmissis ſynodus in duas fuit partes divisa; prima complectebatur episcopos et ſacerdotes, qui de rebus ad fidem et disciplinam ecclesiæ ſpectantibus consultabant: in altera erant abbates cum monachis, qui de observantiis monasticis consilia inibant.

XVIII. Inter ſaluberrima huius ſynodi ſtatuta illud imprimis advertendum, quod canone ſecundo patres præceperunt, *ut quilibet episcopus homilias habeat, continentes necessarias admonitiones, quibus ſubiecti erudiantur — — — et ut easdem homilias quisque aperte transferre ſtudeat in* RUSTICAM ROMANORUM LINGUAM *et theodiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur.*

Videntur patres hoc canone pro Rhætia ſpecialiter fuisse attenti; quum enim *rusticæ romanorum linguæ* hic meminerint, cuius in concionibus usum præcipiunt; in provincia vero Moguntina theodisca passim viguerit; hocce præceptum maxime episcopum Curiensem tangere debuit, in cuius diœcesi etiamnum multis in locis *rustica romana* (Rumonsch) in usu est, et varia quidem, adeo, ut paucis leucis remoti vix a se invicem intelligantur. Duplici præsertim dialecto utuntur, unam vocant *Romanam*, *Romansch* ſeu *Rumonsch*, alteram *Latinam* ſeu *Ladin.* Utraque ex latino idiomate, ſed horrendum in modum corrupto, et adscitis undecunque vocabulis adulterato ortum trahit. Quocirca nostris quoque temporibus verbum Dei nonnisi a ſacerdotibus rhæticæ huius linguæ gnaris annuntiari potest. Hinc patet, Moguntinum canonem istum Rhætis oppido ſalutarem et pernecessarium fuisse; ſicut et ſextus invehens in illos, qui ecclesiarum bona lividis oculis intueri ſolent, et principes ab illarum donatione avertere conantur. *Decipitur*, inquit ſynodus, *quis-*

quis plus in propriis, quam in dominicis rebus gloriatur. Quarum divinarum rerum defenſor et custos divinitus ſtatutus rex diligenti cura non ſolum eas ſervare ſed etiam multiplicare debet. — — Siquis igitur insanus regem a recto propoſito avertere tentaverit, licet obsequiis aliquibus transitoriis ſit necessarius, abiiciendus ab eo, proiiciendusque est. Rodericum Langari comitem et ecclesiæ Curiensis prædonem hoc canone tangi, extra dubium est.

Canone decimo ſancitur modus bona ecclesiastica dispensandi. *Quatuor tam de reditibus, quam de oblatione fidelium, ſicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones, quarum ſit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta ecclesiæ fabricis adplicanda.* Reliqui canones agunt de variis criminibus, eorumque pœnis, et de ſacramentorum administratione, præsertim infirmis præstanda.

In gratiam eorum, quibus animarum cura incumbit, postremum canonem ſubiungo; ſic vero habet: „Modus tempusque pœnitentiæ peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per ſanctarum ſcripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet a ſacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam, et inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, ſecundum propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus, et faciunt cervicalia ſub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Sed discretio ſervanda est inter pœnitentes publice, et qui absconse pœnitere debeant. Nam qui publice peccat, oportet, ut publica mulctetur pœnitentia, et ſecundum ordinem canonum pro merito ſuo et communicetur et reconcilietur. Pœnitentes vero tam expletionem constituti temporis, quam facinoris remissionem desiderent; nec eis ſufficiat, si a quarumdam rerum perceptionibus abstineant, nisi etiam se a noxiis delectationibus ſubtrahant. Declinantes autem a malo faciant bonum, inquirant pacem, et ſequantur illam.„

XIX. Circa medium huius ſeculi in Curiensem diœcesin adventavit Eusebius quidam Scotia oriundus, qui, postquam in monasterio S. Galli prima religiosæ perfectionis fundamenta posuisset, in montem S. Victoris oppido Feldkirchensi propinquum perrexit, anachoresin ibi acturus, pro more illius temporis, quo iuxta caput I. S. regulæ S. Benedicti monachorum aliqui *diuturna monasterii probatione bene instructi, fraterna ex acie ad ſingularem pugnam eremi* egredi ſolebant *a*). Non tamen diu Eusebius eremita vixit, ſed discipulos quosdam eodem in monte congregavit, quibuscum monasticen egit, prout ex Caroli Crassi litteris colligitur, per quas mons

a) Edm. Marten. Coment. in Reg. S. Bened. p. 47.

S. Victoris anno 882. monachis S. Galli traditur *a*), ubi legitur, montem istum *religioſo quorumdam Scotorum conventu incoli*, qui certe non alium, quam Euſebium auctorem habuit. De hoc necrologium S. Galli pridie Calendas Februarii iſta refert: „Hodie honorifica recolitur memoria beati monachi noſtri et martyris Euſebii, qui e Scotia oriundus in cœnobio S. Galli religioſum inſtitutum amplexus, deinde ſolitariæ vitæ deſiderio inflammatus, in montem S. Victoris ſeceſſit, ibique ad annum quinquageſimum ſanctiſſime vixit, atque eo ſanctimoniæ proceſſit, ut prophetiæ ſpiritu multa prædixerit. Demum quum accolarum ſcelera verbis caſtigaret, eorum quidam caput illi falce præcidit ſub annum Christi 884.„ Eadem fuſius paulo narrat proprium Curienſe die ultima Ianuarii. Claruit igitur S. Euſebius ſub GERBRACHO, Eſſone et Rothario epiſcopis, quorum prior vitam reliquit ante annum 849.

XXIII.
E S S O.
Ab anno 849. ad 879.

XX. Pace quidem fruebatur eccleſia Curienſis, quum eam Esso circa initium anni 849. regendam ſuſciperet: attamen ut tranquillitatem firmaret magis, et ne comitum invidiæ forte iniqui quidquam molituræ ſuccumberet; providus paſtor ſtatim a ſui regiminis initio aulam Ludovici regis adiit, flagitans, ut quod pater eius Ludovicus Pius ad Victoris epiſcopi preces in eccleſiæ favorem ſanxerat, ſua auctoritate confirmaret. Timebat enimvero prudens Eſſo, ne forte iis, qui Rhætiæ præerant, in mentem veniret, Rodericum imitari. Rex tunc temporis Ratisbonæ morabatur, qui votis epiſcopi annuens, largo diplomate non ſolum ea, quæ pater ſuus pro eccleſia Curienſi egerat, ſtabilivit, nimirum epiſcopi in ſua iura bonaque a Roderico ablata reſtitutionem; ſed adiecit inſuper uſum navis in lacu Rivano a quavis ſolutione liberæ in loco Quinto, hodie *Quinten*, ut exinde neceſſaria pro alendis luminibus, aliisque neceſſitatibus ſublevandis in eccleſia ſua hauriret. Expeditæ ſunt litteræ in dicta urbe die 12. Iunii anno 849 *b*). Vero ſimillimum eſt, ESSONEM triennio poſt ſeu anno 852. Moguntiæ generali Germaniæ ſynodo interfuiſſe, ad quam omnes epiſcopi et abbates tum ex orientali Saxonia, tum ex Francia et Baioaria convocabantur *c*).

a) P. Trudp. Neugart Codex dipl. Alem. T. I. p. 436. *b*) Grandid. Hiſt. Straſsb. T. II. p. CCXXXI. *c*) Harzh. Concil. Germ. T. II. p. 165.

Circa idem tempus bonis eccleſiæ facta eſt alia acceſſio largitate Waltradæ piæ cuiusdam fœminæ, quæ prædia ſua Meranii in Tridentina valle ſita Essoni donavit, a quo viciſſim ad dies vitæ accepit villam *Schrans* cum vinea quadam, poſt eius obitum eccleſiæ reſtituendam. Donationem hanc ad Essonis preces auctoritate ſua roboravit Ludovicus rex anno 857. die 2. Iunii, quum in palatio Potamico ageret *a)*. Rhætiæ regio nomine tunc præerat Adalricus Adalberti filius.

XXI. Anno 860. Nicolaus papa ad Carolum archiepiſcopum Moguntinum eiusque ſuffraganeos litteras dedit, quibus inter alia modum publicæ pœnitentiæ pro gravibus criminibus peragendæ determinat. „Carnem, ſcribit, non manducent omnibus diebus vitæ illorum; vinum atque pulmentum ſumere non præſumant, niſi tres dies per hebdomadam. Ieiunent autem usque ad nonam diei horam quotidie exceptis feſtis diebus atque dominicis. Arma gerere non audeant, vel ſumere, niſi contra paganos: et ubicunque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, pedeſtri more proficiſci ſtudeant. Tempus autem huius pœnitentiæ in veſtræ beatitudinis arbitrio ponimus, ut ſecundum converſionem illorum aut extendere vel minuere valeatis.„ Præterea eos, qui cum filia ſpirituali, quam e ſacro fonte ſusceperint, vel ante epiſcopum, cum ſacro chriſmate fuerit uncta, tenuerint, fornicationis crimen commiſerunt, anathemate percuti iubet pontifex. Hinc patet ſanctus rigor, qui tum etiam in Germaniæ eccleſiis adverſus crimino ſos exercebatur *b)*.

Porro Essonis geſta monumenta ſilent. Id certum, quod anno 868. ſynodo Wormatienſi adfuerit, quam iuſſu Ludovici regis Luitbertus Moguntinus menſe Maio coegit, prout patet ex Hanſizii hiſtoria epiſcoporum Patavienſium apud Harzheimium *c)*, ubi pariter concilii acta recenſentur.

Flugius in catalogo epiſcoporum Curienſium Essonis obitum ad die 4. Novembris anni 879. conſignat.

a) Cod. prob. N. XII. *b)* Harzh. Concil. Germ. T. II. p. 244. *c)* Loc. cit. p. 322.

XXIV.
ROTHARIUS.
Ab anno 879. ad 887.

XXII. Errant, qui Eſſoni Luitwardum in ſede Curienſi ſubiungunt, illumve eundem cum ROTHARIO faciunt. Is enim Vercellenſem eccleſiam rexerat eodem tempore, quo ROTHARIUS Curienſem, fuitque Caroli Craſſi imp. archicancellarius *a*). Electus autem fuit ROTHARIUS exeunte anno 879. quo tempore Carolus Craſſus in Longobardiam perrexit, ut annales Bertiniani teſtantur, regnumque ipſum obtinuit *b*). Uſus hac occaſione ROTHARIUS, quædam eccleſiæ ſuæ bona, quorum cura ob longiorem diſtantiam difficilis accidebat, cum aliis vicinioribus permutare ſtatuit. Quocirca Luitwardum Vercellenſem, qui forte imperatori per alpes in Italiam proficiſcenti comes aderat, hac de re convenit, ut inita permutatione poſſeſſiones, quas eccleſia Curienſis in Alſatia, nimirum Seleſtadii, nec non in *Kinſheim*, *Breitenheim* et *Winzenheim* hucusque habebat, Vercellenſi cederent; earum autem loco bona magis vicina, quæ imperator Luitwardo ante donaverat, ad Curienſem eccleſiam devolverentur. Permutationem hanc illico ratam habuit imperator, litterisque publicis confirmavit die 4. Ianuarii anno 880. quum in Reggienſi civitate moraretur, quas recitat Grandidierus *c*).

XXIII. Loca, quæ per iſtam permutationem eccleſiæ Curienſi obtigere, ſunt *Tuberis* monaſterium, quod Tobrenſe eſt, unde valli Monaſterienſi nomen, et pago *Taufers*: *Nuzudres* hodiernum *Nuziders* eſt Walgoviæ vicus prope Bludentum: *Flumina* hodie *Flums* in comitatu Sarganenſi. Aſt *Vinomna* neutiquam eſt *Finſtermünz*, ut opinatur Grandidierus *d*); ſed locum hunc vel inter Eſtiones circa Campum S. Petri, ſeu Feldkirch, vel in alia regione Rheno Curiæque urbi vicina quærendum eſſe, ſequentia docent.

Lotharius imp. quum a coronatione ſua anno 823. Roma in Germaniam per alpes rediret, Leoni epiſcopo Comenſi diploma dedit in *Vinomna* ſeu *Venomnia*, quæ ibi villa Unfredi vel Hunfridi comitis vocatur *e*). Fuit is Iſtriæ et Rhætiæ comes, qui potiſſimum circa Rhenum Langarumque fluvios dominabatur; ubi tranſiit im-

a) Ughell. Ital. Sac. T. III. col. 767. *b*) Bouguet. T. VIII. p. 34. *c*) Hiſt. Straſsb. T. II. p. CCLXVII. *d*) Loc. cit. *e*) Tatti Annal. Comens. T. I. p. 948.

perator, non vero per Finſtermunzium montem, ſiquidem ibi aut nullus, aut difficillimus in Germaniam tranſitus eſſe potuit. Porro ubi Carolus Craſſus anno 882. monaſterio S. Galli donat montem S. Victoris prope Feldkirch, inter bona monti adnexa occurrunt etiam decimæ in villa *Venomnia;* unde patet villam hanc a S. Victoris monte non longe diſſitam fuiſſe.

Occurrit demum *Vinomna* in charta quadam ann. 920. tanquam *mallus publicus ad audiendas et diſcernendas cauſas*, locus proin celebrior, ubi Waldo epiſcopus Curienſis et monachi S. Galli eo anno convenerunt, litem quamdam de abbatia Fabarienſi diremturi: qui certe ea de cauſa non in vallem Venuſtam, aut Finſtermunzium per avia et devia, longo et perarduo itinere profecti ſunt. Hinc vero eſt proximius, ſi dicamus, *Vinomnam* inter nobiliora loca Rheno propinqua extitiſſe *Werdenberg*, *Vaduz*, *Feldkirch*, *Ranquil* etc.

XXIV. Falluntur, qui ROTHARIUM imperatoris iuſſu ſede ſua detruſum, et poſtliminio reſtitutum adſerunt; id enim Luitwardo Vercellenſi contigit, quem amicitia Richardæ imperatricis adulterii calumnia apud Carolum maritum denigraverat. Aſt innocentia utriusque forſan detecta imperator Adalberto Luitwardi nepoti ea reſtituit, quæ per avunculi ſui infortunium amiſerat, teſte charta de anno 887. quam ex Ægydii Tſchudii collectaneis hauſtam vidimus.

Iuxta Flugium carnem poſuit ROTHARIUS die 16. Iulii anno 887.

XXV.
THEOTOLPHUS.
Ab anno 887. ad 914.

XXV. Quamvis Carolus Craſſus imperator animo fuerit in eccleſias et præſules benigno et liberali; calamitatibus tamen illæ non caruerunt. Erant ſemper viri rerum alienarum avidi quamplures, qui ſepoſita in ſacerdotium reverentia bonis eccleſiarum inhiabant. Normanni præprimis maximam ſtragem Germaniæ Franciæque iam dudum intulerant. Hinc templa direpta et diruta, ſacerdotes et monachi peſſime habiti, et truncati etiam; teſtantur id patrum querelæ in ſynodis Colonienſi anno 887. et Moguntina anno 888. celebratis *a*). „Quis, inquiunt, ſiccis ocu-

a) Harzh. Concil. Germ. T. II. p. 368. Eccard. Franc. Orient. T. II. p. 704.

lorum luminibus valeat enumerare mala gentis noſtræ et Sanctorum? Videte et conſiderate, quam præclara et nobilia ſervorum Dei ædificia destructa et incenſa ſint, et funditus ad nihilum redacta: altaria defoſſa, et penitus conculcata: ornamenta eccleſiarum Dei pretioſa et mirifica direpta et igne exuſta. Epiſcopi et ſacerdotes, et cæteri ordinis eccleſiæ viri gladio truncati, et diverſis pœnarum generibus morti addicti — — Subverſionis periculum incolæ monaſteriorum utriusque ſexus metuentes huc illucque vagantur incerti, cum periculo ſuæ profeſſionis. — — Ecce e latere turba raptorum et ſchiſmaticorum ſævit, qui pauperes et humiles Chriſti opprimunt, et interimunt; hocque nihil putant, et parvi pendunt, nec etiam pœnitentiæ colla ſubmittere volunt.„

XXVI. Hæc erat rerum in Germania facies, quum THEOTOLPHUS in æſtate anni 887. epiſcopatum regendum ſuſciperet. Illud quoque Rhætiæ periculoſum fuit, quod Carolo imp. defuncto, et Arnulpho in eius locum ſubrogato, Berengarius in Italia iugi imperatorii impatiens regnare cœperit; ea enim res bella et diſſenſiones in Rhætiæ vicinias acceſſivit. Nec THEOTOLPHO vexationes domeſticæ deerant; nam bona, quæ Rotharius vi permutationis cum Luitwardo Vercellenſi initæ acquiſiverat, non ſolum vocabantur in dubium, ſed etiam quorumdam iniuria præſumtuoſe ab eccleſia abſtrahebantur. Verum THEOTOLPHUS de Arnulphi electione certior factus, menſe Ianuario anno 888. ad eum Ratiſbonam profectus dictæ permutationis litteras oſtendit, ſupplex, ut regia auctoritate inique ablata eccleſiæ Curienſi reſtitui mandaret, quod et fecit dato diplomate XI. Calend. Febr. hoc anno, decima poſt Caroli Craſſi mortem die *a*). Eodem anno interfuit, et poſtremo loco ſubſcripſit ſynodo Moguntinæ nationali THEOTOLPHUS noſter, ubi de mediis deliberatum, quibus diſciplinæ ruina per Normannos illata poſſet reſarciri; præterea regi Arnulpho iuſtitiæ et caritatis monita dabantur, quemadmodum et clero plebique norma honeſte vivendi, variaque adverſus facinoroſos decreta *b*).

Biennio poſt anno 890. aliud Forchemii concilium habitum fuit, ubi fundatio monaſterii Heriſienſis ad preces Biſonis epiſcopi Paderbornenſis confirmata eſt. *Agiulphum*, qui ſynodo ſubſcriptus legitur, cuiusque ſedem ignorat Harzhemius, non alium eſſe augurarer, quam THEOTOLPHUM Curienſem, niſi illum eodem anno aliis in locis reperirem *c*). Nam diverſimode ſcriptus legitur hic præſul; ſic *Reoculphus* vocatur, ubi ab Arnulpho rege legatus unacum Bertholdo comite Valen-

a) Grandid. Hiſt. Straſsb. T. II. p. CCLXXXI. *b*) Eccard. loc. cit. Schaten. Hiſt. Weſtph. lib. 3. p. 138. *c*) Harzh. Concil. Germ. T. II. p. 383.

tiam missus est hoc anno, ut eius nomine Ludovici regis Arelatensis electionem ratam haberet; Bosone enim patre defuncto, vidua mater Ermengardis nihil non egit tam apud Stephanum papam, quam apud Arnulphum regem, ut filius, quamvis adhuc puer, regno Arelatensi præficeretur *a*). Die 30. Augusti eodem anno 890. Theotolphus interfuit conventui nobilium, quem Salomon III. episcopus Constantiensis et S. Galli abbas coegit in loco, ubi Rhenus lacui Bodamico miscetur. Rex Arnulphus Udalrico Linzgoviæ comiti haud ita pridem locum Lustenoviensem donaverat, unde S. Gallenses varios redditus haurire consueverant, quos illis dictus comes intercepit. Ea de causa Salomon, ut ſuæ abbatiæ iura tueretur, omnes ex vicinia nobiles Durgovienses, Rhætos et Linzgovios adesse voluit, qui iurium, quibus San-Gallenses nitebantur, testes essent. Adfuere unacum episcopo Curiensi ultra 50. dynastæ, qui lite in favorem Salomonis decisa Rhingoviæ et Durgoviæ limites determinarunt. Chartam præter alios correctiorem exhibet P. Trudpertus Neugart *b*).

XXVII. Interea tametſi in conciliis multa pro episcoporum clerique honore tuendo ſancita ſint; tamen non deerant quamplurimi ſacerdotalis dignitatis protervi contemptores, qui nihil non egerunt, ut quoquo modo ſacerdotium ad ima detruderent. Hinc, ut ſcribit Rhegino *c*) *anno incarnat. Dominicæ* 895. mense Maio *ſynodus magna* episcoporum Germaniæ *celebrata est apud Triburias contra plerosque ſeculares, qui authoritatem episcopalem imminuere tentabant.* Reperitur ibi etiam Theotolphus noster, qui inde a ſua electione maximam temporis partem domo abſens pro eccleſiæ bono itineribus transigebat; erat enim vir apprime prudens, et rerum tam pro ecclesia quam patria agendarum dexteritate conspicuus.

Rex Arnolphus patribus conscriptis ſummo ſtudio favebat: „Habetis me, inquiebat, omnibus eccleſiæ Christi adverſantibus, et vestro ſacerdotali miniſterio renitentibus bellatorem quam maxime oppositum.„ Ut ergo ſua esset ſacerdotio auctoritas, inter alia ſancitum *d*), ut qui ab episcopis anathemate perculſi resipiscere nollent, vi a regni comitibus iudicio regio ſisterentur, pro meritis ibi puniendi: res eccleſiis ablatæ tripliciter restituantur: comites episcopis ſemper cedant, cum populi conventus indicunt, ita, ut si eadem die episcopus et comes populum convenire iubent, episcopo cuncti pareant. Præterea prohibentur ſacerdotes in vaſis ligneis ſacra facere, et se purgare iuramento, si forte litem cum laicis habeant.

a) Eccard. loc. cit. p. 716. *b*) Cod. dipl. Alem. T. I. p. 485. Vid. etiam Guler. p. 99. et Marquard. Herrgott. Geneal. dipl. Habsb. T. II. P. I. p. 57. *c*) Eccard. loc. cit. p. 756. *d*) Can. 3. 7. 9. 18. 21. et 35.

Statuitur quoque, ſacerdoti fidem esse habendam, si pro veritatis testimonio ſacrificet. Comitibus et iudicibus inhibetur, ne diebus dominicis, festis, aut ieiunii causas agant, hocque modo populum a ſervitio divino abstrahant; neve publice pœnitentem in iudicium vocent, qua ratione is, dum ieiunare et orare, atque pro ſalute animæ ſuæ invigilare debet, vaniloquiis et contentionibus laborare cogeretur. Hæc aliaque cum regis multorumque nobilium, qui aderant, consensu, ſalubriter æque ac ſapienter ſtatuta fuerunt. Inter præsules ſubscriptos Curiensis invenitur ordine nonus *a*). Adfuit etiam ſolemni dedicationi monasterii S. Emerammi Ratisbonæ, quæ si a Formoso papa nono Calend. Octobris peracta est, eodem hoc anno 895. contingere debuit; ſiquidem anno ſequenti Formosus in paschate obiit. Ioannes Steindelius in ſuo chronico *b*) rem gestam refert magno cum errore ad annum 898. recensetque omnino viginti episcopos, qui huic ſolemnitati interfuerunt, eosdem ſcilicet, qui ſynodum Triburiensem constituebant. Unde divinare licet, si reapse Formosus papa Ratisbonæ fuit, episcopos ſynodo finita illuc pervenisse pontificem invisuri. Auctor historiæ Emerammensis *c*) fatetur, annum dedicationis incertum esse, ex antiquis autem ſcripturis et picturis erui, dedicationem revera abs Formoso fuisse peractam.

Erat interim tempus nefastum; hinc Normanni, illinc Ungari Franciam, Germaniam Italiam armis inundarunt: Arnulpho imperatore defuncto imperii ſceptrum in puerili et impari Ludovici IV. manu nutabat: ipsa Romana ſedes, unitatis et pacis centrum, contentionibus hinc inde ſcindi videbatur. Episcoporum denique, qui aulam ſequebantur, auctoritas vilescebat. Qua re factum, ut ſynodorum provida vigilantia reducendæ morum integritati parum profuerit.

Porro THEOTOLPHUM anno 903. æstatis tempore Forchemii in conventu procerum invenimus, ubi Ludovicus rex, eius aliorumque episcoporum precibus permotus die 24. Iunii monasterio S. Galli diploma concessit *d*); ex cuius testimonio inter comites Forchemii aderat *Burchardus marchio Curiensis Rhætiæ*; unde refellitur Gulerus adserens *e*), THEOTOLPHUM episcopum in civilibus etiam integræ Rhætiæ præfuisse.

XXVIII. Quum episcopus Curia plerumque abesset, contigit, ut ex ſæcularium avaritia, tenuique in ſacerdotes reverentia ecclesiæ bona non ſolum negligerentur, ſed etiam læderentur: ſervi enim et ancillæ, quibus prædiorum cura erat

a) Schaten. Annal. Paderb. lib. 3. p. 155. Harzh. loc. cit. p. 388. ſeq. *b*) Oefel. rer. Boicar. T. I. p. 455. *c*) Cod. prob. p. 88. *d*) P. Trudp. Neugart. loc. cit. p. 525. *e*) Rhæt. alp. p. 100.

commiſsa, ſervitium iniuſte detrectabant. Hinc THEOTOLPHUS adlectis quibusdam civium Curienſium primoribus Septembri menſe anno 912. ad Conradum imperatorem, qui in palatio Potamico ſubſtiterat, profectus eſt, eique propoſuit, multas in ſuo epiſcopatu tum negligentias tum violentias fieri, quibus amovendis abſque imperatoris ſubſidio impar eſſet. Conradus Salomonis epiſcopi Conſtantienſis, Erchangarii palatini comitis, et reliquorum nobilium conſilio, ac teſtimoniis procerum Curienſium permotus, THEOTOLPHO, eiusque ſucceſſoribus facultatem dedit, pro veritate indaganda populo iuramentum deferendi, qua poteſtate alias nonniſi veri domini gaudebant; unde forſan Gulerus ſupra citatus deduxit, THEOTOLPHUM etiam in civilibus Rhætiæ iura dixiſſe. Prohibuit quoque imperator, ne ſervi et ancillæ ſe ante 30. annos e ſervitio eximere præſumant. Datæ ſunt litteræ die 25. Septembris *a*).

Sequenti anno 913. menſe Martio Argentinæ comparet THEOTOLPHUS, ubi cum aliis epiſcopis pro monachis Murbacenſibus diploma a Conrado impetravit *b*). Tandem confectus ſenio, poſtquam 27. annis ſumma cum laude præfuiſſet, multis itineribus et laboribus perfunctus ad ſuperos migravit anno 914 *c*).

SECULUM X.
XXVI.
WALDO I.
Ab anno 914. ad 949.

I. Fuit WALDO Salomonis epiſcopi Conſtantienſis præſulis famoſiſſimi, ex Ramſchwagiorum familia, ex ſorore nepos, eique admodum charus; quum enim in hoſtem, qua occaſione, neſcio, eſſet profecturus Salomon, eidem adhuc puero, ſi forte ex acie non rediret, abbatiam Fabarienſem donavit; quam deinde ex bello redux anno 909. S. Gallenſibus tradidit, conſentientibus ipſo WALDONE puero, et eiusdem advocato Erchangario comite *d*). Ea res poſtmodum, ut mox videbimus, diſſenſionum fomes erat. Mortuo Theotolpho ad ſedem Curienſem evectus eſt WALDO anno 914. adhuc iuvenis, utpote ante quinquennium ephebos vix egreſſus; morum interim ſuavitate, floreſcentis ætatis gratia, ac generis nobi-

a) Cod. prob. N. XIV. *b*) Schœpflin. Alsat. diplom. T. I. p. 111. *c*) Guler. loc. cit. p. 104. Sprecher. Pall. rhæt. p. 66. *d*) P. Trudp. Neugart loc. cit. p. 554.

litate multum prævaluit, gratus proin cunctis et iucundus. Eodem vix non tempore patrem ſuum Desertina amiserat, quæ illico ſibi Waldonem eundem abbatem, quem episcopum præfecit anno 915. id quod imperatori Conrado acceptissimum fuit.

II. Interea Ungari quaquaversum per Europam diffusi, horrendam undique ſtragem vel fecerunt, vel passi ſunt vicissim. Vidisses tunc præstantissimas urbes Italiæ, Germaniæ, Franciæ in cineres redactas, depopulatas ſegetes, ac regiones humano ſanguine fœdatas, et cadaveribus consitas. Nihil non egit Henricus I. imperator, qui anno 919. Conrado ſuccesserat, ut hostes reprimeret, quos etiam prope urbem Merseburgensem egregie devicit, prout refert Sigebertus Gemblacensis *a*). Tempestatem hanc neutiquam evasit Rhætia. Ungari enim alpibus iterato ſuperatis regiones rhenanas tantum non in ſolitudines redegerunt. Quo loco tum res ecclesiarum fuerint, quidve præsules pro ſanctioris disciplinæ conservatione agere potuerint, unusquisque facile diiudicabit, præsertim quum ſimoniæ labes magnam cleri partem adeo infecerit, ut plurium turpia dignitatum aucupia honesti rationem habere viderentur, atque imperator ante pugnam Merseburgensem votum ederet, se labem istam, si in prælio victor evaderet, e regno ſuo eliminaturum *b*). Vix crediderim, Waldonem ab hac penitus immunem fuisse, quo enim iure præter episcopatum, abbatiam Desertinensem tenuit? imo de possessione monasterii Fabariensis cum S. Gallensibus litem habuit? fortassis ecclesiæ ſuæ paupertas Ungarorum pervasionibus aucta illum excusare poterit. Cæterum imperatori percarus fuisse dicitur, a quo anno 919. Wormatiæ privilegiorum confirmationem obtinuit, intervenientibus Rudolpho Burgundiæ rege, et Udalrico postmodum Augustanæ ecclesiæ episcopo, qui Burchardi Sueviæ ducis ex Dietberga filia nepos fuerat *c*). Ipsus Waldo Wormatiam profectus est, interfuturus conventui, in quo Burchardus dux Henrico recens electo fidem et obsequium iuravit *d*).

III. Orta est, ut diximus, hoc tempore dissensio Waldonem inter et S. Galli monachos ob Fabariensem abbatiam, quam ille ea conditione ab avunculo ſuo Salomone acceperat, ut eam, si episcopus evaderet, S. Gallensibus cederet, retento ad dies vitæ loco Buſsnang. Verum Gozaldus S. Galli decanus pactum disrupit, vel non ſtando conditionibus adpositis, vel locum Buſsnang retinendo, vel certe aliud quid per vim agendo. Res iam anno 914. ad tribunal Conradi imperatoris delata est, quum in regali curte Hohenfridinga, Hegoviæ loco, Erchangerum ca-

a) Pistor. rer. Germ. ſcript. T. I. p. 809. *b*) Loc. cit. *c*) Guler. loc. cit. p. 104. *d*) Hartmann. Annal. Erem. p. 34.

meræ nuntium comprehenderet *a)*; ubi Gozaldus causa cecidit, WALDO e contra imperialibus litteris in possessione Fabariæ confirmatus est. Necdum tamen animi quieverunt; nam S. Gallenses Conrado defuncto litem restaurarunt, atque ad iudicium Burchardi ducis provocaverunt. Igitur constitutis loco publico *Vinomna*, et die 8. Martii anni 920. ex utraque litigantium parte magno numero confluxere tam ex Rhætia quam Alemannia: episcopus WALDO prolatis tabulis Gozaldum manifestæ violentiæ convicit, et communis omnium, qui plures quam 60. aderant, iudicum ſententia in eiusdem favorem lata fuit. Instrumentum ea de re confectum exhibet P. Trudp. Neugartus noster *b)*.

IV. Malis, quæ totum imperium inundarant, prospecturus imperator, anno 926. magnum Wormatiæ conventum indixit, ubi ingens episcoporum, et nobilium multitudo confluxit. Ea occasione WALDO noster, qui procul dubio conventui pariter intererat, die 3. Novembris locum Almenum dono ab Heinrico imp. obtinuit, permoto precibus Rudolphi Burgundiæ regis, Herigeri archipræsulis Moguntini, Adalwardi Verdensis et Riwini Argentinensis episcoporum *c)*. Donationi adiecta conditio fuit, ut post WALDONIS obitum loci concessi prædia duobus cœnobiis Cazensi et *Imapitines* ſeu *Wapitines* dividerentur. Almenum, quod in diplomate *Luminis* vocatur, vicus est in Domestica valle ad dextram Rheni ripam e regione parthenonis Cazensis ſitus. Quodnam vero ſit illud cœnobium *Imapitines*, divinare vix licet, forsan ad *Imum pedis* montis Prægalliæ, ubi olim S. Gaudentius martyr occubuit, quoddam monasteriolum ſteterat, qui locus in antiqua reddituum ecclesiæ Curiensis descriptione vocatur *Impedinis*.

V. Percelebris in episcopatu Curiensi iam dudum eminuit ecclesia S. Florini Eremusii in Engadina inferiori, ubi iam ante annum 720. S. Othmarus aliquamdiu animarum pastoris munere fungebatur, quemadmodum ſupra *d)* retulimus. Seculo autem decimo ineunte ecclesiam hanc gubernabat presbyter quidam Reginwardus, cui regia auctoritate præficiebatur. Is postmodum circa annum 930. illam resignavit ſuo nepoti Hartberto; id quod Henricus I. imp. non ſolum ratum habuit, ſed larga insuper donatione auxit, adiectis divite ecclesia in vico *Sins*, qui prope Eremusium est, et ipsa valle cum omnibus tam fructibus, quam iuribus. Publicæ litteræ huius rei testes extant etiamnum in ſcriniis Curiensibus, a D. Zapfio Augustano editæ *e)*. Datæ fuerant Francofurti die 9. Aprilis anno 930.

a) P. Æmil. Ussermann. Collect. monum. T. I. p. CX. *b)* Cod. dipl. Alem. T. I. p. 572. *c)* Würdtw. Nov. Subsid. dipl. T. III. p. 344. Zapf. Monum. anecd. T. I. p. 48. Pistor. loc. cit. p. 257. Grandid. loc. cit p. CCCV. *d)* Seculo VIII. Num. II. *e)* Loc. cit. p. 54.

Porro Otto I. Henrici in imperio ſucceſsor eidem Hartberto anno 937. die 23. Maii conceſsit ius piſcandi in Honau prope Pfullingam ducatus Wirtenbergici oppidum, ubi *Echaz* fluviolus, qui in diplomate *Achaza* dicitur *a*).

VI. Interea Saraceni, qui dudum in valle Fraxinetenſi conſederant, magnam eccleſiæ Curienſi calamitatem intulerunt. Hugo enim Italiæ rex veritus, ne Berengarius collectis ex Suevia copiis regnum ſibi eriperet, cum alienigenis iſtis *fœdus iniit*, verbis utor Luitprandi *b*), *ut in montibus, qui Sueviam atque Italiam dividunt, ſtarent: ut ſi forte Berengarius exercitum per eos ducere vellet, tranſire eum omni modo prohiberent.* Unde Rhætia feroci repleta milite, incendiis, deprædationibus, cæterisque belli calamitatibus excoriata fuit *c*). Ingenti ea res, ut fieri ſolet, eccleſiæ Curienſi detrimento fuit, cuius afflictum ſtatum et miſeriam quum imperatori expoſuiſset WALDO, Quetlinburgi VI. idus Apriles anno 940. ab eo litteras obtinuit, quibus binas eccleſias dono accepit *d*), quarum redditibus, quoad viveret, uti poſſet: alteram, quæ Pludenti in valle Druſiana ſita eſt; in regione Sexamnienſi alteram S. Martino dicatam, quam imperator poſt WALDONIS obitum ad virgines Cazenſes devolvi voluit. Iuvabatur epiſcopus Hermanni Sueviæ ducis commendatione, qui eo tempore Ottonem comitabatur. Uterque et WALDO et Hermannus vitam morte commutaverunt anno 949 *e*).

XXVII.
HARTBERTUS.

Ab anno 949. ad 968. circiter.

VII. HARTBERTUS, presbyter ille, quem ſupra S. Florini parœciæ Eremuſii præfectum vidimus, Waldoni mox ſuffectus eſt omnibus optimi præſulis dotibus ornatiſſimus, qui unacum ſanctis Udalrico Auguſtano, cui oppido erat familiaris, et Conrado Conſtantienſi epiſcopis pietate et ſanctimonia patriam noſtram illuſtravit.

Eccleſia Curienſis hactenus preſsa calamitatibus, vexata iniuriis, bellis ac rapinis pæne emuncta HARTBERTI induſtria refloruit, et quaſi e cineribus exſuſcitata revixit: is enim omnia ferme bona et privilegia, quibus diœceſis usque ad religio-

a) Cod. prob. N. XV. *b*) Lib. V. cap. 7. *c*) Guler. Rhæt. alp. p. 106. *d*) Cod. prob. N. XVI. *e*) Hepidann. Annal. Saxo apud Eccard. Corp. Hiſt. med. ævi T. I. p. 279.

nis diſſidia gaviſa fuit, ab Ottone I. imp. acquiſivit, a quo patris loco colebatur. Hic quum anno 951. Adelheidem reginam viduam, quam e Berengarii poteſtate liberaverat, ſibi matrimonio iunxiſſet, cum ea Octobri menſe Papiam urbem ingreſſus, ibi aliquot menſibus ſubſtitit, ut refert Sigonius *a*). Ibidem die 15. Octobris Hartberto donavit omnes redditus, qui hactenus ex Curienſi comitatu in fiſcum regium deferebantur *b*). Patris Ottonis beneficentiam moverunt filii Ludolphi preces, qui ducatum Alemanniæ et Rhætiæ comitatum tunc regebat *c*). Videtur ipſe Hartbertus Ottonem in Italiam ſecutus, atque unacum Friderico archipræſule Moguntino ad pontificem Romam transmiſſus fuiſſe *d*). Otto hyeme transacta Italiam reliquit, et exeunte Februario menſe Rhætiam pertranſiit, quo in itinere contemplatus eſt ſtrages, quas ante 12. circiter annos Saraceni diœceſi Curienſi intulerant: ſubſtitit pauliſper Curiæ, ac egenæ loci eccleſiæ miſertus votum ibidem emiſit, ſe illam data occaſione dotaturum, id quod ipſemet teſtatur in diplomate quodam anni 956 *e*). Quanta religione promiſſis ſteterit, ſequentia docent.

Curia digreſſus Turegum petiit, ubi die 1. Martii monaſterio SS. Felicis et Regulæ diploma conceſſit *f*); exinde in Alſatiam profectus, die 12. eiusdem menſis in Herenſteinenſi palatio altero ſat amplo dono eccleſiam Curienſem cumulavit: datis namque publicis litteris ſanxit, ut omne vectigal, quod Curiæ a peregrinis et mercatoribus, aliisque exigi ſolebat, ad dictam eccleſiam devolveretur *g*).

VIII. Die 7. Auguſti eiusdem anni 952. Auguſtæ in Vindeliciis ad ſynodum convenerunt tres archipræſules, et epiſcopi viginti, partim Germani, partim Itali, quos inter etiam Hartbertus noſter. Rex ipſe patrum precibus invitatus aderat; præſidebat Fridericus Moguntinus. Sancita undecim capitula fuere, quibus antiqua præcepta de clericorum cœlibatu innovantur, ultimo præſertim canone, qui ſic habet: „Epiſcopus, presbyter, diaconus, ſubdiaconus, ut in multis conciliis firmatum eſt, quia divina miniſteria contrectant, ab uxoribus abſtineant. Cæteri autem clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes, ad continentiam cogantur *h*).„

IX. Supra ſeculo IX. num. XXI. et XXII. retulimus, Rotharium epiſcopum Caroli Craſſi auctoritate bona, quibus eccleſia Curienſis in Alſatia fruebatur, permutaſſe cum Luitwardo Vercellenſi pro prædiis vicinioribus. Hartbertus autem

a) Calles. Annal. eccles. Germ. T. IV. p. 308. *b*) Cod. prob. N. XVIII. *c*) Calles. ibid. p. 291. *d*) Ibid. p. 310. *e*) Cod. prob. N. XX. *f*) Würdtwein. Nov. Subs. diplom. T. III. p. 360. *g*) Cod. prob. N. XIX. *h*) Harzh. Concil. Germ. T. II. p. 622.

illa denuo recuperavit; Ottoni enim regi ostendit, ea iniuste ablata fuisse. Quo pacto factum fuerit, ut iniustitia quædam irrepserit, non constat; forsan prædia ista viciniora pretio erant longe minora. Certe HARTBERTUS aliquas regum litteras, quibus bona illa ſuæ eccleſiæ addicuntur, protulit, iisque Ottonem permovit, ut eadem edito diplomate restitui mandaret 15. Octobris anno 952. *a*) quo tempore in Frosano palatio ad Albim fluvium ſupra Parthenopolim ſubſtiterat. Extat porro alterum eiusdem tenoris diploma anno ſequenti 953. die 24. Febr. Ehrensteinii HARTBERTO datum, quod plura adhuc loca ad ecclesiam Curiensem defert, quam illa duo de ann. 880. et 952. nimirum *Odruzheim*, *Schwabsheim*, *Gemur* et *Monchenheim b*).

Dubium non est, quin clerus Vercellensis, cui vi permutationis ante 72. annos dicta bona cesserant, se opposuerit. Quapropter res denuo a rege diſcussa, litteræ priorum regum revisæ, auditi testes, ac demum in hanc ſententiam itum ab Ottone fuit: „Proprietatem, quam periculose et iniuste cognovimus ablatam, consultu procerum nostrorum Curiensi ecclesiæ priora regum præcepta roborando, hoc nostro auctoritatis ſcripto restituimus.„

X. Interea regis filius Luitolphus Sueviæ dux, adscito ſibi Conrado duce Lotharingiæ impia adversus patrem, velut alter Absalom, arma movit. Iam uterque exercitus Ottonis patris, et Luitolphi filii ad Ileram fluvium prope Tussen Sueviæ vicum verno tempore anno 953. constiterant ad pugnam parati. Ingens tunc victoria reportata est: victi ambo exercitus non armis, ſed pietate fuerunt. Nam S. Udalricus Augustæ præsul, et HARTBERTUS noster Curiensis facti indignitate, qua filius patrem armis petebat, commoti, mirandum pietatis pacisque exemplum dederunt. Ambo hi præsules magna animi fortitudine, inter utrumque exercitum hinc illinc equitantes, partim precibus, partim minis a fundendo ſanguine militem dehortati ſunt, ne impia fide cum filio rebelli patris regisque innocenti vitæ inhiaret. Vicit episcoporum pietas, Suevi Luitolphum deserunt, panguntur ad medium Iulii mensis induciæ; ſicque clarissima victoria nullo ſanguine ſtetit *c*).

Extat in bibliotheca nostra S. Blasii codex membranaceus ſeculi XII. qui Sanctorum vitas continet, quas inter et illa S. Udalrici Augustani a Bernone Augiensi monacho anno 1115. concinnata, ubi, quæ retuli, ſic narrantur *d*): „Interea dum contentio inter Ottonem imperatorem propter fratrem eius Henricum, et filium eius Luitolphum exorta in tantum accrevisset, ut non aliter, nisi ferro, finiri potuisset;

a) Würdtw. loc. cit. p. 363. *b*) Ibid. p. 367. *c*) Mencken. Script. rer. Germ. T. I. col. 1378. Schannat. Vindem. litter. Collect. II. p. 57. Crus. Annal. Suev. L. IV. P. II. p. 121. Guler. loc. cit. p. 106. et 107. *d*) Cap. 18.

iamque partis utriusque acie ordinata, ut in cominus committi pugna deberet; athleta Dei Udalricus ſciens, quia portantes pacem beati ſunt, et quod Veritas in evangelio ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*; aſſumpto Hartberto *Curienſis eccleſiæ epiſcopo religioſo*, ſe in medium iniecit, ac tanta eos ſuadendi arte aggreſſi ſunt, ſpiritu patris in amborum ore loquente, ut facile ad pacis fœdera revocarent, et veræ charitatis donum firma ſtabilitate in eorum pectoribus conſolidarent.„

Poſtquam ab armis ceſſatum, id quoque pii præſules effecerunt ſuis apud Ottonem precibus, ut rebellis filius petita venia in priſtinam gratiam a patre reciperetur. „Non aliter, ut ſcribit Berno, tunc Otto pœnitentem Luitolphum, quam ille evangelicus pater olim ſuſcepit revertentem filium.„

Ante vel poſt inſigne hoc factum imperator Hartbertum unacum Friderico Moguntino Romam ablegavit, teſte Hermanni Contracti chronico *a*).

XI. Præfatus biographus mox aliam tempeſtatem longe atrociorem ſubſequutam narrat in hunc modum: „Sequenti anno, id eſt, Dominicæ incarnat. 954. gens Ungariorum omni bellua crudelior, cum innumerabili multitudine erupit, omnemque Noricorum gentem a Danubio uſque ad Nigram Silvam, quæ ad montana pertinet, et partem Alamannorum uſque ad Hilaram fluvium devaſtando occupavit; quæ Licum tranſiens eccleſiam S. Afræ igne concremavit, atque civitatem Auguſtam obſidione circumdedit. Sed inito (poſt Ottonis adventum) prælio, Deo victoriam populo chriſtiano donante multa millia Hungariorum ceciderunt, cæteri fugam arripuerunt, quos chriſtianorum exercitus tamdiu perſecutus eſt cædendo, donec principes eorum cum multis aliis vivi caperentur, atque Radiſponam perducerentur, ubi ad ignominiam ſuæ gentis poſtmodum ſuſpenſi ſunt.„ Eandem rem ad annum 955. cum aliis narrant Herm. Contractus et Lambertus Schafnaburgenſis.

Repetitam hanc barbarorum irruptionem eccleſiæ Curienſi ſat pernicioſam fuiſſe, vel ex eo patet, quod poſtmodum Otto I, ut damna illata quoquo modo reſarciret, prædia et iura quædam Hartberto conceſſerit. Teſtimonio eſt diploma anno 956. die 28. Decembris Dornfurti datum, quo curtis regia Cicerii ad eccleſiam Curienſem devolvitur, unacum libero navis uſu in lacu Rivano ſeu Wallenſi ad locum Quintum, hodie *Quinten b*).

XII. Anno 958. aulam Ottonis ſecutus eſt Hartbertus, quocum in Francia egerat, dum Cralo S. Galli abbas ob nimiam ſeveritatem a ſuis repulſus, ſuas ad

a) P. Æmil. Uſſerm. Germ. S. Prodr. T. I. p. 183. *b*) Cod. prob. N. XX.

regem querelas deferebat. Opportune aderat etiam Enzelinus abbatiam Fabariensem, unde eum Cralo detruserat, repetiturus. HARTBERTUS hac occasione utendum ratus, regi ſuggessit, Fabariam ſemper ſedi Curiensi ſubiectam fuisse, quousque Salomonis astutia inde abstraheretur, ſibi proin illius repetundæ ius competere. Verum aulici ab Enzelino auro corrupti Ottoni persuaserunt, abbatiam ad fiscum regium pertinere; ergo adiudicata Enzelino fuit, ut refert Ekkehardus iunior *a*). Episcopus ſpe delusus ad ecclesiam ſuam rediit. Falsum tamen est, quod Gulerus *b*) et Sprecherus *c*) ſcribunt, illum curte regia in urbe Curiensi privatum fuisse; Otto namque ecclesiæ Curiensis bona indies magis augere ſtuduit. Præ manibus diploma est die 16. Ianuarii anno 959. Fritislariæ confectum, quo non ſolum dimidia urbis Curiensis pars cum omni adnexo iure, ſed etiam ædes S. Laurentii, S. Hilarii cum prædio, S. Martini cum vinea, nec non S. Carpophori in Trimis HARTBERTO eiusque ſuccessoribus ſumma liberalitate donantur *d*). Quod autem curtem regiam Curiæ attinet, ea hactenus nunquam inter episcopi bona numerabatur, ab Adalberto comite regis nomine possessa, donec anno 960. inita permutatione ad HARTBERTUM deveniret. Quum enim possessiones Alsaticæ, ac illæ in Neckeravia in loco *Chiriheim* ob longiorem distantiam minus commodæ Curiensi ecclesiæ viderentur; HARTBERTUS regem rogavit, ut illas pro aliis bonis in Rhætia ſitis, in ius ſuum reciperet: placuit Ottoni consilium, qui dictarum possessionum loco episcopo tradidit curtem regiam Curiæ, vallem Prægallensem integram, hodie *Bergell* nuncupatam ad pedem Septimi montis, cum omni iure et dominio, prout hactenus rex ipse possederat. Adiecit præterea ecclesias in Bonis dulcibus, vulgo *Bonaduz*, et in Rhætia ima, ſeu *Rhæzuns*, nec non in *Raine* et *Pictaso*, quod forte hodiernum Pitasium, *Pitasch*, est in iurisdictione Foveana ſitum. Auxit demum amplam hanc permutationem iure piscandi in lacu Rivano, et in *Aquasedes*, quod, ni fallor, idem est ac *Quaravedes*, hodie *Grabs* *e*). Sic et regis benignitate, et episcopi prudentia Curiensis ecclesiæ commodis provisum fuit.

Sub huius anni 960. finem HARTBERTUM in celebri episcoporum conventu Ratisbonensi reperimus, ubi præter duos papæ legatos ipsumque regem, tres archiepiscopi Moguntinus, Salzburgensis et Mediolanensis; episcopi vero decem, convenerant *f*). Hiematum ea in urbe fuit usque ad anni ſequentis 961. Februarium mensem; dehinc iter Wormatiam ſusceptum, ubi Otto II. in regem eligebatur, cui ſolemnitati etiam HARTBERTUS interfuit; ibi enim iniit bonorum permutationem

a) Goldast. rer. Alem. T. I. P. I. p. 38. edit. Francof. a. 1730. *b*) Rhæt. alp. p. 109. *c*) Pall. rhæt. p. 69. *d*) Cod. prob. N. XXII. *e*) Würdtw. Nov. Subsid. diplom. T. III. p. 372. *f*) Calles. Annal. eccles. Germ. T. IV. p. 394.

cum monachis Schwarzacensibus, quam Otto pater die 17. Maii binis litteris confirmavit *a*). Episcopus monachis cessit vicum *Neuershausen* in Brisgovia, et *Dündelingen* in Ortenavia prope Lahram; ab illis vero recepit varia prædia antiqui pagi *Bertholdisbara* in vico *Blochingen*; et pagi *Nogelekewe* ſeu ducatus Wirtenbergici in vico *Kuppingen*, nec non in *Polingen*, *Alsheim*, *Tatenhausen*, *Meringen*, *Durmetingen*, *Nunnenweiler*, *Mosheim*, *Reutlingen*, *Algershofen*, *Pargdorf*, *Mos*, *Griesingen*, *Ehingen*, *Berkach* et *Almendingen* *b*). Horum prædiorum quinque posteriora Schwarzacensibus iniuste ablata necdum restituta fuerant, quæ proin ecclesia Curiensis cum onere contentiosæ recuperationis acquisivit.

XIII. Augusto huius anni mense Hartbertus cum aliis præsulibus regem Ottonem in Italiam proficiscentem comitatus est, cuius lateri ferme ſemper adhæsit. Adfuit ſolemnitati, qua illa die 2. Februarii anni 962. a Ioanne XII. papa Romæ imperator inauguratus fuit, eiusque constitutionem in favorem pontificis editam 13. die eiusdem mensis ſigno ſuo munivit, prout apud Baronium aliosque videre licet *c*).

XIV. Floruit circa hoc tempus S. *Geroldus* eremita, quem proprium Curiense ex Saxoniæ ducum ſtirpe oriundum dicit; ast vereor, ne potius familiæ nobilium de *Saccis* vel *Saxo* adscribendus ſit. Hic mundi pertæsus asello insidens eremum petiit, locum quæsiturus, ubi ab hominum consortio remotus ſoli Deo vacaret; ſubstitit in Drusiana valle ad locum *Friesa*, antiquis *Frasuna* dictum, qui ad pedem montis Arulæ aliquot leucis ab oppido Velcuriensi distat. Erant illi duo filii *Cuno* et *Udalricus*, qui longo tempore nescii, quo pater ſecesserit, illum tandem virtutibus coruscantem in *Frasuna* repererunt, eius tum vivendi ratione tum consortio adeo delectati, ut et ipsi anachoretæ evaderent. Otto de Monteforti Iagbergæ comes forte ad venandum egressus fuerat, a quo detecti hi tres eremicolæ, ac benignissime habiti ſunt: eius etiam liberalitate monasteriolum construxit *Geroldus* eodem in loco, quem hactenus cum filiis incoluerat. Extat etiamnum eius nomine insignitum, estque præpositura principalis abbatiæ Einsidlensis; illuc enim vir ſanctus ante mortem ſuam locum unacum filiis per cespitem transtulerat. Piissime obiit 13. Calendas Maii circa annum 978. in Friesa ſepultus *d*).

XV. Anno 964. ad finem vergente Otto imperator unacum Hartberto nostro Italia excessit, et celebratis Paviæ Domini natalibus, alpibusque ſuperatis Curiam

a) Würdtw. loc. cit. p. 376. et 378. *b*) P. Trudp. Neugart Cod. dipl. Alem. T. I. p. 603. Schœpfl. Alsat. dipl. T. I. p. 115. *c*) Baron. ad annum 962. N. 3. — 12. Goldast. Constit. imp. T. II. p. 44. Calles. loc. cit. p. 397. — 402. *d*) Bolland. T. II. April. p. 628. ſeq.

advenit, ubi teste Hermanno Contracto, octavam Epiphaniæ transegit; patet id quoque ex diplomate pro fundatione ecclesiæ Oeninganæ die 13. Ian. ea in urbe dato *a*). Mox tamen uterque cum reliquo comitatu ad Augiense monasterium profecti ſunt, quod colligitur ex chartis Einsidlensibus die 23. Ianuarii eiusdem anni 965. in Augia divite expeditis, in quarum altera HARTBERTUS noster legitur *b*). Erant inter imperatoris libertos Ramprechtus et Vadelbrechtus, qui bona ſua, quæ Kuppingæ in hodierna præfectura Herrenbergica possederant, dono ad ecclesiam Curiensem transtulerunt; ea dein HARTBERTUS permutavit cum prædio Adalberti cuiusdam in loco Almendingen ad ſinistram ripam fluvii Smichæ prope Ehingam oppidum. Pactum utrumque ſtabilivit Otto imp. datis litteris die 22. Aprilis anno 966. Quedlinburgi, qui locus Quintilii Vari nomine famosus est *c*).

Tempus, quo ad ſuperos abiit HARTBERTUS, maxime incertum reddit celebris illa, quam Ekkehardus iunior recenset, S. Gallensis monasterii visitatio iussu imperatoris ſuscepta anno, ut ait ille, 968. mense Maio *d*); cui præter alios adfuisse dicuntur Henricus archiepiscopus Trevirensis, et Hilteboldus episcopus Curiensis HARTBERTI ſucceſſor. Ast, ut alias contradictiones taceam, quas apud Mabillonium *e*) videre licet, adnotasse ſufficiat, Hilteboldum ſuperſtite Henrico Trevirensi nondum Curiæ episcopum fuisse; certum namque est, Henricum iam anno 964. in Italia ex contagione mortuum *f*), quo unacum HARTBERTO in comitatu imperatoris perrexerat: constat porro ex ſupra dictis HARTBERTUM ſaltem anno 966. adhuc fuisse inter vivos. Extra omne proinde dubium est, primo, visitationem S. Gallensem circa annum 963. contigisse, si tamen Henricus Trevirensis, et quidem tamquam caput, eidem interfuerit: deinde Hilteboldum nondum episcopali dignitate fulsisse, HARTBERTO adhuc, triennio ſaltem diutius, Curiense pedum tenente. Vero mihi ſimilius videtur, Hildeboldum tantummodo presbyterum HARTBERTI nomine monasterium S. Galli visitasse, atque ab Ekkehardo episcopum vocatum, quod reapse postea episcopus evaserit. In annalibus Hepidanni manuscriptis ſeculo plane decimo, visitatio illa ad annum 966. refertur, ſed charactere iuniore, et non coævo; ut proin facile anachronismus irrepere potuerit, nam ſeculi decimi ſcriptura ſolum usque ad annum 962. continuatur. Denique in diplomate quodam anni 972. *Hilteboldus* HARTBERTO *ſatis pro meritis ſubrogatus* dicitur *g*), unde videri posset, illum forsan non diu ante illum annum ſedi Curiensi impositum fuisse.

a) P. Trudp. Neugart Cod. diplom. Alemann. T. I. p. 610. *b*) Hartmann. Annal. Erem. p. 73. et 76. P. Trudp. Neugart loc. cit. p. 612. *c*) Würdtw. Nov. Subs. dipl. T. III. p. 397. *d*) Goldast. rer. Alemann. T. I. P. I. p. 47. *e*) Annal. Bened. T. III. p. 592. *f*) Gallia christ. T. XIII. *g*) Herrgott. Geneal. Habsb. diplom. T. II. P. I. p. 84.

Cæterum Hartbertus iam grandævus, iam exhauſtus viribus vicarium ſibi ſelegit *Victorem* archipresbyterum *a)*, quem Otto imperator, poſtquam denuo in anni 966. autumno Italiam per Curiam petierat, larga donatione cumulavit: erant in diœcesi Curienſi prædia quædam poſſeſſoribus morte extinctis, quum nulli ſupereſſent legitimi hæredes, ad fiſcum imperiale devoluta, eaque de cauſa *Terra mortuorum* appellata. Hæc Otto Victori transſcripſit, motus non ſolum Adelhaidis coniugis ſuæ precibus, ſed etiam, ut ipſe fatetur, *Victoris immenſa fidelitate et ſervitio, quod ſemper exhibere non deſtitit.* Sita ſunt bona iſta partim in *Venuſta* partim in *Engadina* vallibus; ſane *Morters* vicus in parte inferiore capituli Tyrolenſis nomen inde traxit. Litteræ donationis teſtes datæ ſunt in *Marila* comitatus Lucenſis villa die 8. Iulii anno 967. quas recitat D. Guilielm. Zapfius in ſuis monumentis anecdotis *b)*. Circa idem tempus ſerius aut citius Hartbertus naturæ debitum ſolvit, eccleſiæ Curienſis per Ottonem imp. aliosque reſtaurator merito habitus.

XXVIII.
HILTEBOLDUS.

Ab anno circ. 968. ad 995.

XVI. A pueritia Hilteboldus in S. Galli monaſterio litteris et pietate imbutus fuerat, digniſſimus, qui in ſede Curienſi *Hartberto* ſuccederet. Supra ex Ekkehardo vidimus, eum viſitationi S. Gallenſi interfuiſſe. Accuſabantur apud imperatorem monachi, quod ordine neglecto diſcordiis ſcinderentur, et reliquis in penuria relictis, eorum aliqui ex propriis, quæ ſibi reservaſſent, ſervirent abdomini, abbas vero, homo debilis, mutum animal foret, et pecus ignavum. Ea occaſione Hilteboldus ad regem Ottonem filium, qui viſitationi præerat, verba faciens, „nihil, ait, in S. Galli monaſterio reperiri, quod non ſua laude ſit dignum; verum quidem eſſe, quod monachorum aliqui propria quædam videantur habere, imo hinc inde et carnibus veſcantur. Aſt id ſemper abbatis fieri permiſſu, et iam longo invaluiſſe uſu, ut qui fortiores ſunt, partim manuum labore, partim ſuſceptis ex amicorum parentumve benevolentia donariis et ſe et alios paſcant. Quod ſi illis interdicendum foret, ad tantam eos pauperiem redactos iri, ut unde viverent, vix eſſent habituri, locum autem ipſum, qui ſemper virtutum ſchola fuiſſet, demum evaneſcere neceſſum foret; quum tamen in toto regno monachi magis regu-

a) Guler. Rhæt. alp. p. 108. *b)* Vol. I. p. 61.

lares vix reperiantur." Concludit demum, ſe, qui *inter illos nutritus educatusque ſit*, eosque ob virtutum ſplendorem hinc inde invisere consueverit, de asserti ſui veritate convictum esse.

Id porro memoratu dignum est, quod de ſemetipso fatetur HILTEBOLDUS, laborem manuum ſibi ſemper pretiosissimum fuisse, et esse adhucdum; nempe austeram vivendi rationem, quam in monasterio adolescens didicerat, etiam in ſacerdotio retinuit, persuasus, præſulem id ſolum ſua dignitate consequi, ut cæteris luculentiore humilitatis et pœnitentiæ exemplo præfulgeat *a*). Crediderim, virum hunc e monasterio extractum ab *Hartberto*, ac clero Curiensi ob ſingulares ſuas dotes insertum fuisse.

XVII. Statim ac pedum episcopale acceperat HILTEBOLDUS, liti cum *Arnoldo* comite Lenzburgico implicabatur, qui patri Udalrico nuper defuncto in advocatia parthenii Schœnensis ſuccesserat. Contendebat hic, locum Ciceriaaum (*Zizers*), quem imperator anno 956. *Hartberto* episcopo donaverat, inter bona monasterii Schœnensis numerandum, eidem proin iniuste ſubtractum esse. Causa ad Ottonem Constantiensi in urbe delata est, quum anno 972. Augusto mense ex Italia rediisset. Imperator convocatis ex Rhætia pluribus dynastis, nobilibusque viris, ſolertissime investigari iussit, utrum prædictus locus Cicerium eo tempore, quo ad ecclesiam Curiensem pervenit, regii iuris ex integro fuerit, nec ne? Omnibus id iuramento adfirmantibus Arnoldus comes cedere coactus, Cicerium vero denuo HILTEBOLDO adsertum fuit. Litteras, ea de re confectas die 28. Augusti hoc anno, edidit Herrgottus noster *b*). Laudant illæ HILTEBOLDUM, quod optimo iure *Hartberto* ſubrogatus fuerit, quemadmodum ſupra (§. XV.) adnotavimus. Præter undecim Rhætiæ dynastas, Constantiam venerunt Berno palatinus, et complures alii comites, qui omnes episcopi causam adversus Arnoldum tuebantur. Acuit hæc res HILTEBOLDI vigilantiam, qua pro ecclesiæ ſuæ iuribus ſtetit; timens quippe, ne et alia bona antecessori ſuo largiter donata in controversiam vocarentur, ea omnia anno 976. Erenstenii in Alsatia V. idus Ian. imperiali diplomate ſtabiliri curavit *c*).

XVIII. Quatriennio post, quum imperator exeunte autumno in Italiam proficisceretur anno 980. Calabriam et Apuliam imperio romano coniuncturus *d*); HILTEBOLDUS noster Theophaniæ Augustæ gratia, necnon Ottonis Alemanniæ ducis,

a) Eccard. iun. apud Goldast. p. 47. *b*) Geneal. dipl. Habsb. T. II. P. I. p. 84. *c*) Würdtw. Nov. Subsid. diplom. T. III. p. 419. Schœpfl. Alsat. diplom. T. I. p. 128. *d*) Calles. Annal. eccles. Germ. T. IV. p. 580.

Hildebaldi Wormatienſis et Giſileri Merſeburgenſis epiſcoporum interventione uſus, haud ſpernendam redditdum acceſſionem eccleſiæ ſuæ ab imperatore obtinuit. Hic enim Papiæ die 5. Decembris omne vectigal, quod Clavennæ ad pontem Mairæ fluvio impoſitum in fiſcum regium ſolvi conſueverat, eccleſiæ Curienſi in perpetuum addixit *a*). Qua donatione vulnus, quod forte temporis iniuria inflixerat, aliquo ſaltem modo ſanatum eſt; frequens enim erat ex Italia in Germaniam, et hinc inde, per Clavennam mercium translatio. Præterea cum Leone quodam pontis cuſtode dono huic utriusque ſexus mancipia adiecta fuerunt, quæ imperator hactenus in Clavenna habuerat.

XIX. Quæ porro de HILTEBOLDO referamus, non habemus, niſi quod die 20. Octobris anno 988. Conſtantiæ ab Ottone III. confirmationem donationis Ciceriánæ obtinuerit. Mortuus eſt iuxta catalogum Flugianum VIII. idus Octobris anno 995. aſt vel ante reſignaſſe, vel carnem citius eundem exuiſſe oportet, eoquod eadem die illius ſucceſſor diploma ab imperatore acceperit.

XXIX.
WALDO II.

Ab anno 995. ad 1002.

XX. Calamitates, quæ ſeculi decimi finem, et ſequentis initia diffamaverunt, obſtant, quo minus certi quidquam de WALDONE huius nominis altero, referre poſſimus. Illud omni dubio caret, eum præfuiſſe iam anno 995. extat enim Ottonis III. diploma Quedlinburgi die 8. Octobris datum, quo huic epiſcopo ea confirmat, quæ nuper pater ſuus eccleſiæ Curienſi in Clavenna donaverat.

Teſte Leone Tigurino defunctus eſt WALDO circa annum 1002. Huic Gulerus *b*) ſucceſſores adſignat *Henricum* quemdam, ſeu *Urbanum*, dehinc vero *Rupertum*, ac demum *Udalricum*. Fieri quidem potuit, ut aliquod ſchisma Curienſem eccleſiam invaſerit, Henricum iſtum et Rupertum intrudens. Aſt quum de neutro quidpiam conſtet, illis omiſſis, certiora indagabimus.

a) Cod. prob. N. XXVI. *b*) Rhæt. alp. p. 111.

SECULUM XI.

XXX.

UDALRICUS I.

Ab anno 1002. ad 1026.

I. UDALRICUS ex comitibus de Lenzburg *a*) oriundus eodem anno epiſcopus evaſit, quo Henricus ſanctus imperium adeptus eſt, nimirum 1002. nam de illo annaliſta Saxo *b*) teſtatur, quod unacum Lamberto Conſtantienſi epiſcopo, duci Hermanno adverſus Henricum adhæſerit eo tempore, quo hic in Augia divite morabatur menſe Iunio anni 1002. Non quidem imperatoris odium, nec Hermanni favor binos hos præſules ad eam agendi rationem movebat, ſed ſolus Hermanno diſplicendi, eiusque potentes iras in ſemet concitandi timor; erant enim contigui utriusque diœceſeos limites, bonaque per ducis ditiones hinc inde diſperſa. Unde ambo tempori cedendum rati, eius, quem magis metuebant, poteſtati ſe commiſerunt. Magnum ea res UDALRICO propemodum periculum fuit: erant quippe, qui malo in epiſcopos animo regi ſuaſere, ut ferro et urbis Conſtantienſis depopulatione vindictam a rebellibus ſumeret. Verum bono omine maior erat imperatoris pietas et manſuetudo, quam ut eos, qui timore, non malitia peccaſſent, puniret. Hinc intactis epiſcoporum rebus, et dirutis ſolummodo quibusdam Hermanni caſtellis, in Franciam profectus eſt *c*). Funeſta ſane isthæc diſſidia eccleſiis Alemanniæ evaſiſſent, niſi et regis clementia, et ducis humilitas eodem hoc anno pacem reduxiſſent, qua Calendis Octobribus ſibi invicem reconciliati fuerunt *d*).

II. Pace reſtituta UDALRICUS in regis gratiam rediit, nec dubium quin anno 1004. Auguſtam petierit, ubi Henricus in Italiam profecturus aliquamdiu ſubſtiterat, ſuam eidem ſubiectionem et fidelitatem teſtaturus *e*), quem in Germaniam reducem per Turegum et Argentinam comitatus fuiſſe creditur. Certe die 28. Maii anni ſequentis 1005. Ehrenſtenii bonorum eccleſiæ ſuæ confirmationem ſcriptam obtinuit; die vero menſis Iulii 14. Baſileæ ſua apud Henricum gratia id impetravit, ut Otimus Baſileenſis præpoſitus amplo prædio in villis Haſela et Zobellinken donaretur *f*), prout rex ipſemet teſtatur, ſe *interventu venerabilis amabilisque Curienſis epiſcopi*

a) Catal. Flug. *b*) Eccard. Corp. Hiſt. med. ævi T. I. col. 384. *c*) Leibnit. Script. Brunſw. T. I. p. 367. *d*) Calles. Annal. eccles. Germ. T. V. p. 14. *e*) Ibid. p. 31. *f*) Herrgott. Geneal. diplom. Habsb. T. II. P. I. p. 99.

Udalrici in eam donationem conſenſiſſe. Erat enimvero Udalricus animo miti et benigno; eadem quippe die, qua in iurium ſuorum poſſeſſione ſtabilitus ab Henrico fuit, virginibus Deo dicatis in Schœnis partem decimarum in pago *Zizers* attribuit. Recruduit antiqua diſſenſio, quæ ante 32. annos ſub *Hilteboldo* fervebat. Vdalricus ne familiam ſuam comitum de Lenzburg turbaret, ſibique infenſam redderet, reddituum Ciceraniorum partem parthenio Schœnenſi, cuius illi advocati erant, lubenti animo ceſſit, prout ex documentis dicti monaſterii accepimus.

Anno 1006. menſe Aprili Udalricum in Noviomago reperimus, ubi Chualdus episcopus Cluſinus a duobus abbatibus de officii ſui negligentia accuſabatur *a)*; exinde ſynodo Francofordienſi interfuit, in qua de erigendo episcopatu Bambergenſi conſultatum fuit; ſicut et anno 1007. menſe Octobri, ſuumque chirographum cum aliis 34. præſulibus bullæ Ioannis papæ adpoſuit, qua dicti episcopatus fundatio confirmatur *b)*. Si privilegium ſubſiſtat, quo Henricus imp. Benedictum VIII. papam honoravit, illum anno 1014. Romam profectum ſecutus eſt Udalricus, eiusque ſolemni coronationi interfuit; in dicto enim privilegio poſt imperatorem ordine nonus ſubſcriptus legitur *c)*. Nec ſpernenda eſt Calleſii opinio ſuſpicantis, ſolemnem privilegiorum Romanæ eccleſiæ confirmationem demum anno 1020. factam fuiſſe, ubi etiam comparet *d)*.

Eccleſia S. Florini Eremuſii in Engadina inter bona canonicorum Curienſium numerabatur: eam tamen Udalricus, qua de cauſa neſcio, ſibi vindicavit; ſicque illa etiam in ſucceſſorum poteſtate permanſit, donec ab *Henrico* episcopo, ut infra videbimus, canonicis reſtituta fuit *e)*.

III. Quamdiu præfuerit Udalricus, certò definiri nequit. Reſchius annalium Sabionenſium auctor in ſuis fragmentis teutonicis de episcopatu Curienſi ſparſim editis illum circa annum 1015. defunctum opinatur, eique *Henricum* comitem de Lenzburg ſupponit; ſed magno cum errore: Henricus enim iſte demum ann. 1070. infula decoratus eſt, nullusque Udalricum inter et *Hartmannum* præſul Curienſis collocari poteſt, quod patet ex litteris eiusdem *Henrici* ann. 1070. quibus anniverſarium pro anteceſſoribus ſuis Udalrico, *Hartmanno* et *Dietmaro* inſtituit, nulla prioris cuiusdam Henrici facta mentione, qui præterea in nullo, quem viderim, catalogo occurrit. Vixit ergo Udalricus usque ad *Hartmannum*, veroque ſat ſimile

a) Ughell. Ital. Sac. T. III. col. 622. *b)* Harzh. Concil. Germ. T. III. p. 33. Calles. loc. cit. T. V. p. 50. ſeq. *c)* Harzh. loc. cit. p. 44. ſeq. *d)* Annal. eccles. Germ. T. V. p. 195. *e)* Tſchud. Chron. Helvet. P. I. lib. 1. p. 23.

est, illum anno 1019. vel 1020. dedicationi eccleſiæ Bambergenſis interfuiſſe, unum ex 72. illis epiſcopis, qui Benedicti VIII. papæ litteris pro dicta eccleſia confectis ſubſcripſerunt *a)*:

Quidquid ſit, certe eo adhuc tempore vixit, quo epiſcopi provinciæ Moguntinæ ad papam litteras pro *Aribone* metropolita ſuo dederunt, queſti, archipræſulem ex unius mulieris delatione apoſtolicæ ſedis offenſam incurriſſe. Scripta iſthæc epiſtola fuit inter ann. 1021. quo electus eſt Aribo *b)*, et ann. 1024. quo Benedictus VIII. obiit. Iam vero ibi ſecundo loco comparet epiſcopus Curienſis cum littera initiali V, qua non alius, niſi UDALRICUS noſter ſignificari tunc potuit *c)*. Monumenta Fabarienſia adſerere videntur, illum anno 1026. ad ſuperos abiiſſe, auctor vero annalium Eremi anno demum 1028. defunctum ſcribit.

XXXI.

HARTMANNUS.

Ab anno 1026. ad 1039.

IV. HARTMANNUS, ſeu qualis in monumentis legitur, ARTHEMANNUS, fuit Kerhardi nobilis de Plana terra, *Plantair*, filius, quem pater adhuc parvulum monachis Eremi in Helvetia erudiendum tradidit, quod ex codice apographo donationum monaſterii Einſidlenſis accepi, ubi adoleſcens etiam monaſticen profeſſus poſtea decanum egit *d)*. Dehinc annis aliquot Fabariam rexit multo cum decore, ac demum ætate iam provectior epiſcopus Curienſis poſtulatus eſt anno 1026. Erat is ſpectatæ probitatis et auctoritatis vir, multumque gratia apud Conradum Salicum, imo et Henricum II. valebat, a quo vir præſtantiſſimus, quum adhuc abbas eſſet, et ſingulare ac inſigne imperii membrum adpellatus eſt *e)*. A Conrado, qua occaſione, neſcio, legatus in Gallias miſſus, ex urbe Antiſſiodorenſi reliquias SS. Martyrum, ſeu capita SS. *Iuſti* novennis pueri, et *Sigiſmundi* reportavit, ut referunt Murerus *f)* Hartmannus Einſidlenſis *g)* et Leo Tigurinus, quorum fide hæc refero. Reliquias iſtas ſibi vendicant Einſidlenſes; legitur tamen *h)* caput S. Iuſti in parœcia *Flums* adſervari.

a) Hofm. Annal. Bamberg. lib. I. §. 86. apud Ludwig. Script. Bamberg. *b)* Calles. loc. cit. p. 205. *c)* Harzh. loc. cit. T. V. p. 63. *d)* Hartm. Annal. Erem. p. 126. *e)* Cod. prob. N. XXX. *f)* Theatr. Helvet. *g)* Pag. 126. *h)* Propr. Curiens. 20. Octob.

V. Cæterum HARTMANNI geſta invida antiquitas tacet; ſolum nobis unum alterumve diploma reliquit, quibus propenſos erga epiſcopum animos teſtatus eſt imperator Conradus. Anno 1030. die 19. Sept. in *Megelendorf* eccleſiæ Curienſis iura bonaque ab Ottonibus et Henrico imperatoribus accepta, præſertim in Clavenna, ſtabilivit, interventu Giſelæ coniugis, et Egilberti epiſcopi Friſingenſis. Idem præſtitit anno 1037. 26. Ianuarii in civitate Ulmenſi, ubi ex Brunonis Wirceburgenſis et Eberhardi Bambergenſis epiſcoporum conſilio, confirmatis privilegiis eccleſiæ Curienſi Prægalliam cum decimis denuo addixit *a*).

HARTMANNUS denique ſenio iam gravis anno 1039. die 13. Octobris adfuit ſolemnitati, qua Eberhardus Conſtantienſis epiſcopus templum Einſidlenſe conſecravit *b*). Ad eccleſiam ſuam redux paulo poſt menſe Decembri mortalitatem exuit, necrologio Tridentino ad hunc annum inſcriptus.

XXXII.
DIETMARUS.

Ab anno 1039. ad 1070.

VI. *Hartmanno* ad ſuperos abeunte mox eodem adhuc menſe ſubrogatus eſt DIETMARUS, quem fide Ioannis Flugii ex comitibus de Monteforti ortum dicimus. Ut chronographus Saxo, aliique referunt, Henricus III. rex, qui Conrado nuper defuncto ſucceſſit, primum anni 1040. bimeſtre in vicinia Rhætorum Ulmæ et Auguſtæ transegit, ibique *placitum habuit cum ciſalpinis principibus de reipublicæ ſtabilitate*, ubi procul dubio etiam DIETMARUS comparuit, nam regium confirmationis diploma die 23. Ianuarii Ulmæ datum ſecum Curiam detulit *c*). Vix porro abeſſe potuit Conſtantienſi ſynodo anno 1044. habitæ, in qua univerſalis animorum concordia abolitis inimicitiis ſancita fuit *d*); quemadmodum et alteri cuidam loci ignoti in Germania anno 1047. quo Henricus rex omnes in imperio ſuo epiſcopos convocavit, eisque magno religionis zelo ſimoniacas nundinationes graviter exprobravit, publicas calamitates peſſimæ huic labi adſcribens *e*).

VII. Menſem Iulium anni 1050. Henricus imperator in Helvetia tranſegit, præſertim in civitate Turicenſi, ubi eccleſiæ Beronenſi die 6. dicti menſis prædium

a) Cod. prob. N. XXXII. *b*) Annal. Erem. p. 129. *c*) Tſchud. Hiſt. Helvet. p. 16. *d*) Harzh. Concil. Germ. T. III. p. 110. *e*) Ibid. p. 746.

Melsicon donavit. Eo igitur profectus DIETMARUS unacum *Birchtilone* Fabarienſi abbate, atque exinde imperatorem in Thermas, ſeu oppidum Badenſe, ſecutus, ibidem impetravit ius venandi nemoris et incidui a ſummo monte *Ugo*, qui ni fallor, prope Galandam circa Fabarienſe monaſterium prominet, usque ad Argam amnem, qui loca *Buchs* et *Grabs* interfluit. Sita erat illa regio in ditione Eberhardi comitis, qui donationi conſenſit. Præfuit Eberhardus comitatui infra Langarum, cui Fabaria et Schœnis adhuc accenſebantur. Succeſſit Marquardo anno 1040 *a*). Donationis litteræ datæ ſunt die 12. Iulii anno 1050 *b*). Eadem iura in ampliori quoque districtu conceſſa fuerunt, nimirum a valle Verſennia, quæ Bonadulicum et Valendaunum ligæ Griseæ pagos interiacet, tam in montanis quam planitiebus ex utraque parte Rheni usque ad Langarum flumen; indeque in ſiniſtra Rheni ripa usque ad Tamingam torrentem, qui thermas Fabarienſes magno fragore præterlapſus Ragacium pagum ſecat ſpumans, moxque ſe Rheno commiſcet. Conſenſum præbuere omnes, quorum intererat, abbas Birchtilo, Otto de Schweinfurt dux Sueviæ cum Rudolpho et Eginone filiis, nec non comites Egino alter, Humbertus et Adalbero *c*).

VIII. Frequens erat in Germania Leo IX. papa, ubi etiam militem conduxit adverſus Normannos, qui in Apulia impune latrocinia exercebant, quod ex Hermanno Contracto et Leone oſtienſi diſcimus *d*). Facile adducor, ut credam, DIETMARUM Auguſtam petiviſſe, ut pontificem veneraretur, dum is anno 1053. purificatæ virginis Mariæ feſtum ibidem celebrabat; certe abhinc in Italiam reducem comitatus eſt, quemadmodum nos acta conſecrationis Petri epiſcopi Anicienſis et Vallavenſis edocent. Quum enim in reditu papa Arimini ſubſiſteret non modica epiſcoporum caterva ſtipatus, illuc quoque recens electus Anicienſis præſul adventavit, atque die 12. Martii a Leone ibi conſecratus eſt, præſentibus DIETMARO Curienſi, Aymone Sedunenſi, Adalberone Metenſi aliisque circiter 17. epiſcopis, qui papam Romam usque ſecuti fuiſſe videntur *e*), interfuturi concilio, quod Leo pontifex, Aquileienſis et Gradenſis præſulum cauſa, poſt paſcha condixit, quo probabilius etiam Michaelis Cerularii hæreſis damnata eſt *f*).

IX. Redux ad eccleſiam ſuam DIETMARUS boni paſtoris officio intentus, rarius ſe publicis negotiis immiſcuit; quæ proin de illo narremus, pauca ſuperſunt. Illud

a) Guler. Rhæt. alp. p. 114. *b*) Cod. prob. N. XXXIV. *c*) Sprecher. Pall. rhæt. p. 73. Guler. loc. cit. p. 115. Tſchud. Chron. Helvet. P. I. L. I. p. 19. Herrgott. loc. cit. T. II. P. I. p. 122. *d*) Calles. Annal. eccles. Germ. T. V. p. 475. P. Æmil. Uſſerm. German. S. Prodr. T. I. p. 130. *e*) Mabill. Annal. Ord. S. B. T. IV. p. 742. ſeq. in Append. N. 70. *f*) Calles. loc. cit. p. 477.

laude dignum, quod canonicis Curienſibus, quibus erat curta ſuppellex, partem reddituum ex montanis ſibi confluentium benigne adſignarit *a)*. Interea Notbertus S. Galli abbas in medio montium, qui abbatiscellani vocantur, basilicam ſtruxerat, quam DIETMARUS, rogatus a Rumoldo Conſtantienſi, in cuius diœcesi ſitus est locus, consecravit anno 1061. Rem narrat ipse Notbertus: *In Abbacella basilicam condidi, quam ædificatam a* THIETMARO *Curienſi episcopo cum licentia et rogatu Rumaldi Constantienſis ecclesiæ præſulis per legitimam consecrationem loci illius incolis ad oratorium ſtabilivi b)*. Eodem anno die 5. Decembris ab Henrico IV. rege privilegiorum confirmationem obtinuit, ipse vero e vivis ſublatus est V. Calendas Februarii anno 1070 *c)*.

XXXIII.

HENRICUS I.

Ab anno 1070. ad 1078.

X. HENRICUS comes de Monteforti, monachus Augiæ divitis, ob præclaras ingenii naturæque dotes, quibus excellebat, post anni 1070. initia ad Curienſis ecclesiæ regimen postulatus est; consecrationem vero die 24. Aprilis accepit *d)*. Erat is præſul et morum præstantia, et animi fortitudine, et rerum agendarum dexteritate, et disciplinæ ecclesiasticæ zelo longe præcipuus. Pastoralis ſui muneris primordia ſingulari mox quodam iustitiæ, et pietatis ſpecimine illustravit. S. Florini ecclesiam Eremusii canonicis, quorum ſustentationi adſignata erat, *Udalricus* episcopus iniuste abstraxerat, *Hartmannus* vero et *Dietmarus* eam restituere cunctabantur: quare HENRICUS, ne quid alieni retinere videretur, canonicos illico indemnes præstitit, reddita illis ecclesia cum omnibus proventibus; adiecit insuper decem libras ex redditibus episcopi montanis quovis anno iisdem persolvendas ea conditione, ut quoad viveret, anniverſarium tam pro ipsius parentibus, quam pro animabus prædecessorum *Udalrici*, *Hartmanni* et *Dietmari* die 24. Aprilis publice celebrarent, diem insuper mortis ſuæ, quamprimum decessisset, pariter ſacrum haberent, officioque, ut moris est, finito ſibi ex prædictis bonis pararent convivium. Litteras huius restitutionis die 27. Iunii anno 1070. confectas exhibet Tschudius *e)*.

a) Tschud. Chron. Helvet. P. I. L. I. p. 23. *b)* Goldast. rer. Alem. T. II. P. I. p. 54. Cod. prob. N. LXXXVI. *c)* Guler. et Tschud. loc. cit. *d)* Tschud. loc. cit. Catal. Flug. Bern. Pez Thes. Anecdot. T. I. P. III. p. 751. *e)* Loc. cit.

XI. Hærebant tunc temporis res tam ſacræ quam profanæ in loco maxime lugubri; funestis rex et pontifex dissidiis ſcindebantur, ſacrarum rerum dignitatumque nundinatio et ſacrilega coniugia clerum vix non quaquaversum infamem reddebant: imperium continuis agitatum turbis, quum plures pedetentim regiones ab Henrico imperatore deficerent.

Stetit has inter procellas episcopus noster quasi murus æneus ſedi apostolicæ ſemper addictissimus. Ante biennium circiter defuncto Constantiensi præsuli Rumoldo ſimoniace a rege ſubrogatus est Carolus Magdeburgensis canonicus; qua quidem noxa et Alexander II. papa, et Sigefridus Moguntinus archiepiscopus haud modicum offensi fuere: coacta est Moguntiæ provincialis ſynodus mense Septembri anno 1071. illiusque acta Romam transmissa. Negotiis aut infirmitate præpeditus Henricus Curiensis ipsus adesse non potuit; ablegavit tamen alium, qui vices ſuas ageret *a*).

Nihil non egit pius et ſagax antistes, ut ſimoniacos ac incontinentes clericos quoquomodo ad officium revocaret. Usus est tanti viri opera Gregorius VII. papa anno 1073. Alexandro II. ſuffectus. Simillimum vero est, illum anno ſequenti ad ſynodum Romanam profectum esse mense Martio coactam, qua fornicarii ſacerdotes a ſacro ministerio excludebantur *b*); nam illico ſequenti Aprili ab eodem pontifice in Germaniam ad Henricum regem ablegatus est unacum imperatrice regis matre, Giraldo Ostiensi, Humberto Prænestino et Rainaldo Comensi episcopis *c*). Huius legationis ſcopus erat, regem et Germaniæ præsules eo permovere, ut in ſynodum convenirent, de ſimoniæ et luxuriei ſacerdotum abolitione tractaturi. Profecti itaque quatuor legati post pascha Norimbergam adventarunt, quo eis obviam rex Bamberga, ubi ſolemnitatem peregerat, processit. Verum legati, tametsi ſæpe rogarentur, ne loqui quidem cum rege volebant, nisi prius anathemate ſolveretur; quod quum factum fuisset, legati digno honore ſuscepti benigne habebantur. Præsulum insuper monita et hortationes rex multa cum moderatione et mansuetudine auscultatus, omne pro corrigendis ſimoniacis ſubsidium promisit, ut referunt Bertoldus Constantiensis et Petrus bibliothecarius *d*). Ast quum Gregorii papæ nomine peterent, ut ſynodum convocare permitterentur, repulsam passi ſunt, eo quod Germaniæ episcopi, Liemarus præsertim Bremensis, omnibus viribus reluc-

a) Harzh. Concil. Germ. T. III. p. 154. *b*) Labb. Concil. T. X. p. 313. *c*) Pistor. rer. Germ. T. I. p. 376. Harzh. loc. cit. Calles, T. V. p. 653. *d*) Harzh. loc. cit. P. Æmil. Usserm. Germ. S. Prodr. T. II. p. 19.

tati fuiſſent. Igitur HEINRICUS noſter unacum ſuis collegis, quos rex muneribus proſecutus fuerat, feliciter Romam rediit. Anno ſequenti 1075 verno tempore alterum concilium papa coëgit, eoque finito epiſcopum Curienſem Moguntiam miſit, qui ſynodi decreta ad Sigefridum Metropolitam ſuum deferret, ac eorum obſervantiam auctoritate apoſtolica urgeret. Paruit archiepiſcopus, menſeque Octobri epiſcopos adeſſe in Moguntia iuſſit *a*). Congregatis omnibus HENRICUS Curienſis apoſtolicæ ſedis litteras profert, quibus archiepiſcopo graviſſime præceptum, ut presbyteros omnes, quotquot in provincia numerarentur, *aut in præſentiarum coniugibus renuntiare, aut in perpetuum ſacri altaris miniſterium abdicare cogat.* Et ecce! oritur enormis illico tumultus, clerici, qui aderant, de violentia conqueri, agi in furorem, et tantum non manus conſerere cœperunt. Certe Sigefridus archiepiſcopus, et HENRICUS ſedis apoſtolicæ legatus de ipſa iam vita periclitabantur. HENRICUS, ut refert Trithemius in Hirſaugienſi chronico, male tamen ad annum præcedentem 1074, adiutus ab archiepiſcopo felici fuga elapſus ad ſuam eccleſiam rediit. Tantopere ſacrilegium in clero invaluerat, ut eiuſdem inhibitio ius læſum putaretur. Inutilis tamen non fuit iſta Curienſis epiſcopi legatio, id enim effecit, eodem Trithemio teſte, ut in poſterum nullus ordinaretur presbyter coniugio iunctus, omneſque ordinandi caſtitatem promittere compellerentur. Ex his porro facile colliges, HENRICUM pro ſuo non minus, quam alieno agro ſollicitum ſumma cura invigilaſſe, ne quid ſimoniæ aut impuritatis in proprio clero ſerperet.

XII. Sequens annus 1076. mutuis iniuriis papam inter et regem ſorduit, alter alterum dignitate privabant, varii conventus utrimque habebantur. Menſe Ianuario Wormatiæ rex et epiſcopi Germaniæ Gregorium pontificem damnavere *b*); aderat ibi Gulero teſte *c*) præſul Curienſis, quin damnationi ſubſcripſerit. Etiam Papiæ ſchiſmatici convenerant papæ ſemet oppoſituri; hos inter Cruſius HENRICUM Curienſem numerat *d*), quamquam ſchiſmati conſenſiſſe neget, idque ex eo, ait, patere, quod Rudolphum poſtea et ipſe regem contra Henricum elegerit. Lectus eſt hic anticæſar menſe Martio Forchhemii. Inde ſumma toto in imperio calamitas, aliis Henrico, Rudolpho aliis adhærentibus. Diviſa quoque Rhætia fuit, epiſcopus enim Rudolphi partes tuebatur, Udalricus vero Lenzburgi comes pro Henrico ſtetit; nam Bernardum Maſſilienſem papæ legatum e Forchhemio reducem interceperat *e*). Ottonis præterea comitis Curienſis filii pariter Henrici partes ſequebantur, quos ideo Bavariæ dux Welpho IV. armis inſecutus Rhætiam rapinis et incendiis miſere vaſtavit.

a) Lambert. Schafnab. ad hunc ann. *b*) Ibid. *c*) Pag. 117. *d*) Annal. Suev. L. VIII. P. II. p. 242. *e*) Calleſ. Annal. eccleſ. Germ. T. V. p. 746.

Henricus episcopus, postquam 8. annis iniquitati murum ſese opposuerat, fractus miseriis tandem die 23. Decembris anno 1078. ad ſortem meliorem tranſiit, necrologio S. Gallensi inscriptus *a*). Putant aliqui, illum ſede ſua pulsum ab Henrico rege in dilectam Augiam ſecessisse, ibique carnem deposuisse.

XXXIV.

NORTBERTUS ab HOCHENWART intrusus.

Ab anno 1079. ad 1087.

XIII. Ultra annum ferme vidua mansit ecclesia Curiensis, continui namque discordiarum et bellorum tumultus electionem liberam impediebant. Erat quidem tunc temporis Curiæ præpositus *Udalricus*, vir probitate valde conspicuus, quem ſibi clerus populusque præsulem optabant. Verum displicuit hic Henrico regi, qui illius loco per ſimoniam violenter ſubstituit et obtrusit Nortbertum Summontrienſem Bavarum. Natus is erat ex familia Andecensi, Rathpotonis et Hemmæ filius, Ortoldi et Willetrudis frater fundatorum monasterii Hochenwart. Augustanæ eccleſiæ præpositum egerat iam inde ab anno 1071 *b*). Qualis autem fuerit Nortbertus, et qua ratione ſedem occuparit, audire iuvat ex ſcriptore coævo, cui fidere tuto possumus, Bertholdo Constantiensi nuper ex antiquis codicibus a consodalibus restituto et ſuppleto, qui ad annum 1079: „His etiam diebus, inquit, Henricus rex Curiensi ecclesiæ, iam plus quam annum episcopo ſuo orbatæ Nortpertum Augustensis ecclesiæ præpositum, ſimoniacum avarissimum, et quo ſui erroris non facillime ſibi parem consensorem adinvenire nequiverit; illo, quem clerus, militia, et populus ecclesiæ ipsius canonice elegerant, eiusdem domus præposito (Udalrico) viro valde religioso, reprobato, invitis et nolentibus universis violenter præfecit. Qui mox omnibus modis et artibus ſuæ, ut ſemper ſolebat, avaritiæ industrius ſuberat; et quia se non per ostium, ſed aliunde in ovile ecclesiasticum ingressum non ignorabat, Mediolanensi hæretico antiepiscopo se ſubesse, et ab ipso ordinari debere, hæreticum efficere pertentavit. Moguntinum vero episcopum, cuius vere ecclesia Curiensis ſubparochiana fore constat, metropolitanum ſuum non esse, novis et pseudographis quibusdam privilegiis qualitercunque attestari conatus est; ſed tamen in hoc non maxime profecit.„ Hæc Bertholdus. Hinc pa-

a) Eccard. Franc. Orient. T. II. p. 923. *b*) Corbin. Khamm Hier. August. P. II. p. 139. et 148.

tet, errare illos, qui Nortbertum a Welphone Bavaro intruſum ſcribunt; erat enim Welpho Gregorii VII. fautor, et ab omni ſimoniæ labe maxime alienus. Palam quoque fit, virum hunc ea de cauſa beneficium conſecrationis a Sigfrido Moguntino nunquam obtinuiſſe, quod ſimoniace epiſcopus evaſerit; cuius tamen quum eſſet percupidus, Theobaldum, qui anno 1075. pariter per ſimoniam ab Henrico ſedi Mediolanenſi impoſitus fuerat *a*), ſollicitavit, ut ſibi conſecrationem impertiretur, quam eo facilius ſe obtenturum ſperabat, ſi Mediolanum ſuam metropolim agnoſceret, ad id forſan ea quoque ex ratione permotus, quod olim revera Curienſis eccleſia Mediolanenſi tanquam metropolitanæ ſubiacuerit; verum repulſam paſſus eſt.

Interea Henricus cæſar ineunte menſe Martio anni 1081. per alpes rhæticas Italiam intravit, Guibertum ſuum throno pontificio impoſiturus, quod tamen hac vice effectum dare non potuit. Eo abſente dux Welpho, aliique magnates ac præſules Germaniæ regem creaverunt Hermannum Luxenburgicum, adverſante plurimum Friderico de Hohenſtaufen Sueviæ duce, quem eapropter inita apud Hochſtat prope Auguſtam urbem pugna laceſſiverunt, atque per tres continuas hebdomades urbem ipſam obſidione cingentes, ſuburbana Vulcano tradiderunt *b*).

XIV. Hæc dum geruntur, Nortbertus cœnobium, ſeu potius eccleſiam collegiatam fundavit in prædio ſuo *Haibach* ad alpium radices non procul a *Murnau* et *Weilheim*, eamque variis bonis dotavit, teſte inſtrumento, quod ea de re anno 1083. confecit *c*).

Sequenti anno 1084. vitæ metam attigit Sigefridus Moguntinus, Gregorio VII. ad ultimum uſque halitum fidelis; ſedem favente Henrico obtinuit Wecilo, in eccleſiæ Romanæ communionem nunquam receptus *d*). Gaudio fuit Nortberto mutatio hæc, qui illico unacum Sigefrido Auguſtano, qui eodem in luto hæſerat, Moguntiam profectus eſt, ubi ambo a Wecilone, ſchiſmatici a ſchiſmatico IV. non. Febr. anno 1085. conſecrationem epiſcopalem ſuſceperunt, ut refert annaliſta Saxo *e*). Moguntia redux Auguſtæ vindelicorum exeunte Februario ſtatuta pro ſuo Haibacenſi cœnobio condidit mandans, ut ab omni exactione liberum habeatur, excepta ſolutione annua unius Biſantii ad altare B. V. Mariæ in urbe Auguſtana; reſervavit præterea ſibi ius denominandi, quoad viveret, præpoſitum, quem

a) Ughell. Ital. Sac. T. IV. p. 115. *b*) Calles. loc. cit. p. 792. *c*) Hund. Metrop. Salisburg. T. II. p. 269. *d*) Calles. loc. cit. p. 810. *e*) Eccard. Corp. Hist. med. ævi T. I. p. 566. et Freher. rer. Germ. T. I. p. 503.

poſt mortem ſuam ſemper ex familia Andecenſi creari voluit; idem de iure advocatiæ conſtituit. Litteras V. Calend. Martii datas recitat Hundius *a*).

XV. Necdum menſis præterierat, quum ingens in NORTBERTUM tempeſtas deſæviret. In prima paſchatis hebdomada Quedlinburgi in ſynodum convenere cum Hermanno rege, et legato Gregorii VII. quotquot eisdem favebant, epiſcopi, atque inter alia ordinationem *Wecilonis Moguntini invaſoris, nec non Sigefridi Auguſtani, et* NORTBERTI *Curienſis; imo omnes ordinationes et conſecrationes excommunicatorum penitus irritas et nullas iudicarunt*, uti Bertholdus Conſtantienſis narrat. Sub ſynodi vero finem ardentibus candelis anathema in Guibertum antipapam, eiusque complices, quos inter NORTBERTUS occurrit, inevitabili ſententia pronuntiatum fuit *b*). Equidem ſchismatici paulo poſt Moguntiæ congregati acta Quedlinburgica reſcindere conati ſunt. Verum exiſtimem, NORTBERTUM anathemate Quedlinburgi perculſum a clero Curienſi receptum amplius non fuiſſe; certe is dignitatis male adquiſitæ pertæſus, in collegium ſuum Haibacenſe ſeceſſit, ubi anno 1087. expiravit *c*).

XXXV.
UDALRICUS II.
Ab anno 1089. ad 1095.

XVI. Communi temporis iniuria factum, ut poſt *Nortberti* obitum legitimus præſul eligi difficulter potuerit. Si Reſchio fides, Guelpho IV. Bavariæ dux Curienſi eccleſiæ illico providit epiſcopum *Heribertum* ex comitibus de Andechs oriundum, qui præpoſituram Argentinenſem hactenus tenuerat; aſt quum is antipapæ Clementi III. adverſaretur, reprobatus ab Henrico rege fuit *d*), eiusque loco intruſus *Burchardus* ſeu *Eberhardus*, familiæ Hertenſteiniæ de *Winneden* ſurculus, Campidonenſis poſtmodum abbas *e*). Neuter tamen in epiſcoporum ſerie collocandus videtur, eoquod chronicon Auguſtenſe, apud Freherum *f*) *Nortberto* UDALRICUM ſucceſſiſſe adſerat, extentque Urbani II. papæ ad Gebhardum epiſcopum Conſtantienſem litteræ die 18. Aprilis anno 1089. datæ, quibus eidem inter alia iniungit, ut Curienſi et Auguſtanæ eccleſiis epiſcopos provideat *g*). Unde ſedes Curienſis usque ad legitimam UDALRICI II. promotionem vacaſſe cenſenda eſt.

a) Loc. cit. p. 268. *b*) Calles. loc. cit. p. 814. et 816. *c*) Chron. Auguſt. apud Freher. T. I. p. 505. *d*) Guler. l. c. p. 122. *e*) Leo Tigur. Lex. T. V. p. 270. *f*) Loc. cit. *g*) Harzh. l. c. p. 210.

XVII. Opitulante igitur Gebhardo Conſtantienſi anno 1089. epiſcopatum Curienſem legitime adeptus eſt Udalricus iam ante decennium huic dignitati deſtinatus (§. XIII.). Educatus in monaſterio Deſertinenſi, ab anno 1083. abbatis ibidem munere functus creditur. Paſſim ex comitibus de Monteforti oriundus habetur; ſed Goswinus Mariæmontanus ſeculi XIV. ſcriptor fratrem eum fuiſſe ait Eberhardi Taraſpenſis, quocum ad ſeculi XI. finem monaſterium in *Schuls* fundarit. Auguror, comites de Monteforti poſſediſſe caſtrum de Taraſpo; conſtat enim Eberhardum Taraſpenſem circa hoc tempus revera dictum monaſterium fundaviſſe, quo Udalricus eccleſiam Curienſem gubernavit *a*), quem Mariæmontani, qui prius in *Schuls* ſubſtiterant, inter primos ſuos benefactores venerantur. Nihil proin vetat, quin Goswini teſtimonio innixi, Udalricum Taraſpenſem, et monaſterii in *Schuls* dotatorem adſeveremus.

XVIII. Dubium non eſt, quin Henrici imperatoris anno 1090. in Italiam profectio multum adverſitatis Udalrico crearit; quemadmodum enim Gebhardo Conſtantienſi, teſte Burchardo S. Gallenſi *b*), Arnoldum quemdam oppoſuit; ſic creditu difficile eſt, eccleſiam Curienſem hac vice intactam manſiſſe. Anno 1094. in hebdomada ſancta decreta adverſus ſchiſmaticos renovata fuerunt, ubi Udalricum maxime vicinum comparuiſſe, minime dubitem, quamvis nulla de illo mentio occurrat. Id porro certum, quod cœnobium monialium in *Praden*, ad ſiniſtram Pleſſuræ amnis ripam in valle Scanvicenſi, ſuſtulerit; qua de re nos certiores reddit S. *Adalgottus* in Charta, qua anno 1154. dictum locum canonicis S. Lucii donavit *c*), ubi hæc leguntur: *Curtem de Prades tres prædeceſſores mei* (Udalricus, Guido et Conradus ſunt) *eiectis inde monialibus, partim ſibi uſurpaverant, partim ex ea milites ſuos inbeneficiaverant.* Facti cauſam illico ſubiungit: *Cum idem locus religioni eſſet minus idoneus, tum propter ſitum ipſius, tum propter ſubſtantiam per manus militum ex magna parte diſtractam.* Moniales iſtæ Pradenſes, quarum nos ortus latet, forſan abiecta diſciplina paulo liberius egerunt, hoc præſertim ævo, quo alias omnia fus deque ruebant; forſan ab obitu *Henrici I.* ultra decennium nullus erat, qui virginibus invigilaret, illarumque res adverſus militum cupidinem tueretur.

XIX. Hiſtoriographi recentiores, quos inter præcipui Gulerus et Sprecherus Rhæti, Udalricum usque ad annum 1108. ſuperſtitem ſcribunt, adduntque bello ſacro initiatum in Palæſtinam perrexiſſe, multosque Rhætorum abduxiſſe ſecum; abſentis porro epiſcopi munere defunctum eſſe *Geroldum* Fabariæ abbatem,

a) Cod. prob. N. XLV. not. *b*. *b*) Goldaſt. rer. Alemann. T. I. p. 70. *c*) Annal. Præmonſtr. T. II. p. LXVI.

ipſummet vero demum anno 1101. Curiam rediiſse. Aſt maiorem fidem meretur chronici Auguſtenſis ſcriptor ſynchronus *a*), qui UDALRICUM iam anno 1095. mortuum perhibet, et quidem die 22. Auguſti, prout ex necrologio S. Gallenſi eruitur. Peſte ſublatus dici poſſet, ea enim anno præprimis antecedente adeo per Germaniam, Franciam et Italiam desæviit, ut ſepeliendis cadaveribus cœmeteria deficerent, et una in urbe Ratisbonenſi intra trimeſtre ultra octo hominum millia, velut turbine ſegetes ſternerentur, ſicut Bertholdus recenſet. Stiterat paulisper ea calamitas, Deo diſponente, communem morum corruptelam, qua plurium annorum contumax iniuria orbem inundaverat.

SECULUM XII.

XXXVI.

GUIDO.

Ab anno 1095. ad 1122.

I. Ex chronotaxi mox laudata certo liquet, GUIDONEM Auguſtanæ eccleſiæ canonicum anno 1095. ſedi Curienſi impoſitum fuiſſe. Utrum vero is bellum ſacrum ſecutus ſit, ſuamque eccleſiam *Geroldo* Fabarienſi interim regendam commiſerit, ſaltem negare non auſim, licet id certo nequeam adfirmare; multos quippe præſules militibus cruce ſignatis aſſociaſſe ſemet novimus: prætereaque de rebus a GUIDONE geſtis usque ad annum 1106. nec apicem reperire potuimus, quas, etiam biennio poſt, Gulerus aliique *Udalrico* iam pridem defuncto adſcribunt, decepti fortaſſe littera initiali, quam *Udalricus* et VIDO ſeu WITO, ſic enim et GUIDO ſcribebatur, communem habent.

II. Fuit autem GUIDO præſul auctoritate, ſapientia, fide, aliisque dotibus inter præſtantiſſimos. Propterea illis adnumerabatur, qui a toto procerum Germaniæ conventu anno 1106. Romam mittebantur, papam Paſchalem II. rogaturi, ut iter reſtaurandæ pacis ergo trans alpes ſuſciperet, ut abbas Urſpergenſis et chronographus Saxo recenſent. Prioris verba hic ſubiungo. *Placuit tam regi* (Henrico V.) *quam primoribus, ad ſanctam matrem Romanam eccleſiam tantos ac tales a partibus iſtis* (Germaniæ) *legatos tranſmitti, qui et de obiectis rite rationem reddere, et de incertis ſa-*

a) Freher. rer. Germ. T. I. p. 507.

gaciter investigare, ac per omnia utilitatibus eccleſiaſticis ſapienter conſulere ſint idonei. Separantur in hoc opus viri ſpiritu ſapientiæ pleni, dignitatibus, natalibus et elegantia, ſeu divitiis præcipui, multaque ſecundum Deum ſive ſeculum veneratione insignes, a Lotharingia Bruno Trevirensis, a Saxonia Heinricus Magdaburgensis, a Francia Otto Babenbergensis, a Baioaria Eberhardus Eichstatensis, ab Alemannia Gebehardus Conſtantienſis, a Burgundia CURIENSIS. Notatu dignum, Burgundionum nomine Curienſem ſelectum fuiſſe, quum tamen Curia Burgundiæ accenſeri non potuerit, aliique plures ea in regione extiterint episcopi, v. g. Sedunenſis, Lauſannenſis, cæteri; unde liquet, GUIDONEM noſtrum in rebus agendis prudentia reliquos multum antecesſiſſe. Animadvertendum porro, ab Urſpergenſi præcipuos ſolum nominari, cæteros reticeri, nam plures episcopi, quam ſex, dictæ legationi interfuerunt, inter alios Rupertus Wirceburgenſis in ipſo itinere defunctus *a*).

Memorati autem præſules, qui tunc eccleſiæ Germanicæ baſes cenſebantur, nobilium quorumdam caterva ſtipati in valle Tridentina convenerunt, inde recta Romam profecturi; verum postquam ibi pernoctaſſent, a comite Adalberto adoleſcente adhucdum, qui ab Henrico patre clanculum ſubornabatur, vi intercepti, atque cuſtodiæ traditi ſunt *b*); tertio demum post die a Welphone Noricorum duce in libertatem rurſus adſerti. Tandem, ſi non omnes, potiſſimi ſaltem pontificem Paſchalem cum GUIDONE noſtro convenerunt, idque ab eo impetraverunt, ut ſub Octobris menſis finem ſynodus Guaſtallam, oppidum Padanum, convocaretur, cui legati nationis Germanicæ intereſſent. Eo in conventu clerici a ſchismaticis ordinati, qui non ſimoniæ aut alterius criminis incuſabantur, in communionem recepti, inveſtitura vero laicis omnino interdicta fuit. Hac occaſione de Hermanno Auguſtano actum vix non fuiſſet, niſi GUIDO cum Altmanno Gottvicenſi pro eo interceſſiſſet *c*). Præterea GUIDO cum episcopo Bambergenſi ſolus ex ſuffraganeis Moguntinis ſynodo interfuit; prout teſtatur ipſemet Paſchalis papa ad Gebhardum Conſtantienſem ſcribens anno 1107: *Noveris fratrem noſtrum Moguntinum cum omnibus ſuffraganeis ſuis, præter Bambergenſem et* CURIENSEM, *qui ſynodo Longobardice interfuit, pro concilii abſencia a ſuis officiis interdictos d*).

III. Ex Italia reverſus GUIDO non diu Curiæ manſit, ſed Henricum V. regem ſecutus anno 1108. Martio menſe in Spirenſi principum conventu comparuit *e*). Sequenti vero anno cum Gebehardo Conſtantienſi Zwifuldam profectus eſt, ubi die

a) P. Æmil. Uſſerm. Episc. Wirzb. T. I. p. 57. *b*) Falckenſt. Ant. Nordg. T. I. p. 125. Adelzreit. Annal. Boic. P. I. lib. 19. p. 508. *c*) Henr. Canis. Lect. Antiq. T. III. P. II. p. 10. *d*) P. Trud. Neugart Cod. diplom. Alem. T. II. p. 42. *e*) Schaten. Annal. Paderb. lib. 7. p. 466.

9. Septembris templum, quod Udalricus abbas extruxerat, ſolemni ritu dedicavit *a*). Defuncti interea Henrici IV. imp. cadaver iam integro quinquennio ſepultura caruerat, quod filius eius, obtenta ut fertur apoſtolicæ ſedis licentia, menſe Auguſto anno 1111. Spiræ incredibili magnificentia terræ mandavit; utque ſolemnitas ſplendidior eſſet, quamplures eo præſules congregavit, quos inter GUIDO Curienſis, forſan imperatorem poſt Pentecoſten ex Italia reducem comitatus: certe præter alios epiſcopos teſtis legitur in diplomate, quod ea occaſione monaſterio S. Maximini apud Treviros VI. idus Auguſti datum fuit *b*). Iuſtis patri perſolutis imperator cum GUIDONE aliiſque præſulibus Moguntiam petiit, ibique in ipſo B. Virginis in cœlos Aſſumptæ feſto Adalbertum ſedi metropolitanæ impoſuit.

IV. Anno 1113. GUIDO in noſtram quoque nigram Silvam cum Udalrico recens electo epiſcopo Conſtantienſi conceſſit, cuius nondum conſecrati loco die ultima Septembris baſilicam monaſterii S. Petri dedicavit. Plures ibi adfuere nobiles et abbates, quos inter noſter Ruſtenus S. Blaſii antiſtes *c*). Tranſacta hyeme ſequentis anni iter Baſileam ſuſcepit, ubi tum imperator cum epiſcoporum et principum quibuſdam Martium menſem tranſegit. Confirmata tunc libertas monaſterii Murenſis in Helvetia IV. nonas Martii, cui teſtimonium ſuum GUIDO adpoſuit *d*); auctor quoque Henrico V. fuit, ut unionem abbatiæ Fabarienſis cum Baſileenſi eccleſia a parente ſuo ſimoniace factam ſtabiliret *e*); qua quidem re nullam ſibi laudem promeruit, amicitiæ, qua Rudolpho Baſileenſi iungebatur, quam iuſtitiæ et æquitatis tenacior. Præterea aſſenſum ſuum litteris dedit, quibus imperator Meginradi cellam adverſus comitum de Lenzburg et Suitenſium violentias tutam voluit *f*). In aliis denique diplomatibus, quæ tunc temporis Baſileæ expediebantur, teſtis inſcriptus reperitur *g*). Anno 1116. menſe Auguſto benedixit recens electum Petri domus abbatem Bertolfum, Udalricus quippe Conſtantienſis nondum ordinatus in Italia hærebat *h*). Denique, ut beneficentiæ ſuæ quoddam imonumentum relinqueret, circa annum 1120. in monte *Septimo* xenodochium extruxit dotavitque, iter illuc facientibus peropportunum *i*).

V. Monachos Petrihuſanos frequenter inviſere ſolitus GUIDO morbo apud eoſdem correptus die 18. Maii anno 1122. animam Deo reddidit, prout narrat chro-

a) Gerard. Heſs. Monum. Guelph. Part. hiſt. p. 190. et 210. *b*) Schaten. loc. cit. p. 470. *c*) Mart. Gerbert. Hiſt. Silv. nig. T. I. p. 464. Cruſ. Annal. Suev. L. IX. P. II. p. 320. *d*) Herrg. Geneal. diplomat. Habſb. T. II. P. I. p. 131. *e*) Ibid. p. 133. *f*) Ibid. p. 134. Hartm. Annal. Erem. p. 177. *g*) Tſchud. Chron. Helvet. P. I. p. 50. Ludwig. Script. rer. Germann. Vol. II. p. 415. *h*) Chron. Peterſh. ap. Uſſerm. Prodr. T. I. p. 365. *i*) Corbin. Khamm Hier. Auguſt. P. II. p. 150.

nicon dicti monaſterii in hunc modum *a*): *Anno* 1122. WITO *Curienſis epiſcopus obiit apud monaſterium domus Petri. Hic multam gratiam et familiaritatem ſemper habebat ad idem monaſterium, et multa bona fratribus præſtabat. Qui cum ibidem defunctus eſſet, Bertholdus unacum fratribus ſuis de rebus monaſterii induerunt eum, ut moris eſt, pontificalibus indumentis, et tunna* (ſarcophago) *incluſerunt, et cum magno honore Curiam perduxerunt, cum magno tamen labore.* In necrologio autem eiusdem monaſterii ad diem 18. Maii ſic notatur: WIDO *epiſcopus Curienſis, iſte benignus nobis fuit.* Eadem die legitur in necrologio Zwifaltenſi *b*). Præfuit itaque annis 27. raro domi, negotiorum publicorum cauſa multis itineribus fagitatus, præſul laude dignus. Id unum vitio dari poſſe videtur, quod epiſcopo Baſileenſi adverſus Fabarienſes faverit; nam Burchardus Rudolphi Baſileæ anteceſſor et ſchiſmaticus iam anno 1095. Fabariam per nefas ab Henrico IV. acceperat, quam Rudolphus omni vi retinere cupiebat, donec Paſchalis II. papæ ſententia anno 1116. eam dimittere coactus fuit *c*).

XXXVII.
CONRADUS I.

Ab anno 1122. ad 1150.

VI. Quamprimum *Guidonis* triſte funus canonicis Curiæ nuntiatum eſt, illico omnium calculo ſucceſſor eligitur CONRADUS comes a *Biberegg*, Bertoldi, qui Demuthæ de *Hohenzollern* nupſerat, germanus *d*). Fallitur ergo Gulerus *e*), qui eum Demuthæ filium nominat. Non Curienſi ſolum, ſed Auguſtano etiam et Conſtantienſi clero adſcriptus fuerat.

Paucis poſt electionem diebus anteceſſoris cadaver digno honore a Bertholdo Petri domus abbate et monachis quibusdam Curiam affertur, quos perhonorifice excepit CONRADUS, et iuſtis *Guidoni* perſolutis, amplis muneribus cumulavit: inter alia dono dedit calicem argenteum, veſtem purpuream, pannum holoſericum et libram argenti, prout in ſupra laudato chronico legitur: Guidonis *ſucceſſor* CONRADUS *dedit monaſterio calicem argenteum, quem abbas deauravit, et cappam purpuream, et tam abbatem quam fratres eius, qui aderant, ſingulos munuſculis honoravit: inter quos Cuonradum capellanum tunc, poſtea vero abbatem, ſpecialiter muneravit, dans ei unum* zen-

a) P. Æmilian. Uſſerm. loc. cit. p. 369. *b*) Gerard. Heſs. loc. cit. p. 242. *c*) Cod. prob. N. XL. *d*) Corbin. Khamm Hiſt. Roggenb. P. I. p. 3. *e*) Rhæt. alp. p. 128.

dath *(pannum ſericum)*, *ex quo ille cappam fecit, et argenti libram, ad quam ille et reliqui fratres aggregaverunt, et brachium S. Philippi apoſtoli auro et argento, lapidibus pretioſis et margaritis venuſtiſſime ornaverunt.*

Credibile est, CONRADUM ſub autumni initia ad imperatorem fuiſſe profectum, testem concordiæ Heinricum inter et Callixtum papam in urbe Wormatiensi ſancitæ, quam recenset abbas Urspergensis cum aliis; ſaltem ſequenti anno 1123. Martio mense eum Spiræ invenimus diplomati inscriptum, quo Henricus imp. Eberhardo miniſteriali ſuo ſilvam quamdam donavit *a*). Nondum tunc ordinatus fuerat, ſed consecrationem demum die 20. Aprilis, Moguntiæ forsan, accepit *b*).

VII. Interea per Europam efflorescere et propagari cœpit amplissimus ordo Præmonstratensis, cuius S. Nortbertus præsul Parthenopoleos princeps et auctor fuit. Promovit institutum hoc pro viribus CONRADUS; nam anno 1126. unacum fratre ſuo Bertholdo eiusque uxore Demutha fundavit celeberrimum monasterium Roggenburgense in Suevia, quod ſecundo milliari ab urbe Ulmensi distat *c*). Exinde post quatuordecim circiter annos coloniam deduxit in S. Lucii cœnobium, a ſuo conditore etiam S. Valentiani dictum *d*), quod hactenus Fabariensibus ſuberat *e*): pariter ad Corvantios, ubi cœnobium Curwaldense ſurrexit binis leucis Curia distans; Benedurum quoque ad Rhenum, et Rhætigoiam eiusdem ordinis canonicis instruxit. Sic quoquomodo potuit, per diœcesin ſuam S. Nortberti institutum dilatavit, haud ignarus, quanto id animarum lucro et religionis decori futurum esset. Præter alios *f*) ea de re agit Hugo Stivagiensis *g*). CONRADI exemplum ſecuti ſunt alii quoque episcopi, ſic Paulus Virdunensis S. Pauli monasterium Præmonstratensibus dedit, et Otto Friſingensis eosdem in *Scheſſlarn* induxit *h*).

VIII. Cætera, quæ de CONRADO reperiuntur, minoris ſunt momenti. Anno 1130. cum aliis quatuor episcopis consecravit ecclesiam Laurishamensem *i*); anno autem 1131. die 7. Iulii monasterium ex cineribus restitutum Scolii in Engadina dedicavit, quod Eberhardus de Taraspo primitus fundaverat. Anno 1136. 16. Novembr. altera vice consecravit altare S. Petri in monasterio Petershusano *k*). Biennio post die 11. Aprilis ecclèsiæ Curiensis bona ab Innocentio II. in ſacræ ſedis protectionem ſuscepta fuerunt *l*). Dehinc anno 1139. die 11. Aprilis iurium con-

a) Gudenus Syllog. var. diplomat. p. 564. *b*) Catal. Flug. *c*) Phil. Bayrhamer Hist. Roggenb. apud Kuen T. VI. p. 2. et 3. *d*) Conf. ſupra ſec. VI. §. IV. *e*) Cod. prob. N. XXIX. *f*) Crus. Annal. Suev. L. IX. P. II. p. 345. et 387. Bayrhamer loc. cit. *g*) Annal. Præmonstrat. T. II. p. 103. ſeq. *h*) Concil. Germ. T. III. p. 780. ſeq. *i*) Freher. rer. Germ. T. I. p. 143. *k*) P. Æmil. Usserm. loc. cit. p. 378. *l*) Arch. Cur. Guler. loc. cit. p. 125. Sprecher. Pall. rhæt. p. 240.

firmationem a Conrado III. rege accepit *a*). Eodem anno multa ſuæ eccleſiæ bona conquiſivit, nam ab Adalberto et Dedalrico comitibus de *Tamertingen* cum conſenſu Eberhardi de *Sacco* pro 800. marcis argenti et 60. unciis auri coemit omnes proventus, quos dicti comites in Engadina ſuperiore poſſederant; alia quoque eiusdem regionis loca pro 260. argenti marcis, cum cæteris ad Ponteresinam dono oblatis *b*). Antequam Adalbertus II. Moguntinus Romam ab Innocentio papa vocaretur a. 1140. conventus quidam episcoporum provinciæ Moguntinæ habebatur, cui interfuit CONRADUS noster. Patet id ex litteris, quibus Adalbertus eodem anno monaſterium Hegenenſe confirmat, ubi inter novem episcopos etiam Curienſis occurrit *c*). Suum denique nomen adpoſuit confirmationi abbatiæ Salemitanæ anno 1142 *d*).

IX. Errant, qui CONRADUM anno 1142. defunctum ſcribunt, eique vel alium eiusdem nominis de *Heidenegg*, vel Waltherum Deſertinenſem ſubſtituunt. Vixit enim adhuc octo integros annos. Certe anno 1144. Lucio II. papæ unacum Walthero Auguſtano ſupplex factus eſt, ut monaſterium Roggenburgenſe in apostolicæ ſedis tutelam ſuſciperet, quod etiam die 7. Novembris pontifex præſtitit *e*). Propterea inter canonicos Præmonſtratenſes, Roggenburgi præſertim, CONRADI memoria in benedictione eſt; magnum pietati illius et doctrinæ tribuitur religionis incrementum: laudatur ob ſummam vitæ integritatem, candorem et ſanctimoniam *f*). Ad æterna migravit pius præſul Calendis Martiis anno 1150. *g*) inscriptus ea die necrologio Petershuſano his verbis: *Depoſitio* CUONRADI *episcopi Curienſis, iſte benignus nobis fuit.*

XXXVIII.

S. ADALGOTTUS.

Ab anno 1150. ad 1160.

X. Varii errores circa hiſtoriam S. ADALGOTTI commiſſi a ſcriptoribus fuere. Annalium Ciſtercienſium auctor *h*) illum ad ſedem Curienſem promotum ſcribit iam

a) Tſchud. loc. cit. p. 65. *b*) Sprecher. loc. cit. p. 233. *c*) Senckenb. Medit. in Ius publ. p. 622. *d*) Herrgott. loc. cit. p. 167. *e*) Bayrhamer loc. cit. p. 14. *f*) Annal. Præm. T. I. p. 575. et T. II. p. 676. *g*) Necrol. Zwif. apud Heſs. Monum. Guelph. Part. hiſt. p. 238. *h*) Angel. Manrique T. II. p. 66. et 289.

anno 1147. quod ex Vigilio Præmonstratensi abbate ſtabilire nititur, quem iam anno 1148. electum Roggenburgi contendit, quum tamen eo tempore diu adhuc vixerit Gerungus primus Roggenburgi antistes; Vigilius vero ille non Roggenburgi, ſed S. Lucii canoniæ præfectus ſit demum anno 1156. prius rector parthenii Cazenſis, ut ſuo loco dicemus. Alii, quos inter Gulerus *a*), huius episcopi initia ſerius locant ad annum 1167. rursus alii eum abbatem Fabarienſem faciunt; quæ omnia repugnant. Nos ex coævis mounmentis, licet pauca, attamen certiora damus.

Adalgottus, Adelgotus ſive Algottus cognomine *Berberus* ſub S. Bernardi disciplina in Claræ vallis monasterio ſanctimoniæ fundamenta iecit. Inde *ſapientia, ætate et gratia reverendus*, ut abbas Arnaldus bonæ vallis ſcribit *b*), post *Conradi* obitum ad regimen Curienſis eccleſiæ protractus est anno 1150. quem monachi Deſertinenſes, defuncto die 20. Augusti *Walthero*, ſibi abbatem petiverunt. Anno ſequenti Moguntiam profectum reor, ut conſecrationis beneficium a ſuo metropolita Henrico nanciſceretur; nam præter Gebehardum Herbipolenſem et Guntherum Spirenſem, Adalgottum testem reperio in litteris, quibus Henricus fundationem cœnobii Arnsburgici vel Aldenburg confirmavit *c*). Anno autem 1152. Constantiam ad Fridericum I. imperatorem petiit, ubi cum multis episcopis et principibus pacto conſenſit, quod ille cum Eugenio III. papa die 23. Martii iniit *d*). Præterea nomen eius in pluribus regiis litteris invenitur, quæ anno 1153. menſe Martio in eadem urbe expediebantur, prout in bullario Caſſinenſi *e*) et apud Ughellum videre est *f*).

XI. Præſidente S. Adalgotto, velut orta luce, tota ferme Rhætia aliam faciem induit; clerus tam ſecularis quam regularis ad ſtrictiorem officii ſui obſervantiam adactus, eliminati abusus, totaque diœceſis pii præſulis institutione et exemplo ad pietatis leges informata fuit. Præprimis vero ampliandis et reformandis monasteriis ſe impendit Adalgottus. Mariæmontanis eccleſiam construxiſſe et a. 1154. dedicaſſe legitur *g*) id quod testatur carmen in fornice eccleſiæ adhuc ſuperstes:

Præſul Adelgottus *ad cuncta decentia promtus,*
Conſecrat hanc cryptam divinis uſibus aptam.

Sua porro auctoritate monasterium contra futuras advocatorum violentias tuitus est *h*), inhibens, ne in ſpiritualibus vel tantillum potestatis haberent, ſed advo-

a) Rhæt. alp. p. 133. *b*) Bolland. T. IV. August. p. 292. *c*) Guden. Cod. dipl. Mogunt. T. I. p. 199. ſeqq. *d*) Orig. Guelph. T. II. p. 573. Concil. Germ. T. III. p. 370. ſeq. *e*) T. II. p. 170. — 172. *f*) Ital. S. T. IV. p. 931. — 934. *g*) Bucel. Rhæt. S. et prof. p. 236. Martinier T. VII. p. 732. Guler. loc. cit. p. 134. *h*) Cod. prob. N. LX.

catiam ſemper e manu abbatis ſuſciperent. Canonicis Præmonſtratenſibus in S. Lucii cœnobio eodem anno pro ſuſtentatione pauperum donavit xenodochium S. Martini in urbe Curienſi, et prædium in *Prades*, quod olim moniales dehinc ſublatæ poſſederant *a*); adiecit inſuper bona in vico Alvenovano (Alveneu) et decimas Rankwilæ quas hactenus dare tenebantur, remiſit, imo decimam decimarum eiusdem loci partem ſumma beneficentia conceſſit. Ipſas epiſcopi litteras exhibet Hugo Stivagienſis *b*), quæ inter alia ſic habent: *Quanta ſit animæ redemtio, eleemoſynarum in pauperes largitio, divina ſcriptura inſinuat nobis dicens, ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum. Quapropter ego* ALGOTTUS *Curienſis epiſcopus, pro utilitate monaſteriorum et cura pauperum pontificale onus ſuſcipiens* (digna tanto præſule verba), *accepto fratrum et miniſterialium maioris eccleſiæ conſilio atque conſenſu, hoſpitale apud S. Martinum in civitate Curia, providentiæ fratrum ſancti Lucii ad ſuſtentationem pauperum committere curavi.* Ea de cauſa Roggenburgenſes canonici ADALGOTTUM ſuum benefactorem agnoſcunt, aiuntque Vigilium magnis eiusdem favoribus auctum fuiſſe *c*); nam primi Præmonſtratenſes S. Lucii Roggenburgenſes erant; ut ſupra (§. VII.) retulimus.

XII. Nec minori tum providentia tum beneficentia uſus eſt optimus paſtor erga cœnobia virginum Schœnenſe et Cazenſe. De priori ſic loquitur Arnoldus Moguntinus *d*): *Clauſtrum, quod dicitur Schenis reformavit, et moniales, quæ primum laicali converſatione degebant, in eodem clauſtro regulariter abſque retractatione ordinavit victuras. Sed et tria alia clauſtra tum religione, et ſancta converſatione, quam facultatum propria largitione inſtaurando ad divini cultus ſervitium direxit. Et ut ne de temporalibus rebus aliquam ſuſtinerent moleſtiam, eccleſias curtes, et aliquas decimationes, intuitu divinæ clementiæ, uſibus eorum mancipavit.* De parthenio Cazenſi verba faciens ſic pergit: *Clauſtro vero B. Petri de Cazias, in quo, excluſa ſynagoga ſathanæ, quæ inibi aliquando morabatur, moniales ſub regula S. Auguſtini intra clauſtri ſepta viventes Domino ſervituras ordinavit, et multas ordinationes, quas his prætereo, contulit; ſtatuens, ut ſpiritualia, atque magiſtram, quæ iis præeſſe debeat, a præpoſito, qui in eccleſia S. Lucii pro tempore fuerit, cum omni humilitate debeant recipere.* Concordant hæc omnino cum litteris, quibus S. ADALGOTTUS ipſemet dictam reformationem recenſet anno 1156 *e*). Uſus eſt eo in negotio auctoritate Eugenii III. papæ ſui olim ſub S. Bernardi inſtitutione condiſcipuli, et conſilio Octaviani cardinalis, qui anno 1151. miſſus in Germaniam a pontifice fuit *f*). Non unius ſolum anni labore res conſtabat; fa-

a) Conf. ſupra ſec. XI. §. XVIII. *b*) Annal. Præmonſtrat. T. II. p. 66. *c*) Annal. Ciſterc. a. 1147. cap. 6. n. 9. *d*) Loc. cit. a. 1156. cap. 6. n. 5. *e*) Cod. prob. N. XLVII. *f*) Otto Friſing. L. I. cap. 63.

tetur enim, ſe *virgines inibi Deo caſtas exhibere vix elaboraſſe*, eoquod *adverſarii multi*, *auxiliarii vero pauci* fuerint. Ut autem haberent virgines, unde ſine mentis diſſipatione viverent, eisdem cum conſenſu canonicorum duo ſacella SS. Martini et Albani cum eorumdem proventibus, nec non locorum variorum decimas donavit. Hæc omnia Adrianus IV. papa eodem anno data 9. Decembris bulla confirmavit *a*). Interim non mirandum, turbidis iſtis temporibus, quibus durante ſchismate clerus populusque ſimonia et luxurie insorduerat, turpe nefas etiam clauſtra penetraſſe. Præſules, etiamſi hinc inde fuere boni, vel in aula verſabantur, conſervandis ſuis iuribus, aut communibus eccleſiæ negotiis gerundis intenti; vel ne tantillum quidem ſubſidii habebant, quo prævalentem impietatem compeſcerent.

XIII. Facilior erat Adalgotti in morum reformatione labor, utut et huic multo ſudore conſtiterit, quam irriti forte illius anteceſſorum omnes conatus. Magnam enim eidem auctoritatem et venerationem conciliabat tum vitæ ſanctitas, tum S. Bernardi, quo magiſtro utebatur, optima fama, quæ totam iam Europam pervaſerat, et a cuius ore populi pendebant. Quumque hac ratione animi paullatim miteſcere, atque ad concipiendam pietatem parari cœpiſſent; prudens et conſtans ſancti præſulis zelus in irritum cadere non potuit; præſertim quod reformationem gratiſſimo remedio, prædiorum ſcilicet et bonorum largitione, promoverit. Hinc facile colliges, quanti lucrum animarum æſtimarit Adalgottus, qui prius ſua munificentia ſibi, dein doctrina et pietate Deo animas conciliavit. Inſigni teſtimonio eſſe poterit Udalricus de Taraſpo ob vindictæ cupidinem homicida, quem Adalgottus ſuis conſiliis eo permovit, ut die 25. Martii anno 1160. pro aliqua ſatisfactione, ut puto, eccleſiæ cathedrali Curienſi dono dederit, quidquid in caſtro Taraſpenſi, et infra *Clusam* poſſederat, nec non quamplures homines ſuo antea ſervitio deputatos *b*). Quamquam hæc liberalitas poſtmodum Gebehardum dicti Udalrici ex fratre nepotem vehementer uſſerit, gravisque controverſiæ cauſa fuerit, quod ſuo loco recenſebimus. Præclari huius episcopi laudes paucis collegit Philippus Seguinus in annalibus Ciſtercienſibus *c*) in hæc verba: Adalgottus *monachus et diſcipulus S. Bernardi, vir doctrina et religione inſignis, poſt multos exhauſtos labores in evangelicæ perfectionis obſervatione, a Curienſi clero et populo cum ſummo cordis deſiderio exigitur: cuius electioni præfatus Bernardus annuens,* Algottus *pontifex, præter animi ſententiam, conſecratur: erat enim vir devotus et pius, qui monaſteria et eccleſias reſtauravit, miſeris et egenis auxilium tulit. Unde poſt mortem miraculis coruſcus, in numerum ſanctorum adſcribi meruit.* Mortem ſibi brevi adfuturam

a) Cod. prob. N. XLVIII. *b*) Ibid. N. XLIX. *c*) Ad annum 1156. cap. 6. n. 7.

ſentiens anno 1160. in ſuum Deſertinenſe monaſterium ſeceſſit, ut liberius Deo vacare poſſet; tandemque cœlo iam ſat maturus die 3. Octobris felicem animam Deo reddidit, ibidem ſepultus *a*). Eadem die eius feſtum in diœceſi Curienſi celebre habetur. Ante aliquot annos aliquæ huius Sancti reliquiæ in novum noſtrum S. Blaſii templum in nigra Silva illatæ religioſo in cultu habentur.

XXXIX.

E G I N O.

Ab anno 1160. ad 1170.

XIV. Magno ſuo infortunio Rhætia S. *Adalgottum* amiſerat; ſuccedebant anni admodum turbulenti, in vicina Inſubria continui bellorum tumultus perſtrepebant, quos horrendum in eccleſia Romana ſchiſma adauxit. Hos intra fluctus ſedi Curienſi impoſitus eſt iure vel iniuria Egino ex Ehrenfelſiana nobili familia ortus. Pſeudopontificibus adverſus Alexandrum legitimum papam adhæſit, ut Friderici imp. gratiam aucuparetur, hacque ratione ſchiſma in Curienſem quoque eccleſiam invexit, quod paulo poſt videbimus. Nihil Eginoni antiquius fuit, quam cæſarem ſibi benevolum conſervare; ea de cauſa illum undique, quo potuit, ſequebatur: anno 1166. IX. id. Martii apud Ulmam eiusdem diplomati ſubſcripſit, quo bona quædam cum archiepiſcopo Magdeburgenſi pariter ſchiſmatico commutavit *b*), ubi tamen ſolummodo *electus* ſcribitur; quod argumento eſt, conſecrationem illi abs Conrado Moguntino ſchiſmatis ergo denegatam fuiſſe.

Eccleſiæ Curienſis advocatiam hactenus duo comites Rudolphi unus de Brigantia, alter de Pfullendorf adminiſtraverant; eam autem Egino, ut imperatorem ſibi magis devinctum redderet, in Fridericum Sueviæ ducem eiusdem filium ea lege transtulit, ut illam nec ipſe, nec hæredum vel ſucceſſorum aliquis alienare poſſent. Summopere hoc imperatori placuit, qui in animi grati teſtimonium Eginonem ab omni ſervitio, imperiali alias curiæ præſtari ſolito, immunem liberumque declaravit, dato apud Mengam Sueviæ oppidum diplomate *c*) XVII. Calend. Iunii anno 1170. In eo Egino imperii princeps vocatur, et inter alia imperator ſic loquitur: *Nos benevolentiam præfati epiſcopi, et multimoda eius ſervitia adtenden-*

a) Catal. Flug. *b*) Orig. Guelph. T. III. p. 500. ſeq. *c*) Herrgott. Geneal. diplom. Habsb. T. II. P. I. p. 188.

tes, ab omni ſervitio curiæ noſtræ, et imperii noſtri, quamdiu vixerimus, penitus eum abſolvimus; et ſi forte nos contigerit universæ carnis viam ingredi, præfato episcopo ſuperſtite, filius noſter rex Heinricus vice noſtri eandem conditionem episcopo, dum vixerit, non infringat. Cum cæteris testes aderant Udalricus Lenzburgicus, Swicherus et Ulricus de Asperomonte Rhæti comites. Archicancellarius erat Christianus in deiecti Conradi ſedem Moguntiæ a Friderico intruſus.

XV. Gulerus quidem EGINONEM iam anno 1170. Flugius vero anno 1174. demortuum adſerunt, decepti uterque forsan ex eo, quod clerus Curienſis in EGINONIS ſchismatici locum alium præſulem anno 1170. elegerit; nam ex monumentis patet, EGINONEM per 16. ſaltem annos diutius non ſolum vixiſſe, ſed rerum etiam iuriumque eccleſiæ Curienſis curam gnaviter geſſiſſe, ita ut ab anno 1170. ad 1186. tres legitimi episcopi ſibi invicem ſuccedentes unacum EGINONE ſchismatico ſedem Curienſem tenuerint, quod ex dicendis clarum fiet. Duæ ad manus ſunt chartæ de EGINONE, altera Mariæmontana de anno 1183. qua diſſidium inter episcopum et Gebhardum de Taraspo componitur: altera Curienſis, quæ anno 1186. controverſiam de parœcia Burguſiana cum abbate Mariæmontano dirimit. Certe Gebhardus Taraspenſis, quum ægerrime ferret, quod patruus ſuus Udalricus tot poſſeſſiones ad eccleſiam Curienſem transfuderit *a*), EGINONIS episcopi milites, qui caſtro Taraspenſi erant impoſiti, occidit, caſtrumque vi occupavit. Iniuriam ulturus EGINO miſit, qui pulſis prædonibus caſtrum recuperarent; eo inſuper Gebhardum adegit, ut caſtro omnique poſſeſſione infra *Cluſam* ceſſerit, ſi nullum hæredem maſculum relinqueret, ſimulque in præſentiarum ſuum prædium ſupra Pontem altum EGINONI reſignarit anno 1183 *b*). Ne autem credi poſſit; in apographo Mariæmontano alterius loco EGINONIS episcopi nomen erronee adpoſitum fuiſſe; profertur aliud inſtrumentum Curiæ adſervatum, quo dirimitur diſſidium inter EGINONEM episcopum Curienſem et Fridericum Mariæmontis abbatem circa parthenium Monaſterienſe et parœciam in *Schuls*, cuius loco episcopus abbati tradidit eccleſiam Burguſianam anno 1186 *c*). Iam vero quum conſtet, dictis annis 1183. et 1186. *Henricum* quoque de *Arbona* Curiæ episcopum fuiſſe, eumque ab anno 1170. usque 1180. alios duos anteceſſores habuiſſe *Udalricum III.* et *Brunonem*; exploratum utique eſt, ſchisma in eccleſia Curienſi diutius, quam in Romana viguiſſe, nempe usque ad EGINONIS mortem. Quantum colligi ex chartis poteſt, arcem episcopalem Curiæ relinquere coactus ſedem in Engadina fixiſſe videtur, ubi probabilius ab anno 1170. usque ad obitum hæſit prope par-

a) Supra §. XIII. *b*) Cod. prob. N. LVII. *c*) Ibid. N. LIX

thenium Monasterienſe; nam eo in loco controverſia cum Gebhardo Taraſpenſi decisa fuit, cuius gratia ſapientes quosdam *ad colloquium in domum ſuam*, *ſcilicet* MONASTERIUM *vocasse* legitur; diciturque: *Hæc in præsentia domini* EGENONIS *Curienſis* ELECTI acta ſunt anno 1183. quin proinde unquam consecratus fuerit. In altera autem charta anno 1186. ſuos dicit duos decanatus vallis Engadinæ, et vallis Venustæ: *In duobus decanatibus noſtris, videlicet vallis Engadinæ ſexaginta ſiliquas, vallis Venuſtæ ſexaginta ſiliquas a)*. Vero ſane ſimillimum eſt, EGINONEM orientalem tantum diœceseos partem ab anno 1170. usque ad mortem administrasse, quæ quando contigerit, ignotum.

XL.
UDALRICUS III.
Ab anno 1170. ad 1179.

XVI. *Eginoni* ſchismatico legitime a clero Curienſi ſuppoſitus fuit UDALRICUS de *Tägerfelden* ſupra Clingnoviam in comitatu Badenſi oriundus. Præclara quæque de eo teſtatur Burchardus S. Gallenſis coævus *b)*, qui ait, illum triennio fuisse S. Galli abbatem, dehinc per octo integros annos episcopum Curienſem usque ad ſynodum œcumenicam Lateranenſem, quæ celebrata fuit menſe Martio anni 1179. Igitur S. Galli abbas electus eſt anno 1167. poſtulatus vero in episcopum Curienſem ſub finem anni 1170. *Quum esset igitur in cænobii S. Gallensis regimine tribus annis et paulo plus, honeſtate ſua et meritis ſuis et honeſta fama exigentibus in episcopatum Curienſem promotus eſt, quem octo annis per electionem tantum tenuit*, ut ſcribit Burkardus. Ergo consecrationem episcopalem nunquam obtinuit.

XVII. Idem ſcriptor *c)* unacum Mezlero de viris illuſtribus S. Galli UDALRICUM multis laudibus extollit *d)*: *Nil aliud*, inquit, *quam modeſtiam, pietatem et miſericordiam, manſuetudinem et humilitatem circa ipſum vigere notavi. Eleemosynarum vero largitorem eximium, et eccleſiæ ſuæ providum diſpenſatorem fuisse oculis propriis conſpexi et experimento cognovi. . . . Quietus et utilis ſemper esse voluit, ſeverus tamen et irremissus.* Cui teſtimonio certe maior fides adhibenda eſt, quam Gulero, qui pium præsulem arrogantiæ accusat *e)*. Anno 1179. cum aliis provinciæ Moguntinæ præsuli-

a) Vid. Cod. prob. N. CXXIX. n. 30. *b)* Goldast. rer. Alem. T. I. P. I. cap. 10. *c)* Loc. cit. *d)* Bern. Pez Thes. Anecdot. T. I. P. III. p. 588. *e)* Rhæt. alp. p. 134.

bus Romam ad ſynodum Lateranenſem profectus est *a*); quæ quum canone XIII. prohiberet, ne quis auderet pluribus eccleſiis præeſſe, liberumque Udalrico relinqueretur, epiſcopatu an abbatia cedere mallet; illo relicto hanc retinuit. *In concilio Alexandri papæ*, pergit Burkardus, *optione accepta quam harum dignitatum vellet, acciperet, quia ambabus ſecundum canones præeſſe non potuit, abbatiam ex devotione elegit; episcopatum vero, quatenus elationis vitium declinaret, in præſentia totius concilii refutavit.*

XLI.

B R U N O.

Ab anno 1179. ad 1180.

XVIII. Viduam eccleſiam regendam ſuſcepit Bruno, quem alii ex Rhætienſi, alii ex Ehrenfelſiana familia progenitum adſerunt. Nil de illo prodere monumenta poſſunt; nam conſecratione nondum percepta, paucos poſt menſes die 1. Februarii anno 1180. ex hac vita deceſſit *b*).

XLII.

H E N R I C U S II.

Ab anno 1180. ad 1193.

XIX. Henricus de Arbona, quem Gulerus *c*) Salzburgenſem ſimul et Curienſem canonicum adpellat, orbatæ eccleſiæ paſtor præficitur haud diu poſt *Brunonis* deceſſum. Eodem anno 1180. menſe Iulio imperator generalem procerum conventum Ratiſbonam indixit, ubi Henricus Curienſis teſtis reperitur in diplomate, quo die 13. dicti menſis Alberto Friſingenſi epiſcopo bona Veringenſia reſtituuntur *d*). Anno 1183. ad Iunii menſis initium abs Friderico Barbaroſſa Conſtantiæ pax publica cum Italis ſancita eſt, cui Henricus nomen ſuum appoſuit teſte Cruſio *e*) qui tamen præpoſtere epiſcopum Cirnenſem pro Curienſi ſcripſit. In-

a) Manſi Supplem. T. II. p. 700. *b*) Guler. loc. cit. Ioann. Flug. et Tſchud. Catal. Epp. *c*) Loc. cit. *d*) Leibnit. rer. Brunſvic. T. III. p. 674. et Oefel. rer. Boic. T. I. p. 198. *e*) Annal. Suev. L. XI. P. II. p. 482.

terfuit quoque concilio Veronensi anno 1184. in quo Lucius III. papa inter alia de reconciliandis in ſchismate ordinatis cum imperatore agebat *a*). Nam diploma cæsareum II. idus Novembris huius anni ad Montem ſilicem in Lombardia datum Sigfrido episcopo Cenetensi inter testes HENRICI nomen præsefert *b*). Occurrit denique in charta Henriciana, qua episcopus Frisingensis Wormatiæ Calendis Maii muniendæ civitatis facultatem obtinuit indictione IV. anno 1186 *c*).

XX. Fuit porro HENRICUS animo liberali et mansueto, cuius rogatu imperator abbatiam S. Lucii circa annum 1190. ab omni vectigali et teloneo in perpetuum liberam declaravit *d*). Sequenti autem anno 1191. Moguntiam ad ſynodum a Conrado metropolita coactam profectus est *e*); ſiquidem testis legitur in eiusdem archiepiscopi litteris, quas hoc anno in favorem ecclesiæ in Albech concesserat *f*). Interfuit præterea exequiis Friderici de Staufen Sueviæ ducis anno 1192. in Wessofontano Bavariæ monasterio celebratis, qua occasione Sigibaldus dicti cœnobii abbas bona a Friderico olim abstracta repetiit *g*). Anno 1193. cardinalis Cintius ex Dania, quo eum Cœlestinus III. papa pacis inter primores conciliandæ gratia ablegaverat; in Italiam rediit: quumque per Rhætiam transitum faceret, ad *Septimum* montem ab Andrea quodam Marmorei castri domino armata manu interceptus ſpoliatusque fuit, unacum itineris ſocio Theoderico S. Michaelis abbate, qui pro urgendo canonizationis B. Bernwardi negotio Cintium comitatus fuerat. In eo positi discrimine, uterque facto quid opus esset, diu deliberabant; tandem conventum, ut Curiam ad episcopum pergerent eius opem rogaturi: obvios habuerunt pii præsulis HENRICI ministros, qui iniquo invasori ſub excommunicationis pœna mandarunt, læsis ut protinus ſatisfaceret: præpotens insuper quidam eiusdem regionis dynasta nomine Rotholfus Andreæ fœderis, quod nuper cum illo inierat, rescissionem, ipsiusque castri ruinam comminatus est, ni illico episcopi iussis pareret. Sic tandem peregrini libere dimissi, cœptum iter prosecuti ſunt. Rem gestam refert Tangmarus presbyter *h*). Eodem anno HENRICUS obiisse videtur.

a) Mansi loc. cit. p. 710. *b*) Ughell. Ital. Sac. T. V. p. 182. *c*) Meichelb. Hist. Frising. T. I. P. II. p. 574. *d*) Annal. Præmonstrat. T. II. p. LXIX. in Cod. prob. *e*) Harzh. Concil. Germ. T. III. p. 790. *f*) Gudenus Cod. diplomat. T. III. P. II. p. 1072. *g*) Mon. Boic. Vol. VII. p. 367. *h*) Leibnit. loc. cit. T. I. p. 469. — 473.

XLIII.

ARNOLDUS I.

Ab anno 1194. ad finem ſec. XII.

XXI. Tenebris quibusdam, quas dispellere facile non poteris, obſita est circa hoc tempus historia Curiensis. Cl. Tschudius *a*) *Henrico* defuncto ſubrogat ARNOLDUM de Amatia; ante tamen ſedem aliquamdiu vacasse adserit, nixus charta S. Lucii de anno 1194. XI. Calendas Iunii, in qua legitur: *Cum Heinricus ſecundus episcopus obiisset, et episcopatus adhuc vacaret.* Sequenti vero anno dictum ARNOLDUM producit ex alia charta. Ast quum neutram chartam detegere potuerim, ARNOLDUS vero de Amatia *Reinherio* anno 1209. certissime ſuccesserit; vel duos iuxta Tschudium ARNOLDOS de Amatia ponere, vel unius regimen per *Reinherium* interruptum admittere debemus. Curiensem ecclesiam anno 1194. revera vacasse, exinde colligi potest, quod in diplomate Henrici VI. eo anno Curiæ S. Lucensibus dato die 22. Maii *b*) nullus episcopus Curiensis compareat, quum tamen Oldo (l. Otto) Bambergensis et Ulschalcus Augustanus adfuerint. Utrum porro charta a Tschudio citata Henricianum diploma ſit, quocum chronotaxin omnino eandem habet, non auguror, ſaltem verba illa *cum Henricus ſecundus episcopus obiisset, et episcopatus adhuc vacaret* in Henriciano non leguntur. Forsitan Bambergensis et Augustanus præsules cum imperatore ideo Curiam profecti ſunt, ut episcopi electionem promoverent, aut certe electum consecrarent.

XXII. Ex litteris procerum Germaniæ Philippo Sueviæ duci adhærentium V. Calend. Iunii ad Innocentium III. papam exaratis anno 1198. patet, Curiæ tunc episcopum aliquem præfuisse *c*), quem ARNOLDUM putem, ſed fide ſolius Tschudii ſolertissimi alias antiquitatum arbitri. Circa idem tempus incolæ Bormienses, qui prope fluminis Addæ fontes habitant, atque Curiensi episcopo hactenus parebant, ab eodem violenter avulsi ſunt. Mediolanenses enim, qui tum valli Telinæ dominabantur, etiam Bormium ſibi ſubiicere affectantes, illud ea de causa vicinis Comensibus deferebant. Verum quum Bormienses episcopo nollent non parere bis ventum ad arma fuit, et Bormiensis regio devastata. Minor erat episcopi ſive ARNOLDI ſive alterius potestas militaris, quam ut iniuste læsis ferre

a) Gall. comat. p. 319. *b*) Annal. Præmonstrat. loc. cit. p. LXX. *c*) Schaten. Annal. Paderb. L. IX. p. 644. Concil. Germ. T. III. p. 474.

ſubſidium valeret. Igitur poſt decennale circiter diſſidium Bormienses Comenſibus ſubiecti permanſere *a)*.

SECULUM XIII.

XLIV.

REINHERIUS.

Ab anno 1200. ad 1209.

I. Primum occurrit REINHERIUS ſive REINERIUS anno 1201. die 28. Octobris, qua templum S. Mariæ in monte vallis Venuſtæ dedicavit, ſimulque ſententiam tulit, quod Burguſiani a ſacerdote monacho ſacris provideri debeant. Parœcia enim Burguſii anno 1186. monaſterio Mariæmontano tradita fuerat *b)*, incolis id ægre ferentibus. Ne vero temere quid hac in re agere videretur REINHERIUS, clericorum conventu in ædem S. Valentini ex valle Venuſta congregato nonniſi communi conſilio ſententiam dixit in hæc verba: *Diſtinximus, quod monacho liceat populo in divinis providere, baptizare, pænitentiam dare, mortuos etiam ſepelire et prædicare, ubi inſtitutio non ſpectat ad populum. — — Poteſt autem populus, in hoc caſu ſcilicet, cum inſtitutio ad eum pertinet, prohibere, ne monachus ei procurationem exhibeat in prædictis ſacramentis c)*.

Cæterum REINHERIUS imperatorem Ottonem IV. ubique ſecutus videtur. Teſtem illum referunt ſcripta cæſarea, quibus Cameracenſes idibus Ianuarii anno 1208. banno imperiali ſubiiciuntur *d)*: interfuit conventibus Auguſtæ annis 1208. et 1209. habitis, ubi ultimo hoc anno poſt feſtum S. Ioannis Baptiſtæ regiam iurium eccleſiæ ſuæ confirmationem nanciſcebatur. Dehinc menſe Auguſto cum imperatore Romam profectus, die 4. Octobris ſolemni eiuſdem coronationi interfuit *e)*. Aſt nefaſtum fuit REINHERIO hoc iter; nam morbo in Italia contracto Curiam reverſus poſt menſem die 9. Novembris animam exhalavit *f)*.

a) Guler. Rhæt. alp. p. 136. *b)* Cod. prob. N. LIX. *c)* Ibid. N. LXII. *d)* Mémoire par Mr. l'Archov. de Cambrai. Ughell. Ital. Sac. T. V. p. 78. *e)* Würdtw. Nov. Subſid. diplom. T. I. p. 169. Guler. loc. cit. p. 137. *f)* Flug. Catal.

XLV.

ARNOLDUS II.

Ab anno 1209. ad 1220.

II. Arnoldus ex comitibus de Amatia utrum alius an idem ſit cum illo, qui Tſchudio teſte anno 1195. præfuit, non contendo. Reperitur primum anno 1210. in bonorum permutatione, quam præpoſitus Curwaldenſis in monaſterio S. Galli iniit cum Alberone de Tinzen *a)*. Innocentius III. papa anno 1212. eidem commiſit cauſam Adelheidis de *Murckart* abbatiſſæ Turicenſis, quam ob eccleſiam Rumlangenſem habuit cum Rudolpho Raperſvillano et Udalrico Kyburgenſi comitibus. Arnoldo iungebat pontifex eo in negotio Bertholdum comitem de Haymburg ad Vineas abbatem, et doctorem quemdam Argentinum *b)*. Eodem anno Fridericus imperator ex Sicilia per alpes Rhæticas in Germaniam rediens, perhonorifice ab Arnoldo exceptus et Conſtantiam usque perductus eſt, ut narrat Conradus de Fabaria *c)*: *Veniens igitur Fridericus primo a Curienſi epiſcopo, poſtmodum a noſtro abbate Udalrico ſuſcipitur, ipſiusque ducatu et auxilio ultra montem, qui Ruckenbein nominatur, ad monaſterium usque perductus honorifice ab ipſo ſuſcipitur, et ad Conſtantiam usque ſuo ducatu perducitur.* Arnoldi porro memoria habetur in diplomate eiusdem anni VI. Calendas Octobris apud Menckenium *d)*. Iuxta Gulerum *e)* ſequenti anno 1213. ſtabilitus in ſuis iuribus ab imperatore fuit.

III. Aſt nimium ſibi infenſos Arnoldus reddidit cives Comenſes, eoquod Friderico adverſus Ottonem adhæſerit, tranſitumque per ſuas ditiones conceſſerit; maximi ea res tumultus cauſa fuit. Comenſes enim ſub prætextu iura quædam ſibi vindicandi; ut epiſcopum ob favorem Friderico præſtitum caſtigarent, Clavennam et Prægalliam copioſa manu irrumpunt, atque inter alias violentias pagum Solienſem vulcano tradunt *f)*. Multum detrimenti Rhætia exinde paſſa eſt; nam diſſidia per ſeptennium protracta fuiſſe videntur usque ad annum 1219. quo pax et concordia ſanciebatur Plurii die 18. Auguſti *g)*. Ibi de damnis reſarciendis agi cœptum, atque conſtitutum, ut tam Arnoldus Curienſis epiſcopus, quam Scacabarocius Comenſis urbis prætor arbitros ex ſua quisque parte binos ſeligant, qui

a) Cod. prob. N. LXIV. *b)* Zapf. Monum. Anecdot. Vol. I. p. 111. *c)* Goldaſt. rer. Alem. T. I. P. I. p. 77. *d)* T. III. p. 1712. *e)* Rhæt. alp. p. 138. *f)* Quadrio Diſſertaz. V. T. I. p. 228. Tatti Annali di Como T. II. p. 574. *g)* Cod. prob. N. LXVII.

curarent, ut læsis intra triennium ſatisfieret fixo termino S. Martini festo. Ab illa compactione excipiebatur Artuicus de Amatia, adversus quem dehinc Comenses arma tulerunt; anno vero ſequenti 1220. restituta pax fuit. Idem annus ARNOLDO mortalis vitæ postremus fuit; legitur tamen tum adhuc in litteris quibusdam S. Lucii *a)*.

XLVI.

HENRICUS III. ET ALBERTUS.

Ab anno 1220. ad 1222.

IV. Post *Arnoldi* mortem ecclesia Curiensis præter morem bina capita habuit, HENRICUM de Alta Rhætia litteratura et parentela fortem, ut Conradus de Fabaria ſcribit *b)*, hactenus canonicum Curiensem; et ALBERTUM de Guttingen Constantiæ ad S. Stephani præpositum. Uterque biennio, si Tschudio et Gulero credimus, de infula contendebant, HENRICUS iure, nam lectus ex gremio fuit; ALBERTUS ære, quod large ſubminiſtrabat eius frater Rudolphus S. Galli abbas. Dissidium arbitrio Honorii III. papæ commissum; ſed neuter litigantium quæsito honore frui potuit, ambo enim anno 1222. extincti ſunt.

XLVII.

RUDOLPHUS I.

Ab anno 1222. ad 1226.

V. RUDOLPHUS baro de Guttingen ætate adhuc minor S. Galli abbas creatus est, ubi ob industriam ſuam indolem variis officiis iam antea adplicabatur. Multam is pecuniam pro *Alberto* fratre ſuo expenderat, quam ne amitteret, maioribus adhuc expensis episcopatum Curiensem mercatus est, quod testatur prædictus Conradus de Fabaria: *Ad recuperationem expensæ laboravit et episcopatum consecutus est, elaborans, ut ſuper duos haberet dominium principatus; oportuit tamen eum obtinere abbatiam dispensatorie, pro quo item tricentas marcas perſolvit curiæ Romanæ.* Accusatur porro

a) Cod. prob. N. LXIX. *b)* Goldast. loc. cit. p. 79.

ab eodem ſcriptore multæ prodigalitatis, qua ſuarum eccleſiarum bona non dilapidavit modo, ſed multo etiam ære auxit alieno, quod ſummam 1400 marcarum æquabat. Monachis S. Galli tributa impoſuit, quaſi hac arte nomina expuncturus. Proprii iudicii tenaciſſimus cum Curienſibus contentiones fovit, procul dubio, quod in ſubminiſtrandis pecuniis tardiores eſſent.

VI. Cæterum nihil ferme geſſit, quod epiſcopum commendet. Anno 1225. V. Nonas Maii S. Leonardi templum in ſua abbatia dedicavit, anno autem 1226. die 30. Ianuarii cum decano et cathedrali capitulo Tridentino pactum iniit, quo ſancitur, ut eccleſiis S. Ioannis de Tyroli, et S. Martini de Paſſyra alternatim a Curienſi et Tridentino clero paſtores præficiantur *a*). Exin Italiam petiit, ut Friderici imp. qui tunc ibi morabatur, auctoritate ſe adverſus *miniſteriales* ſuos tueretur; iam Maio menſe Parmæ reperitur in diplomate Fridericiano, quod in favorem Rothenſis monaſterii exaratum fuit *b*). Paulo ante Cremonenſi in urbe cardinalem quemdam ſibi benevolum habuit, cuius ope omnia a pontifice ſe impetraturum ſperaverat; erat is Portuenſis epiſcopus cardinalis ad S. Rufinam. Romam tandem delatus RUDOLPHUS in morbum incidit, quo confectus expiravit XIV. Calendas Octobris eodem anno, in templo Lateranenſi honorifice ſepultus *c*).

XLVIII.

BERTHOLDUS I.

Ab anno 1226. ad 1233.

VII. Percepta Rudolphi morte canonici Curienſes a Conſtantienſi eccleſia virum probum et induſtrium poſtulaverunt ſibi epiſcopum BERTHOLDUM de Helfenſtein *d*), non de ſancto Monte, ut Tſchudius ſcribit. De eo pauca conſtant. Anno 1231. die 16. Ianuarii litem diremit, qua S. Lucii cœnobium cum Alberone de Tinzen collidebatur *e*) die vero 21. Auguſti bona quædam cum Swigero Curwaldenſi præpoſito permutavit *f*). Ad anni ſequentis initium interfuiſſe legitur comitiis Ravennatenſibus ſanctioni imperiali Friderici II. ſubſcriptus *g*).

a) Archiv. Curiens. *b*) Monum. Boic. T. I. p. 375. *c*) Guler. Rhæt. alp. p. 139. Tſchud. Gall. comat. p. 320. Goldaſt. loc. cit. item p. 96. *d*) Catal. Flug. Würdtw. loc. cit. T. VI. p. 44. *e*) Cod. prob. N. LXXI. *f*) Archiv. Curwald. *g*) Schannat. Hiſt. Wormat. T. II. p. 110. ſeq.

VIII. Omni modo urgebatur bellum ſacrum in Saracenos, quod quam funeſtum religioni, publicæ quieti, bonisque moribus fuerit, nemo ignorat. Abbas Urſpergenſis *a*) adſerere non dubitat, homines belli ſacri prædicatione *ad perpetranda immaniſſima facinora et flagitia proniores effectos eſſe; dicebant enim, faciam ſcelera, quia per ſuſceptionem crucis innoxius ero, quin etiam animas multorum flagitiorum liberabo.* Huius furoris victima fuit Engelbertus archipræſul Colonienſis a propriis conſanguineis occiſus, multique ſacerdotes trucidati fuerunt. Eidem fato ſuccubuit BERTHOLDUS Curienſis, quem Rudolphus de Greifenſtein anno 1233. in pago Reamſienſi ſacrilege necavit: facinus horrendum refert ſcriptor coævus annalium Dominicanorum compilator, qui anno 1221. natus et anno 1238. Prædicatorum ordini adſcriptus eſt *b*). Parricida ſceleris pœnitens Romam profectus a Raynerio pœnitentiario beneficium abſolutionis obtinuit, ea conditione ut præſtito iuramento ad iter in terram ſanctam ſuſcipiendum ſe accingeret; ne autem ſatisfactionem hanc diutius differre poſſet, Gregorii IX. papæ litteras ad Umbertum Salam epiſcopum Comenſem die 23. Decembris anno 1237. datas ſecum Roma detulit, a quo ad transfretandum abſque moræ diſpendio cenſuris eccleſiaſticis compellendus eſſet *c*).

XLIX.
UDALRICUS IV.
Ab anno 1233. ad 1237.

IX. *Bertholdum* impie confoſſum excepit UDALRICUS comes de Kyburg Hartmanni ſenioris et Wernheri frater; ſororem habuit Helwigem Alberti comitis Habsburgici coniugem, et Rudolphi poſtea regis matrem. Rexit per aliquot temporis præpoſituram Beronenſem in Argovia, dehinc in monaſterium Einſidlenſe ſeceſſit, ubi tamen nunquam abbas fuit, ut Würdtweinius adſerit *d*); ſed ob ſingularem prudentiam clero Curienſi adſcriptus anteceſſorem ſuum *Bertholdum* in negotiis dexteritate et conſilio adiuvit *e*). Ob eccleſiæ paupertatem die 13. Iulii anno 1235. a Gregorio IX. papa facultatem obtinuit, beneficia ante epiſcopatum canonice poſſeſſa retinendi. *Pro te fuit nobis*, ad eum ſcribit pontifex, *humiliter ſupplicatum, ut cum eccleſia Curienſis gravi prematur onere debitorum, retinendi ſaltem usque ad certum tempus beneficia, quæ prius canonice obtinebas, licentiam tibi concedere dignaremur.*

a) Ad annum 1221. *b*) Urſtis. P. II. p. 6. Guler. loc. cit. *c*) Cod. prob. N. LXXII. *d*) Nov. Subſid. diplom. T. VI. p. 44. *e*) Annal. Erem. p. 186.

Gratiam hanc ipſemet imperator pro UDALRICO precibus a papa impetravit; nam ſic pergit Gregorius: *Nos igitur cariſſimi in Chriſto filii noſtri regis Romanorum imperatoris ſemper Auguſti pro te ſupplicantis devotis precibus inclinati veris exiſtentibus ſupradictis, percipiendi fructus beneficiorum ipſorum usque ad noſtrum beneplacitum auctoritate tibi præſentium concedimus facultatem a)*.

Cæterum unam tantum UDALRICI chartam deteximus de die 8. Martii anno 1237. qua bonorum donationem a dominis de Vatio Curwaldenſi præpoſituræ factam ſuo chirographo ſtabilivit *b)*. Exin haud diu ſuperſtes iam die 17. Iunii eiusdem anni piiſſime obiit *c)*.

L.
VOLCARDUS.

Ab anno 1237. ad 1251.

X. Mæſtam patre amiſſo eccleſiam Curienſem ſolatus eſt præſul ſtrenuus et pervigil VOLCARDUS a *Neuenburg* ſupra Vatium inferius in Rhætia oriundus. In ipſa electione æmulum habuit *Geronem*, quem canonicorum aliqui epiſcopum petebant *d)*. Aſt virtute prævalente infirma æmulatio eſt; nam ex parte VOLCARDI etiam metropolita ſtetit. Equidem eligentium, ut arbitror, diſſidiis factum, ut ſedes ultra quadrimeſtre vacaret, et VOLCARDUS demum 1. Novembris anno 1237. electus fuerit. Iuxta chronicon Erfordienſe S. Petri *e)* ſolemni ritu conſecratus fuit Moguntiæ in ipſa dominica Palmarum 28. Martii anno 1238.

XI. Interea eccleſiam et imperium maxime affligebant continuæ pontifices inter et imperatorem Fridericum II. diſſenſiones, Guelphis et Gibelinis omnia pervertentibus. Quumque tempeſtas potiſſimum in Italiam ſæviret, vicinæ Rhætiæ non potuit non eſſe res præprimis calamitoſa. Mediolanenſes adverſabantur Friderico, Comenſes autem, quorum poteſtas multum excreverat, eiusdem fautores extitere; hinc iurgia perpetua. VOLCARDUS complures Germaniæ tam epiſcopos quam proceres ſecutus, poſthabita excommunicationis pœna, unacum ſubditis ſuis Friderico ceu legitimo imperatori adhæſit. Unde Gulero teſte *f)* factum, ut rhætica nobilitas

a) Würdtw. loc. cit. *b)* Archiv. Curwald. *c)* Guler. loc. cit. Catal. Flug. *d)* Helvet. Lexic. T. V. p. 275. *e)* Mencken. Script. rer. Germ. T. III. p. 258. *f)* Loc. cit.

multis ornata privilegiis fuerit, exindeque reſpublica Griſonum ſenſim ſine ſenſu ſuæ libertatis originem deduxerit.

Anno 1243. IV. nonas Iulii adfuit VOLCARDUS ſolemni dedicationi maioris eccleſiæ Moguntinæ, qua occaſione totius provinciæ epiſcopi convenerunt *a*).

Erat eo tempore inter canonicos Curienſes ſcholaſticus ſeu magiſter Waltherus de Reutlingen, qui ſimul parœciæ Rankwilenſi præerat. Is forſan pietatis vel tædii causa in quoddam S. Franciſci cœnobium se recepit. VOLCARDUS, ne proventus eccleſiæ fruſtra diffluerent, ſcholaſtici munus Eberhardo, parœciam vero alteri Walthero nepoti ſuo contulit, qui ambo pariter erant canonici Curienſes. Waltherus de Reutlingen portionem ſuam ſibi raptam dolens, conſilio Lutolphi epiſcopi Baſileenſis usus ad Innocentium IV. papam perſcripſit, se ſolum probationis causa Fratrum Minorum cœnobium intraſſe, quin unquam vitæ mutandæ conſilium cœpiſſet, ſibi proin beneficia legitime ſemper poſſeſſa per nefas ab epiſcopo ſuo ablata fuiſſe. Re diſcuſſa pontifex præpoſito S. Galli, et prioribus monaſteriorum S. Dominici et S. Franciſci Conſtantiæ per litteras anno 1247. die 7. Octobris mandavit, ut Waltherum de Reutlingen, eiectis, quos VOLCARDUS ſubſtituerat, auctoritate apoſtolica ſuis beneficiis reſtituerent *b*).

Cæterum inter alia, quæ VOLCARDUS pro bono publico præſtitit, illud recenſendum, quod bina caſtra in regionis defenſionem extruxerit: *Guardavallem* in Engadina ſuperiore ſupra præaltam rupem prope Madulenum pagum; et *Fridenaviam* in pago Ciceriano, quod poſtremum tamen imperfectum reliquit *c*).

XII. Familia Tſchudiana Glaronenſis iam dudum caſtrum de Flumine epiſcopi Curienſis nomine poſſederat, unde etiam Tſchudii vicedomini de Flumine, iidemque de *Grapalonga*, dicebantur. Interim Henricus Tſchudius caſtrum hoc, non ut epiſcopi vaſallus, ſed tanquam verus dominus retinere præſumſit, debita inſuper ſervitia et cenſus negavit, varia intulit damna, multaque, prout lubuit, domini ſui iura peſſumdedit. Cognita tandem iniquitate compunctus cum Adelheide coniuge ſua omne ius, quo tam circa caſtrum de Flumine, quam alia Curienſis eccleſiæ bona gaudere videbatur, humiliter in manus VOLCARDI epiſcopi reſignavit. Hic, quod eſſet animo miti et benigno, caſtrum feudi nomine Henrico denuo ſub certis conditionibus tradidit, quas inter illa memoratu dignior, ne famulos, qui

a) Concil. Germ. T. III. p. 571. *b*) Bullar. Franciſc. T. I. p. 493. *c*) Guler. loc. cit. Sprecher. Pall. rhæt. p. 80.

hactenus ibidem ſerviverant, divexet aut expellat; ne alienos in ſervitium ſuſcipiat; neve plures, quam quatuor, extraneos atrium interius, ſeu ſecundam portam ingredi patiatur; id quod Henricus iureiurando promittere debuit. Ea de re tabulas publicas VOLCARDUS confici iuſſit die 6. Iunii anno 1249 *a*). Neceſſaria eo tempore, quo terra imperantium diſcordiis infamis erat, hæc cautela videbatur, ne ſecuritas domeſtica aliquid detrimenti pateretur, utque epiſcopus emergente caſu tutum aſylum reperiret. Mortales reliquit VOLCARDUS die 16. Octobris anno 1251 *b*).

LI.

HENRICUS IV.

Ab anno 1251. ad 1272.

XIII. HENRICUS comes de Monteforti in ordine fratrum Prædicatorum religioſam vitam poſeſſus *c*), poſtquam condigna morum ſanctimonia ſplendere cœpiſſet, anno 1251. Curienſi candelabro impoſitus fuit; iam enim ad diem 13. Decembris præpoſito S. Lucii litteras dedit, in quibus ſemetipſum vocat *fratrem* HENRICUM *ordinis Prædicatorum Curienſem electum*. Anno autem mox inſecuto a Conrado Friderici II. filio publicas litteras pro iurium confirmatione accepit *d*). Summa laude diœceſin ſuam rexit HENRICUS vir providus prudens et pervigil; rem quoque politicam multum iuvit, auxit eccleſiæ ſuæ redditus, cui emtione comparavit Aſperum montem caſtrum ſupra Geninſium et Reamſium; caſtella inſuper Fürſtenoviæ in valle Domeſtica, et Herrenberg prope Sevolam in comitatu Werdenbergico e fundo extruxit *e*). Perfecit etiam caſtrum Fridnavienſe Cicerii, quod eius anteceſſor incœperat *f*). Quum enim variæ prædonum cohortes ex inquietis et dominii avidis hominibus conflatæ hac illac in patriæ perniciem vagarentur; locorum munitionibus rerum ſecuritati providendum fuit. Ipſemet HENRICUS anno 1255. quaſdam hoſtium turmas, quæ forte ex Longobardia eruperant, in campo Amedenſi prælio fundere coactus eſt *g*).

XIV. Rerum ſumma apud Rhætos tota ferme penes HENRICUM fuiſſe videtur; eius enim arbitrio deciſæ lites, eius annulo ſignatæ tabulæ, et teſtimonia munita

a) Cod. prob. N. LXXIV. *b*) Guler. loc. cit. p. 140. *c*) Urſtis. P. II. p. 10. *d*) Guler. loc. cit. *e*) Cod. prob. N. CXXVIII. *f*) Guler. loc. cit. *g*) Ibid.

inveniuntur. Anno 1257. die 20. Maii Fürstenovii virginibus Schœnensibus edita charta licentiam dedit alienandi prædium Butticonense, ut æris aliquid adquirerent, quod etiam Hugoni de Stage ministro comitis Kyburgici reapse vendiderunt *a*). Eodem anno Richenovii litteras Alberti de Saxo Fabariensibus datas ſuo ſigillo munivisse reperitur. Anno 1258. XV. Calend. April. Curiæ Steingadensi Augustanæ diœcesis cœnobio ius concessit parœciæ in Schardes, quam primum vacaverit, vel ſecularem vel regularem ſacerdotem imponendi *b*). Anno 1259. die 21. Mart. monachis Mariæmontanis, ut et largius ſustentari, et officia divina facilius peragere possent, parœciam in Passyra dono dedit *c*). Anno 1261. ſigillum appendit litteris Henrici de Wildenberg, quibus advocatiam Fabariensem in se ſusceperat *d*).

Sunt mihi præterea Henrici aliæ litteræ V. idus Decemb. anno 1265. exaratæ, quibus ex consensu Udalrici decani et Burchardi præpositi Curiensium monachis S. Ioannis in Turthal ad mensam abbatis donavit ſacellum Kalcherense unacum omnibus redditibus, adiecta facultate, beneficium ſacello adnexum ſuorum cuidam conferendi *e*); eo enim progressa est optimi præsulis pietas, ut non ſolum ſuo, ſed alieno etiam clero ſuccurreret; cœnobium quippe S. Ioannis in Constantiensi, Staingadense vero in Augustano ſita ſunt episcopatu, cui ante aliquot annos Schardensem ecclesiam tradiderat, quam donationem anno 1266. exeunte Aprili in Malsensi villa unacum Swikero Muntalbano denuo ratam habuit *f*).

Interim per plures annos episcopali consecratione caruisse videtur Henricus, constanter enim ſolum *Dei gratia Curiensis* ELECTUS ſcribitur usque ad annum 1270. quando ſua auctoritate die 28. Aprilis litem diremit, qua Ioannes S. Lucii præpositus cum Wilhelmo de Ragatio collidebatur *g*). Aliam quoque controversiam inter Rudolphum Montefortium et abbatiam Fabariensem XIV. Calend. Sept. eiusdem anni in Feldkirch composuit *h*).

XV. Ea tempestate civitas et regio Mediolanensis per octennium civili bello turbabatur plebeiis nobilibusque inter se collisis; hoc malo multa damna passi Clavennates, Prægalli et Plurienses fuerunt, plebs duce Philippo Turriano fortior magna patritios calamitate affecit: diruta castra, ſpoliatæ alpes, et armenta abducta. Compunctus vicinorum miseria Henricus consilio et prudentia, tum etiam qua pollebat apud Ottonem archiepiscopum Mediolanensem amicitia id effecit, ut anno

a) Herrgott. Geneal. dipl. Habsb. T. II. P. I. p. 334. *b*) Monum. Boic. Vol. VI. p. 529. *c*) Cod. prob. N. LXXVII. *d*) Herrgott. loc. cit. p. 371. *e*) Cod. prob. N. LXXIX. *f*) Monum. Boic. Vol. VI. p. 534. *g*) Cod. prob. N. LXXXI. *h*) Archiv. Benedur.

1272. pax publica feliciter restituta fuerit *a*). Fractus tandem laboribus, quos per 21. annos pro religione et patria ſustinuit, die 14. Nov. hoc anno 1272. quum ſuam dioecesin lustraret, pie defunctus est in Engadina inferiore Eremusii, ibique ſepultus *b*). Annales vero Dominicanorum Colmariensium eius obitum demum ad annum ſequentem referunt *c*).

LII.

CONRADUS III.

Ab anno 1272. ad 1282.

XVI. Conradus III. liber baro de Bellomonte post *Henrici* decessum regimini ecclesiastico admotus illico domus divinæ zelo claruit; nam cœpit cum clero ſuo deliberare, qua ratione defectus cultus divini, qui hactenus irrepserant, ſuppleri, ac nostræ mysteria religionis maiori cum decentia et ſplendore peragi in posterum possent. Aliquorum ambitione et rapacitate factum, ut canonicis ad officia divina destinatis necessaria vitæ ſustentatio pæne intercluderetur, ideoque ecclesiasticus fervor paulisper inteperet; hinc constitutum imprimis a Conrado fuit, ut præbendæ absentium præsentibus in ſedulitatis præmium tribuantur, et unicuique eorum quotidie duo panes binaque pocula vini, alterum in prandio, ad cœnam alterum, dentur. Ex quo patet, vitam communem in ecclesia Curiensi tum aliquatenus ſaltem viguisse. Proventus, qui absentibus alias obtigissent, apud præpositum S. Lucii iussit adservari, ſuo tempore ecclesiæ necessitatibus adplicandos. Eundem in finem reservari voluit redditus ſecundi anni ex unoquoque beneficio vacaturo exceptis distributionibus quotidianis. In pœnam negligentium, qui ad psalmodiam tardius occurrunt, ſancivit, ut *qui ad Matutinas ante principium primi nocturni non venerit, ibique usque ad finem non perseveraverit, nisi de licentia decani, illa die utroque poculo vini careat: et qui ad Missam ante Kyrie eleson non accesserit, vel in Vesperis ad primum psalmum propria culpa non comparuerit, frustretur una portione panis;* qui vero iusta ex causa abessent, illis quotidiana distributio neutiquam ſubtrahenda. Exemtos pariter a pœna prædicta declarat episcopus eos, qui adhucdum ſtudio theologico, aut itineribus eiusdem iussu ſusceptis ab officio divino detinentur; prohibet-

a) Guler. loc. cit. p. 141. Sprecher. loc. cit. p. 81. Quadrio Dissertaz. V. T. I. p. 248. *b*) Guler. loc. cit. Tschud. Gall. comat. p. 320. *c*) Urstis. P. II. p. 10.

que, ne præpoſitus vel miniſter ratione ſui officii ex quotidianis abſentium diſtributionibus quicquam ſibi retinere audeant.

Notatu præterea dignum eſt, quod unusquisque in canonicum electus, antequam fructus ſuos facere poſſit, ad ſolutionem unius marcæ argenti obligetur, ita ut charta teste *extimationem unius marcæ pro una Capa teneatur in ſecretario consignare.* Canonicus tabernam ingreſſus ad 10. ſolidos condemnatur. Sub Miſſa maiore ſeu principali, ut omnes eo facilius canere poſſint, vetantur Miſſæ privatæ. Canonici, qui alibi, quam in eccleſia Curienſi habitare voluerint, ante diſceſſum redditus perceptos infra menſem reſtituere iubentur. Sancitur etiam, ut in ſummis per annum ſolemnitatibus festisque diebus præter canonicos nemo evangelium aut lectionem cantare præſumat; omnes vero canonici, ſive ſint in ſacris conſtituti, ſive non, *congruentem coronam et tonſuram*, nec non biretum deferre obligantur, nec liceat ulli absque ſuperpelliceo chorum intrare, niſi penſione diurna mulctari malit. Hæc aliaque Conradus die 17. Maii anno 1273. cum cathedralis capituli conſenſu pro cultus divini augmento clero ſuo obſervanda propoſuit *a)*; id quod argumento eſt, ipſummet paſtorali ſuo muneri neutiquam defuiſſe. Contigit equidem præcedentium annorum iniuriis vigorem eccleſiaſticum elanguiſſe, præſulesque dum rerum conſervationi, exule pace publica, totos vix non ſemet impendere cogebantur, tuendæ diſciplinæ minus hinc inde compotes fuiſſe.

XVII. Meliora tempora protulit Rudolphi Habsburgici in imperatorem electio, atque epiſcopis ſublato hoſtium timore rei eccleſiaſticæ magis proſpicere licuit. Conradus quidem non ſolum ſanctioris diſciplinæ obſervantiam, ſed temporale etiam eccleſiæ ſuæ augmentum cordi habuit. Waltherus de Vatio dudum pignoris loco retinuerat varia epiſcopatus bona Reamſii, in Bivio, Lentii et alibi, quæ Conradus anno 1275. feliciter recuperavit *b)*. Vicedomini de Flumine, ſeu Tſchudii de Grapa longa, quamvis ante aliquot annos per *Volcardum* epiſcopum ad officium redacti fuiſſent, ſupra num. 12. tamen caſtrum de Flumine vel proprio nomine poſſidere ſunt auſi, vel debitos cenſus reddere neglexerunt; ſed Conradus dictum locum ſuo iuri iterum vindicavit *c)*. Nec minor aliarum eccleſiarum illi cura fuit. Divexabatur multum a ſuis advocatis Fabaria, atque hoc præprimis tempore ab Henrico Wildenbergio. Epiſcopus arbiter inter litigantes anno 1276. tam abbatis iura, quam advocatiæ limites ſtabilivit *d)*. Anno 1279. agebatur de ædificando Ilmenſi cœnobio in Moguntina diœceſi, quam in rem nummi per pro-

a) Cod. prob. N. LXXXII. *b)* Archiv. Curienſ. *c)* Guler. l. c. p. 142. *d)* Cod. prob. N. LXXXIV.

vinciam colligebantur, ſuos etiam ſtrenue hortatus eſt episcopus Curienſis, ut in pium opus ſubsidia conferrent *a*). Dehinc Viennam Auſtriæ profectus eſt, nam teſtis legitur diplomati inscriptus, quod Rudolphus imperator anno 1280. die ultima Auguſti pro fundatione parthenonis Dominicani Tulnenſis ea in urbe dederat *b*). Biennio poſt die 16. Auguſti fidem ſuam interpoſuit pro 250. argenti libris in favorem Bertholdi præpoſiti S. Lucii, quocum etiam permutavit ius patronatus, ut vocant, in eccleſia Lacupratenſi, *Seewis*, pro eodem iure in *Pradis* et *Swaingen c*).

XVIII. Perennem porro ſui memoriam reliquit CONRADUS in Venuſta valle, ubi prope Burguſium ex conſenſu Meinhardi iunioris comitis Tyrolenſis arcem Fürſtenburgicam magnis ſumptibus extruxit *d*); in qua etiam reliquam ſuam vitam tranſegit expectatione breviorem. Quum enim ſe itineri Moguntiam accingeret, ſubitaneo morbo præpeditus die 25. Septembris ad Superos migravit anno 1282. Eius corpus in S. Florini Mariæmontanæ abbatiæ templo terræ mandatum fuit *e*).

LIII.
FRIDERICUS I.
Ab anno 1282. ad 1290.

XIX. In *Conradi* locum ſubſtitutus eſt FRIDERICUS ex comitibus de Monteforti, Wilhelmi abbatis S. Galli, et Udalrici Brigantiæ domini frater *f*). Altero mox poſt eius electionem menſe, ſeu die 21. Novembris anno 1282. præpoſitus, decanus, omnesque canonici unanimi conſenſu ſtatuerunt, nullum poſthac inter canonicos recipiendum eſſe, niſi prius capitulo *cappam*, quæ valore argenti marcam adæquet, vel ipſum argentum perſolverit; quod ni fecerit, ab omnibus publicis negotiis et conſultationibus excludendum, atque ad ſolutionem cappæ reddituum ſubtractione ac cenſuris etiam compellendum eſſe ſanciverant. Hanc autem conſtitutionem FRIDERICUS ſigillo ſuo firmavit *g*). Factum id puto partim ob decentiam in officiis canonicis ſervandam, quibus omnes veſte talari, ſeu caſula totum corpus tegente, quæ ſub *cappa* intelligitur, induti intereſſe tenebantur; partim etiam ob ſuppellectilis eccleſiaſticæ penuriam.

a) Schœtgen. Script. rer. German. T. I. p. 186. *b*) Hanſiz. German. Sac. T. II. p. 389. *c*) Archiv. Curiens. *d*) Cod. prob. N. CXXVIII. *e*) Guler. Rhæt. alp. p. 142. *f*) Tſchud. Gall. comat. p. 321. Guler. loc. cit. p. 143. *g*) Cod. prob. N. LXXXV.

XX. Eadem forte de cauſa hic præſul die 14. Iunii anno 1284. vallem Puſclavienſem Ægidio de Amatia in feudum elocavit *a*). FEDERICUS *egregius vir Dei gratia Curienſis epiſcopus, nomine Curienſis eccleſiæ inveſtivit per legale feudum dominum Egidium virum honorabilem de Amazia de Venoſte — — ſpecialiter in territorio de Puſclavio et villa de Puſclavio b*). Anno autem 1286. a nobilibus de Bodmen et Schellenberg eccleſiam in Feldkirch dono acquiſivit, quæ prius a Gottfrido comite de Tubingen et Geblingen feudi nomine ad dictos nobiles tranſlata fuerat *c*). Tantum nihilominus æris ſupererat, ut etiam aliis ſuccurrere potuerit, quos inter Henricus præpoſitus S. Victoris Meſaucini, cui adiutus ab Udalrico de Rietberg mutuas dedit centum bonæ monetæ libras; Henricus vero pignoris loco obtulit ſacellum S. Petri ad ripam Rheni die 5. Martii anno 1287. ea conditione, ut ſi dicta pecuniæ ſumma circa S. Martini feſtum reſtituta non fuerit, ſacellum epiſcopo eiusque ſucceſſoribus permaneat *d*). Eodem adhuc menſe Herbipolim profectus eſt FRIDERICUS ad concilium nationis Germanicæ, ubi præſentibus Rudolpho cæſare et legato apoſtolico 42. canones pro diſciplina reſtauranda ſtatuti, variæ dehinc conceſſæ indulgentiæ fuerunt; ſic FRIDERICUS noſter cum aliis præſulibus ſingulas quadragenas largitus eſt omnibus, qui in reſtaurationem monaſteriorum S. Stephani Herbipolenſis et Fuldenſis, quod combuſtum erat, ſubſidium ferrent *e*).

Inter alios, qui in templorum fabricam quædam elargiri conſtituerunt, erat Henricus de Rhæzuns; conſultius tamen duxit, propriæ matri ſuæ eccleſiæ, quam exteris, benefacere, atque in templo cathedrali Curiæ ſumptibus ſuis anno 1288. aram conſtruxit, ibidemque ſibi ſepulcrum ſelegit *f*).

XXI. Interea comites de Monteforti per plures iam annos Rudolpho cæſari minus favebant, præprimis eidem adverſabatur Wilhelmus abbas S. Galli. FRIDERICUS nolens a fratribus ſuis diſſentire, in ſuas partes etiam Petrum epiſcopum Sedunenſem pertraxit, quocum iam anno 1282. menſe Decembri armorum ſocietatem ſub mutui tutaminis pollicitatione inierat. Wilhelmus dehinc a cæſare deponitur, venitur ad arma, comitibus de Werdenberg pro Rudolpho pugnantibus. Aegerrime cum ſuis rem tulit FRIDERICUS, poſitaque epiſcopali manſuetudine anno 1288. vel ad ſequentis initium, arrepto enſe cum militum turma in Walgoviam irruit, Werdenbergicis bellum illaturus, quos, igne ferroque regionem devaſtando, ad pugnam provocat, quæ in campo prope Vallemdulcem (Vaduz) commiſſa eſt:

a) Leu Lexic. Helvet. T. V. p. 276. *b*) Quadrio Diſſertaz. V. T. I. p. 256. *c*) Guler. loc. cit. Prugger. Veldk. Beſchreib. p. 19. *d*) Cod. prob. N. LXXXVI. *e*) Concil. German. T. III. p. 724. et 737. Ludw. Script. Wirzb. p. 590. *f*) Archiv. Curiens.

vincitur episcopus, armisque Hugonis de Werdenberg interceptus in arcem vicinam captivus abstrahitur. Ultra annum in carcere hæsit, ex quo tandem profugere tentans, maparum linteorumque inter se connexorum ope ex fenestra se demisit. Ast fune perſide rupto in terram illisus die 3. Iunii anno 1290. expiravit. Eadem occasione Henricus de Griessenberg et Eberhardus de Asperomonte occubuerunt. Rem narrant Gulerus *a*), Tschudius *b*), Crusius *c*), et auctor annalium Dominicanorum Colmariensium, aliique *d*).

LIV.

BERTHOLDUS II.

Ab anno 1290. ad 1298.

XXII. BERTHOLDUS natus, si Flugio fides, de Heiligenberg, cuius mater ſoror erat Ioannis, Donati et Waltheri de Vatio, prout ex ſynchronis testimoniis colligitur, ſtatim post infelicis *Friderici* excessum ſedi Curiensi impositus est. Pauca de eo memoranda veniunt. Anno 1291. die 4. Sept. incolis civitatis Turicensis licentiam dedit, per totum Curiense dominium mercimonia exercendi, reservata tamen ſibi revocandæ huius concessionis potestate *e*). Anno ſequenti 1292. ſuorum quempiam Aschaffenburgum ad ſynodum provincialem ablegavit, qui ipsius nomine plena potestate ageret, ut refert Trithemius *f*). Leges ibi ſancitas narrat Harzhemius *g*).

Anno 1294. castrum de Grapalonga Udalrico equiti de Flumine pignoris loco concessit, a quo feudi nomine hactenus possidebatur *h*). Litem insuper habere cœpit cum Ioanne de Vatio, qui ius advocatiæ in ecclesiam Curiensem ſibi competere adfirmabat; verum ante illius compositionem BERTHOLDUS die 17. Ianuarii anno 1298. vivere desiit *i*).

a) Loc. cit. *b*) Hist. Helvet. p. 200. *c*) Annal. Suev. L. III. P. III. p. 158. *d*) Urstis. P. II. p. 24. et 25. *e*) Cod. prob. N. LXXXVIII. *f*) Annal. Hirsaug. T. II. p. 57. *g*) Concil. Germ. T. IV. p. 7. *h*) Guler. loc. cit. p. 144. *i*) Leu Lexic. Helvet. T. V. p. 277. et Flug.

LV.
HUGO.

Anno 1298.

XXIII. Flugius in ſua episcoporum recensione *Bertholdo* ſubſtituit Hugonem Montefortium, illum autem ſexto poſt electionem menſe e vita migraſse teſtatur die 3. Auguſti, unde a Gulero et aliis omittitur.

SECULUM XIV.
LVI.
SIFRIDUS.

Ab anno 1298. ad 1321.

I. Sifridum alii de Geilnhausen, Tschudius vero ex baronibus de Flumine, Tschudiis nimirum, ortum adfirmant. Ob ſingularem ſuam prudentiam et probitatem in episcopum electus eſt anno 1298. Alberto cæſari et Gerardo archipræsuli Moguntino in paucis charus. Pacis ſtudioſiſſimus diſſidia cum Donato Vatienſi, quamprimum licuit, amice diremit die 19. Martii anno 1299. hancque concordiam poſt trimeſtre confirmari a cæſare petiit, qui datis Eſselingæ publicis litteris advocatiam eccleſiæ Curienſi liberam adſeruit, quemadmodum in ſcriniis Curienſibus legimus *a*).

Incolæ Bormienses, qui ante centum circiter annos a Curienſi episcopo, cui tum parebant, abſtracti Comenſibus ſubiecti fuerant, ſec. XII. n. 22. Sifridi benignitate alliciebantur, ut anno 1300. negata Comenſibus ſubiectione, ſemet rurſus ultro priſtino ſuo domino dederent; et licet a Comenſibus commercio proſcriberentur, nihilo tamen ſecius episcopo Curienſi fideles permanſerunt *b*).

II. Sifridi opera et familiaritate uſus eſt Gerardus archiepiscopus Moguntinus, cuius nomine die 28. Martii anno 1301. ille pro eccleſia S. Quintini litteras indul-

a) Archiv. Curiens. *b*) Guler. loc. cit. Sprecher. Pall. rhæt. p. 83.

gentiarum dedit, in quibus ſeipſum *Dei et apoſtolicæ ſedis gratia Curienſem epiſcopum, et Gerardi archiepiſcopi Maguntini in ſpiritualibus vicesgerentem* nominat; id quod maxime ſingularis inter ambos hosce præſules amicitiæ ſignum eſt. Hinc quoque licet colligere, Sifridum forſan Moguntiæ, quam Curiæ frequentiorem fuiſſe *a*); præſertim quum ante ipſum nunquam, et poſt eum annis adhuc multis munus vicarii in ſpiritualibus, usque ad Nicolaum de Saulheim ſeu annum 1391. Moguntiæ in uſu necdum fuerit. A ſua tamen ſede non abfuit, quum anno 1302. Albertus imperator per Turegum urbem tranſiret, ſiquidem ibi die 7. Aprilis centum marcas ab eo dono accepit *b*). Anno vero 1303. Deſertinenſi abbati Walthero litem movit, in dubium vocans monaſterii exemtionem; aſt pontificis iuſſu a ſua prætenſione deſiſtere coactus eſt *c*). Triennio poſt rurſus in agro Moguntino reperitur; nam in feſto SS. Ioannis et Pauli ſeu die 26. Iunii anno 1306. conſecravit aram maiorem templi parochialis in oppido Fridbergenſi ex conſenſu cleri Moguntini. Solemnitati intererant Eliſabetha Romanorum regina, eius filia, Auſtriæ et Saxoniæ duces, ac ipſemet tandem imperator Albertus eadem die Fridbergam adventavit. Completo opere ſacro indulgentiæ a Sifrido conceſſæ fuerunt *d*).

III. Crediderim, epiſcopum Curienſem etiam egeſtatis cauſa munus vicarii Moguntini obtinuiſſe; certum quippe eſt, indiguiſſe pecuniis; ut aliquas nanſiſceretur, clero ſuo conſentiente decimas Glurnenſes pro 40. marcis die 1. Oct. anno 1307. divendidit ea tamen conditione, ut eodem pretio redimi poſſent *e*). Imperator etiam pro ſublevanda epiſcopi inopia, Moguntiæ idibus Iuliis anno 1308. eidem poteſtatem dedit exactiones vinarias ex Curienſi urbe recipiendi. Circa feſtum S. Michaelis anno 1309. Spiræ celebris Germaniæ procerum conventus habebatur, cui Sifridus interfuit *f*). Verno autem tempore anni ſequentis unacum Rudolpho præpoſito Curienſi Turegum profectus eſt, ubi tum cæſar agebat, ibique nomen ſuum litteris adpoſuit, quibus monaſterio S. Galli oppidum Wilenſe adſeritur *g*); pro ſemet quoque privilegiorum confirmationem impetravit *h*). Paulo poſt Moguntiæ ſynodus provincialis habita eſt, quam adiiſſe Sifridum non dubito *i*).

Anno 1313. poſt Henrici VII. imp. mortem, inquietus erat imperii acephali ſtatus, et plebi potiſſimum funeſtus, quæ a nobilibus, in Rhætia præprimis, variis

a) Guden. Cod. diplom. T. II. P. I. p. 422. *b*) Archiv. Curiens. *c*) Archiv. Deſertinens. *d*) Senckenberg. Select. Iur. et Hiſt. T. I. p. 282. edit. a. 1734. *e*) Archiv. Curiens. *f*) Trithem. Annal. Hirſaug. T. II. p. 119. *g*) Herrgott. Geneal. diplom. Habsb. T. II. P. II. p. 597. *h*) Guler. loc. cit. p. 145. *i*) Concil. Germ. T. IV. p. 174.

modis divexabatur. Miſeriam auxit contagio, quæ magnam hominum ſtragem edidit: agri multis in regionibus colonis destituti, unde orta ingens annonæ caritas. Acceſſerunt diſſidia longe lateque per imperium diffusa, quibus Ludovicus Bavarus et Fridericus Austriacus de ſceptro contendebant. Ipsi etiam Rhæti Helvetiique inter se discrepabant, inde anno 1315. famosa pugna Morgartensis, et reipublicæ Helvetiorum primordia, prout apud istius regionis ſcriptores legere est *a*).

IV. Neque tamen communes imperii plagæ, neque parci Curiensis ecclesiæ redditus obstabant, quin SIFRIDUS in ſuo patrimonio iuxta Gelnhusanum oppidum parthenonem ædificaret, in Cisterciensium monialium usus circa annum 1316. quem dehinc Petrus archiep. Moguntinus in ſpecialem protectionem ſuscepit. Antequam vero ædes recens extructæ dedicarentur, pius fundator Moguntiæ die 8. Iulii anno 1317. datis litteris constituit, ut moniales in *Himmelau*, hoc enim parthenio inditum nomen, quotannis in festo S. Martini ad ecclesiam Moguntinam duas libras ceræ offerre teneantur. *Nos* SIFRIDUS, inquit, *Dei gratia Curiensis ecclesiæ episcopus* — — *profitemur, locum, quem pro cenobio ſanctimonialium de novo ordinavimus et fundavimus in nostro patrimonio apud opidum Geylenhusen de consensu et auctoritate Reverendi in Christo Patris et Domini* Petri *S. Moguntine ſedis archiepiscopi, esse oneratum et nos ipsum presentibus oneramus ad presentandum censum annuum duarum librarum cere capitulo ecclesiæ Maguntinæ etc. b*). Eiusdem porro mensis die 21. Erfordiæ ſcriptum quoddam capituli Erfordiensis ſuo testimonio ſtabilivit *c*).

Haud diu post fractus iam ſenio et ærumnis ſuæ diœceseos curam Rudolpho de Monteforti præposito commisit; ipse vero ad obitum felicem se paraturus, vel in Himmelaugiensi, quod nuper fundaverat, vel in S. Lucii monasterio Curiæ se abdidit. Ordinis Præmonstratensis ſcriptores testantur, SIFRIDUM episcopatu dimisso ad S. Lucium vota monastica emisisse, ibique per aliquod tempus ſummo ſtudio humilitatem, pœnitentiam, ac cultus divini fragrantiam ſectatum die 19. Iulii anno 1321. animam Deo reddidisse *d*). Alii vero illum in Himmelau defunctum ſcribunt *e*). Stœcklinus tandem in ſuo antiquitatum Fabariensium libro manuscripto cap. XII. iuxta testimonium fastorum emortualium ecclesiæ Curiensis ſcribit, SIFRIDUM ſepultum Curiæ ante fontem monasterii in ſepulcro episcoporum. Hinc probabilius in S. Lucii cœnobio carnem posuit, non adnumerandus familiæ Tschudianæ, quum ſuum patrimonium non Glaronæ, ſed in agro Moguntino habuerit.

a) Guler. loc. cit. p. 145. etc. *b*) Guden. loc. cit. T. III. P. I. p. 147. *c*) Ibid. p. 151. *d*) Annal. Præmonst. T. II. p. 112. Bayrham. Hist. Roggenb. cap. X. p. 42. *e*) Guler. loc. cit. p. 146. Ioannis rer. Mogunt. T. I. p. 642.

LVII.
RUDOLPHUS II.

Ab anno 1321. ad 1324.

V. Iam dudum Rudolphus de Monteforti clero Curienſi adſcriptus præpoſitum agebat, cuius ſupra num. III. meminimus. Idem eſt, qui circa annum 1318. eccleſiam Conſtantienſem regendam ſuſcepit *a)*, Tſchudius quidem *b)* trinas citat litteras, quibus epiſcopus Conſtantienſis et adminiſtrator Curienſis perhibetur, negatque, Rudolphum unquam Curiæ ut verum epiſcopum præfuiſſe. Aſt quum ſynchrona monumenta, quæ ad manus ſunt, contrarium teſtentur; perſuaſum habeo, quod Rudolphus poſt Sifridi mortem anno 1321. Curienſis eccleſiæ non ſolum adminiſtrator, ſed verus epiſcopus evaſerit. Nam mox ſequenti anno 1322. die 4. Octobris datis litteris in ſuo Fürſtenbergenſi caſtro ratum habuit pactum quoddam a monachis Mariæmontanis initum, quarum hoc eſt initium: Rudolphus *Dei et apoſtolicæ ſedis gratia electus confirmatus in* EPISCOPUM *eccleſiæ Curienſis etc. c)*. *Ioannes* vero alter eiuſdem ſucceſſor quinquennio poſt aperte illum *quondam electum Curienſem prædeceſſorem* ſuum appellat *d)*. Ex adverſo in archivo Wettingenſi charta monſtratur anno 1323. III. Non. Iunii Thuregi data, qua Rudolphus *Dei gratia epiſcopus Conſtantienſis*, *et* GUBERNATOR ECCLESIE CURIENSIS præbendam in Dietikon moderatur. Varietas hæc demonſtrare videtur, Rudolphum in chartis dici epiſcopum *Conſtantienſem*, quæ pro Conſtantienſi; *Curienſem* vero quæ pro Curienſi diœceſi exaratæ fuerunt.

VI. Rudolphus interim iſte belliduci quam præſuli eccleſiaſtico ſimilior dudum infenſus fuerat Donato de Vatio; quamobrem ſchiſmate imperiali inter Ludovicum Bavarum et Fridericum Auſtriacum tanquam optima occaſione uſus, Donato bellum inferre ea de cauſa conſtituit, quod Ludovico adverſus papam adhæreret. Igitur militem ex Zürichgovia, Turgovia, Rhætia Curienſi et Montefortio dominio ſatis copioſum conſcripſit. Donatus quoque copias ſtudioſe collegit, Uranienſes, Suitenſes et Subſilvanos in ſubſidium vocans, utpote quos Auſtriacis alias infenſos noſſet. Convenere exercitus uterque ad Scaletum montem: trans iugum in Engadina epiſcopus cum ſuis, cis montana vero in regione Davoſiana milites

a) Gall. Chriſt. T. V. p. 918. Guler. loc. cit. *b)* Gall. comat. p. 321. *c)* Cod. prob. N. XCVII. *d)* Ibid. N. XCIX.

Donati ſubſtiterant. Dimicatum aliquoties Marte ancipiti, præsertim in Dismana valle.

Atrocior autem pugna commissa est in campo Filisurensi prope Greiffensteinense castrum, ubi victoria penes Donatum ſtetit, qui hac fortuna elatus ſuperatos crudelissime habuit; carceribus enim et ſpeluncis inclusos ſquallore et inedia enecari ſivit, pereuntium eiulatibus irridens. Aliquot tamen post annos et ipsemet horrendam mortem oppetiit, ultimus nobilissimæ Vatiorum familiæ *a*). Gesta hæc ſunt eodem anno 1322.

Sanguinei hi tumultus ingens ecclesiæ Curiensi damnum intulerunt; pecora abacta, ædes plurimæ flammis traditæ, et colonis partim fugatis partim occisis agri ſteriles relicti ſunt. Rem deplorat *Ioannes* Pfefferhardus episcopus ad annum 1327. in hæc verba: *Adtendentes, quod præpositus, decanus et capitulum propter discordiam et guerras, quæ diu duraverunt inter reverendum patrem* RUDOLPHUM *Dei gratia quondam electum Curiensem prædecessorem nostrum, et nos nomine ecclesiæ nostræ nec non nobilem virum domnum Donatum de Vaz, propter prædas animalium, exustiones domorum, ſterilitates possessionum et fugationes colonorum, magna et gravia damna ſustinuerunt.*

VII. Fractus infelici prælio RUDOLPHUS a partibus Friderici Austriaci defecit, Ludovici Bavari favores mendicaturus. Verum ea de causa excommunicatus a papa fuit *b*). Motus hac ratione clerus Curiensis, ut RUDOLPHO relicto novi præsulis electionem auspicaretur circa annum 1324. Falluntur proin, quotquot eius regimen ad annum 1333. protrahunt, quum *Ioannes*, qui ſecundo loco eidem ſuccessit, iam ſeptennio prius in monumentis occurrat.

LVIII.
HERMANNUS.

Ab anno 1324. ad 1325.

VIII. Ortum traxit HERMANNUS ex familia baronum de Eschenbach, quorum ſedes in agro Lucernensi erat. Monasticen egit in Fabariensi abbatia vir gnavus et prudens, cui anno 1319. abbas Conradus de Ruchenberg ſenio gravis tempo-

a) Guler. loc. cit. Sprecher. loc. cit. p. 84. *b*) Lexic. Helvet. T. V. p. 278.

ralium curam commiſit, donec poſt eius obitum anno 1324. ſucceſſor crearetur. Dehinc exactis vix undecim menſibus ad ſedem Curienſem poſtulatus eſt, quam nonniſi breviſſimo tempore ad anni 1325. finem tenuit; quod tum ex monumentis Fabarienſibus, tum ex ſubſecuti epiſcopi *Ioannis* epocha exploratum redditur.

LIX.

IOANNES I.

Ab anno 1325. ad 1331.

IX. IOANNES *Pfefferhardus* Rotæ Romanæ auditor exeunte anno 1325. a Ioanne XXII. papa Avenione ad ſedem Curienſem miſſus perhibetur, canonicis forſan pontificis opem implorantibus, vel præcavente ipſomet pontifice, ne quis Ludovici Bavari fautor Curiæ præſul crearetur. Quod autem hoc iam tempore fuerit epiſcopus, eiusdem teſtantur litteræ, quas in ſcriniis Beneduranis vidimus, de die 5. Ianuarii anni 1326. quibus emtio aliqua confirmatur, quarum initium: IOHANNES *Dei et apoſtolicæ ſedis gratia electus et confirmatus epiſcopus eccleſiæ Curienſis etc. a)*.

X. Suam diœceſin nova prole auctam vidit IOANNES, quum Henricus Poloniæ rex eodem anno in Schnals pro Carthuſianis monaſterium fundaverit *b)*. Erat vero ipſemet ſumma erga utrumque clerum ſuum beneficentia. Ingenti dolore afficiebatur ex cathedralis capituli detrimentis, quæ ex ſuperioribus turbis naſcebantur; quibus ut aliquo ſaltem modo mederetur, die 30. Ian. ann. 1327. eidem capitulo donavit ſacellum S. Valentini in Mals cum omnibus redditibus, adiecto hoſpitio eiusdem Sancti nomine inſignito in valle Venuſta. Nec minor erat charitas in monachos, quos de perpeſſis nupero bello iacturis indemnes reddere adlaboravit; ea quippe de cauſa die 24. eiusdem menſis monaſterio Fabarienſi eccleſiam parochialem Ragatii dono dedit *c)*, Mariæmontanis vero ære alieno multum gravatis anno 1328. parœciam S. Martini in Paſſyra conceſſit, adiecta facultate illi etiam monachos præficiendi, *ut monaſterio veſtro*, loquitur epiſcopus, *nunc multis debitis onerato, quod multa affectione proſequimur, auxilium aliquod conferamus d)*.

a) Archiv. Benedur. Lit. C. N. 13. *b)* Cod. prob. N. XCVIII. *c)* Ibid. N. XCIX. *d)* Archiv. Mariæmont.

XI. Interea ſummus pontifex cathedræ Moguntinæ Henricum archiepiſcopum impoſuerat, quum vero multi auctoritate Ludovici Bavari Nicolao antipapæ adhærerent; idibus Martiis anno 1329. vel ſequenti Avenione litteras ad IOANNEM noſtrum dedit, admonens, Henrico tanquam legitimo ſuo metropolitæ obedientiam præſtaret: *Fraternitatem tuam*, ſcribit papa, *attentius exhortamur, ſano tibi nihilominus conſilio ſuadentes, quatenus, tanquam Henrici archiepiſcopi et eccleſiæ Maguntinæ ſuffraganeus, eidem archiepiſcopo, velut vere ipſius eccleſiæ prælato, et nulli alii, ſic pareas efficaciter, et intendas, eidem opportunis favoribus aſſiſtendo, quod proinde noſtram, et eiusdem ſedis uberiorem promerearis gratiam, ac ipſius archiepiſcopi captes tibi benevolentiam, et tua circumſpectio debeat merito commendari a)*. Obſecundavit IOANNES; verum hac ratione capitale Ludovici aſſeclarum in ſe odium concitavit. Præprimis ſibi infeſtos reddidit nobiles Grünenbergicos, qui furore ſuccenſi die 23. Maii anno 1331. epiſcopum vinculis onuſtum in Büffelrugganam arcem deduxerunt, et ſacrilege trucidarunt. Corpus eius in Binsheim Baſileenſis diœceſis loco ſepultum fuit. Facinus ex monumentis domeſticis teſtatur Flugius. Hinc erronee IOANNIS mors ab aliquibus ad annum 1333. refertur: hallucinatur porro Tſhudius *b)* quod adſerat, IOANNEM cum Thuringo Deſertinenſium abbate fœdus iniviſſe, quum Thuringus demum ad finem anni 1333. abbas evaſerit, IOANNIS vero ſucceſſor iam anno 1331. reperiatur.

LX.

UDALRICUS V.

Ab anno 1331. ad 1355.

XII. Florent Friburgi Helvetiorum hodiedum nobiles de *Lenzburg*, ex quorum maioribus ortum traxit UDALRICUS electus anno 1331. in epiſcopum Curienſem. Huius familiæ cognomen antiquum erat *Schultheiſs* a munere prætorio, quod Lenzburgi olim illi proprium et quaſi hæreditarium fuit; neutiquam autem hæc confundenda eſt cum antiquiſſima proſapia comitum Lenzburgicorum, quibus illi tum a ſervitiis erant; ex eadem familia nobilium de Lenzburg noſtro ævo progenitus eſt Bernardus Emanuel epiſcopus Lauſannenſis et Altæ ripæ abbas. Egit autem UDALRICUS vitam religioſam in ordine S. Auguſtini, neutiquam vero in monaſterio Ein-

a) Würdtw. Nov. Subſid. diplom. T. IV. p. 238. *b)* Gall. comat. p. 322.

sidlensi, fuitque Matthiæ archiepiscopo Moguntino a confessionibus, prout in gestis Bertholdi Argentinensis legere est *a*), quæ ſic aiunt: *Habuit Matthias confessorem fratrem* Udalricum *de Lenzburg, lectorem ordinis Heremitarum S. Augustini, qui in magnam familiaritatem ratione ipsius domini Matthiæ assumtus, tandem post multos labores, post domini Matthiæ obitum per ipsum papam in Curiensem episcopum est promotus.* Forte quia hic eremitarum ſit mentio, Udalricum aliqui eremi B. V. Mariæ in Helvetia monachum existimarunt.

XIII. Eodem, quo ad episcopi dignitatem promotus est, anno die 28. Septemb. datis in arce Fürstenbergica litteris confirmavit donationem parœciæ S. Martini in Passyra a *Ioanne* Mariæmontanis nuper factam *b*). Dehinc cum antiquo ecclesiæ Curiensis hoste Donato de Vatio rem habere cœpit, magnum eidem animum opponens machinas omnes elusit vimque vi repulit. *Hic Augustinensis*, ut allegata gesta testantur, *ſtrenue se tenens dominum de Vaz antiquum ecclesiæ Curiensis persecutorem usque ad ipsius mortem persequi et destruere non cessavit, qui antea episcopos Curienses, et dominos eis assistentes destruxit.*

Attamen altercationes istæ ecclesiæ ærarium pedetentim ita emunxerunt, ut episcopus opus haberet, aliquot castra et dominia ditioribus nobilibus vel pignoris vel feudi nomine pro pecuniis conferre. Anno 1334. comiti Alberto de Werdenberg in pignus elocavit Greiffensteinense castrum: triennio post apud thermas Badenses fratribus Alberto et Ottoni Pulchro Austriæ ducibus in feudum concessit arcem Marsiliniam *c*); anno autem 1338. Ursulæ de Vatio, Donati ſui inimici filiæ pariter feudi nomine tradidit comitatum in *Schams* unacum *Berenburg*, Silva Rheni, *Ortenstein*, et valle Scanficensi; nec non Friderico de Toggenburg vallem Tafaasiam et arcem Falkenstein *d*). Non erat ingratus Ludovico Bavaro, cuius auctoritate Clavennates adacti, ut eam ſubiectionem episcopo exhiberent, quam alias ipsimet imperio deberent. Frequens in eiusdem comitatu fuisse creditur; certe anno 1337. mense Septembri Francofordiæ cum imperatore egit, occurrit enim Udalrici nostri nomen in Ludovici litteris adversus Bertholdum Argentinensem datis *e*). Interfuit quoque conventui Spirensi die 27. Martii anno 1338. *f*) unde eum Ludovicus unacum Gerlacho Nassoviensi comite Avenionem ad papam Benedictum XII. ablegavit, ut eius nomine absolutionem ab excommunicatione flagita-

a) Urstis. P. II. p. 168. *b*) Cod. prob. N. CI. *c*) Guler. Rhæt. alp. p. 148. Cod. prob. N. CXXVIII. *d*) Archiv. Curiens. *e*) Schœpflin. Alsat. diplom. T. II. p. 159. *f*) Concil. Germ. T. IV. p. 321.

ret. Benigne accepti uterque fuerunt, nec dubium, quin gratiam petitam impetraſſent, niſi Philippus Franciæ et Robertus Siciliæ reges obſtitiſſent. Aſt iſtorum legatis pontificem multum urgentibus, ne Ludovici precibus fideret, UDALRICUS cum Gerlacho re infecta redire compulsus est *a*).

XIV. Anno 1341. Auſtriæ metropolim Viennam profectus est, quod testantur indulgentiarum litteræ, quas ea in urbe die 3. Auguſti dedit: *Frater* ULRICUS *Dei et apoſtolice ſedis gracia epiſcopus Curienſis. cupientes Chriſti fideles — — ad pietatis opera incitare, omnibus vere pœnitentibus et confeſſis, qui eccleſiam S. Stephani prothomartyris parochialem in Wienna acceſſerint*, 40. *dies de iniunctis ſibi pœnitentiis relaxamus b*). Curiam redux omnem ſui episcopatus curam geſſit; inter alia, quæ ſedulo paſtore digna egit, illud est, quod comites de Werdenberg anno 1342. menſe Maio cum monaſterio Fabarienſi reconciliarit *c*): quodque iuxta anteceſſoris exemplum ſuo pauperi clero eccleſiam S. Valentini in *Mals* die 16. Mart. ann. 1344. donaverit; quam profert, huius donationis cauſa digna notatu est: quod canonicis victum alibi quærere compulſis officia divina intermiſſa fuerint. Mirum profecto non est, UDALRICUM in hiſce circumſtantiis varia eccleſiæ ſuæ bona pro pecuniis aut penſo annuo partim elocaſſe, partim alia coëmiſſe, unde cum ſuis viveret. Reperitur a quodam Landavienſi domino pro 2500. florenis caſtrum Rietbergenſe, et in valle Domeſtica arcem Iuvaltam comparaſſe *d*). Uſus est favoribus Alberti ducis Auſtriæ, cuius fratruelem Fridericum informandum ſuſceperat, a quo propterea cancellarii dignitate auctus est, uti in ſuo chronico teſtatur Ioannes de Schœnfeldt *e*). Allecti benignitate UDALRICI cives quidam Campidonenſes patria, neſcio quo fato, pulſi eius fidei et dominio ſe commiſerunt, atque ſervitia amplexi ſunt *f*). Ioannes vero de Rietberg plures ex valle Domeſtica redditus epiſcopo addixit *g*). Anno 1345. recens erectam capellaniam in *Uſchbühl* prope Schænnis adprobaſſe legitur *h*).

XV. Sat felix pro temporis illius iniquitate hactenus videri poterat UDALRICUS; dum ecce, grandis illum tempeſtas excepit. Clemens VI. qui anno 1342. in ſummam ſedem Benedicto ſucceſſerat, in Ludovicum Bavarum maxime difficilis, epiſcopos eidem adhærentes anathematis pœna plectere conſtituit, ac reapſe Heinricum de Vierenberg electorem Moguntinum ſua eccleſia depulit, quod in novi impera-

a) Urstis. P. II. p. 132. Würdtw. loc. cit. T. I. p. 176. *b*) Ios. Ugesser Beschreib. der Metrop. S. Stephan zu Wien p. 144. *c*) Cod. prob. N. CIII. *d*) Ibid. N. CXXVIII. 8. *e*) Würdtw. loc. cit. T. III. p. 237. *f*) Eccard. Corp. Hist. T. I. p. 1882. *g*) Archiv. Curiens. *h*) Collect. Tschud. Manuscr.

toris electionem conſentire tergiverſaretur. Hæc res epiſcopo Curienſi fulmen erat, utpote in eam difficultatem redacto, ut vel papam vel imperatorem ſibi infenſum reddere, ſuam eccleſiam vel hoſti potentiſſimo, vel pœnis canonicis exponere deberet. Inter duo mala minus eligendum ratus, ne quaſi contumax adverſus ſedem Romanam haberetur, conſultius duxit, imperatoris partes, quas fideliter hactenus tuebatur, tandem deſerere. Aſt ingentem ſibi moleſtiam ea agendi ratione accerſivit; dum enim unacum Bohemis Ludovico rebellibus Tyrolim ſua manu invaderet, apud Atheſinos in loco *Tramin* multis ſuorum cæſis, cum aliis pluribus captus, atque in caſtrum Tyrolenſe coniectus eſt anno 1346. ubi per tredecim ferme menſes miſere habitus, ægre tandem liber dimiſſus eſt *a*). Caſum hunc monumenta Mariæmontana ſic narrant: *Una vice dominus* ULRICUS *epiſcopus Curienſis cum magna multitudine armatorum aſtu devolans de Triento ad caſtrum ſuum Fürſtenburg, quod tunc temporis militia Caroli regis poſſidebat, moram noctis fecit in Tramin, incautam ſecuritatem habens, quod ipſi cum ſuis grave periculum fuit. Eadem quippe nocte per dominum Ludovicum marchionem ſuamque cohortem cæſi ſunt atque proſtrati: multi occiſi, plures capti, et dominus epiſcopus Curienſis ſimul cum aliis captus eſt. Ductus autem in Tyrol vinculis iniectus plus quam per annum flebilem vitam duxit, tandem a vinculis abſolutus per multa pacta dimiſſus eſt.* Sors ſeculi huius vere lugenda, quum epiſcopi, ut fulmen pontificium evitarent, ex agnis in lupos verſi, armis adverſus imperium uti quaſi cogebantur, aut ſe ſuaque excidii periculo exponere.

XVI. UDALRICUM e cuſtodia Tyrolenſi feliciter liberatum deinceps Carolus IV. imp. magnis favoribus proſequebatur, ad quem anno 1348. Pragam profectus miſerum eidem ſuæ eccleſiæ ſtatum expoſuit; hæſit ea in urbe epiſcopus uſque ad Iulium menſem, cuius octavo die litteris quibusdam ibi nomen ſuum inſeruit *b*). Ipſemet iam antea die 4. Aprilis binas cæſareas chartas obtinuerat, unam, qua Curienſi eccleſiæ reſtituuntur caſtrum *Montani*, ſacellum S. Medardi, nec non *Morter* et *Letſch* villæ in valle Venuſta ſitæ *c*), quæ olim forte per comitem quemdam Tyrolenſem occupatæ fuerant *d*); alteram, qua totum territorium Nauderſbergenſe in comitatu Tyrolenſi unacum *Clauſa* prope Finſtermünz UDALRICO eiusque ſucceſſoribus donatur *e*). Alia inſuper benevolentiæ ſpecimina ſequenti anno exhibuit imperator: imprimis ſeveriſſime rectoribus comitatus Clavennæ inhibuit, ne obedientiam epiſcopo Curienſi detrectare præſumant, ut omnis in poſterum contradictio ceſſet, qua de re aliqua paulo inferius dicemus. Deinde confirmavit omnia iura et privilegia undecunque legitime adquiſita, ſpeciatim ius telonei a Langaro

a) Sprecher. Pall. rhæt. p. 86. Guler. loc. cit. *b*) Weſtphal. Script. rer. German. T. II. p. 1800.
c) Cod. prob. N. CIV. *d*) Guler. loc. cit. p. 149. Sprecher. loc. cit. *e*) Cod. prob. N. CV.

fluvio ad Luverum amnem usque, qui in infima Prægallia in Mairam prolabitur. Huius telonei redditus partim Curiæ, partim Castelmuri colligi debent. Concessit insuper ius monetæ, ponderis et mensuræ pro libitu disponendæ, nec non iurisdicundi potestatem in ſuis ditionibus tam quoad civilia, quam criminalia. Ius porro foresti inter Septimum montem, Oenum et Langarum fluvios ex utraque Rheni ripa, et omnes metalli fodinas *a*). His aliisque accessionibus ſublevata ecclesiæ Curiensis inopia fuit.

XVII. Interea Margarita, Maultasch dicta, Ioannis comitis Tyrolensis uxor, marito propter impotentiam repudiato, Ludovicum marchionem Brandeburgicum in thori consortem assumsit, qui pulso Ioanne præter coniugem etiam comitatum occupavit. Ioannes hac ratione omnibus destitutus, id ſaltem a Clemente VI. papa petiit, ut aliam facto divortio uxorem ducere ſibi liceret, eoquod respectu Margaritæ tantum impotens, imo eiusdem esset in quarto gradu consanguineus. Negotium hoc admodum difficile pontifex datis die 17. Dec. anno 1348. litteris commisit patriarchæ Aquileiensi, et UDALRICO episcopo Curiensi. Hic anno mox ſequenti die 30. Maii ſcripto ſuis mandavit, ut dictos coniuges ad diem 10. Iulii in ecclesiam S. Ioannis in Tyroli castro convocarent, ſuam ibi ſententiam percepturos *b*). Vero interim ſimile non est, divortium revera UDALRICI ſententia factum fuisse; duo enim ſcriptores coævi Schœnfelt et Goswinus id negare videntur, prior quidem divortium celebratum ait, ſed *formula iuris ecclesiastici posthabita c*); alter vero *nullum divortium celebratum* testatur *d*). Certe Ludovicum alterum nunc Margaritæ maritum UDALRICO infensum fuisse, vel ex eo patet, quod episcopale castrum Fürstenburg contra fidem ipsimet imperatori datam diu retinuerit. Monuit illum quidem Carolus gravissimis litteris, quas mense Septembri anno 1350. Spiræ dedit, ut vi initæ conventionis castrum episcopo redderet *e*); verum ſuperstite UDALRICO iussis parere detrectavit.

XVIII. Quamvis Bormienses ineunte hoc ſeculo episcopi Curiensis potestati se ultro ſubmiserint, ac dehinc anno 1336. die 4. Aprilis præsente Guisone abbate Mariæmontano, se eiusdem ecclesiæ homines *feudales* esse professi fuerint *f*); tamen circa ann. 1350. unacum Pesclaviensibus dominio Mediolanensi ſubiiciebantur. Negotium per plures annos protractum Udalrici comitis de Amatia, qui advocatiæ Curiensi præerat, vel præcipitantia vel fastu tandem in ecclesiæ Curiensis irreparabile damnum cessit; is enim invito episcopo contra vicecomites Mediolani, qui

a) Guler. loc. cit. et Archiv. Curiens. *b*) Cod. prob. N. CVI. *c*) Würdtw. loc. cit. T. III p. 236. *d*) Cod. prob. N. CXII. *e*) Archiv. Curiens. *f*) Ibid.

vallem Telinam iam tenebant, Bormii cauſa bellum decrevit, quod adeo infeliciter geſtum, ut Bormium, Peſclavium et Clavennæ comitatus amitterentur *a)*. Nec minores tumultus inter ipſos Griſones Helvetioſque oriebantur: hinc Glaronenſes Waltherum Stadionem in Rhætigoia cum copiis in Helvetiam petiturum proſtraverunt; illinc prope Ilantium Rudolphus comes Montefortius baronem de Bello monte in aciem provocavit, a quo poſt diutinum prælium victus captusque eſt. Turicenſes quoque, quod Rapperſvilanum oppidum demoliti eſſent, Alberti ducis Auſtriæ in ſe arma provocarunt, qui a. 1351. duo millia equitum et 20000. peditum Turego admovit. UDALRICUS, qui ante 14. annos arcem Marſiliniam Alberto in feudum dederat, eidem in hoc prælio ſuppetias ferre conſtituit. Igitur collecta manu unacum Rudolpho et Hartmanno Werdenbergicis in aciem proficiſcitur, in qua tamen non diu dimicatum, ſed res arbitris dicidenda relicta fuit *b)*.

XIX. Carolus cæſar UDALRICI in ſe ſtudia magis adhuc remuneraturus Seleſtadii anno 1354. eidem conceſſit ius carceris, patibuli et nundinarum in ditione Fürſtenovienſi *c)*. In alio autem diplomate de illo ita loquitur: *Inſpectis meritis fidei et puritatis conſtantia, quibus venerablis* ULRICUS *epiſcopus Curienſis, princeps et devotus meus dilectus ſe ad honores romani imperii promtum reddidit.* Utinam et monumenta ad manus eſſent, quæ vigilantiam, pietatem, cultus divini ſtudium, verbi divini zelum, aliaſque boni epiſcopi dotes recenſerent! res plane tædii plena eſt, in ſacris præſulum perſonis nonniſi terrenorum principum aut forte belliducum notas deprehendere, præſertim ſi ex monaſteriis protracti ad infulas fuerunt. Demus hoc interim temporis iniquitati, qua optimi quivis antiſtites ſe horrendis turbis imiſcere cogebantur, ut ſe ſuaque modo qualicunque tuerentur. UDALRICUS moleſtiarum ſatur mortales reliquit Sarganſii 25. Martii anno 1355. Eius funus poſtea Curiam delatum, et honorifico ſepulcro conditum fuit *d)*.

a) Sprecher. loc. cit. p. 87. Quadrio Diſſertaz. VI. T. I. p. 282. ſeqq. *b)* Guler. loc. cit. p. 149. et 150. *c)* Archiv. Curiens. *d)* Guler. loc. cit. p. 150. Flug. Catal.

LXI.

PETRUS I.

Ab anno 1355. ad 1368.

XX. Qui in apricum prodit Petrus a ſua patria Bohemus dictus, deſcribitur vir mitis, humilis, candidus. Multum fovit diſciplinam monaſticam, ea tamen cum moderatione, ut altero poſt ſuam electionem anno 1356. ingens facinus, quo alter alterum in temulentia occiderat, omni ſtudio celare niteretur, quod in monumentis Mariæmontanis legimus, bene gnarus non publicanda esse filiorum fratrumque flagitia, quorum notitia plus obesse, quam prodesse poſſit. Etiam clero ſuo benignum ſe patrem exhibuit, et capitulo cathedrali die ultima Maii anno 1357. ſub anniverſarii obligatione donavit ius patronatus et inveſtituræ parœciarum Schamſii et Zutii *a*). Plures eodem anno conſecravit eccleſias in valle Venuſta, præſertim in *Glurns* et *Tſchengels*, nec non eccleſiam S. Catharinæ in *Gurun*, quod forte hodiernum *Graun* est. Ea occaſione cum Ludovico marchione Brandenburgico et comite Tyrolenſi de concordia ſervanda tractavit, atque mutuæ defenſionis pactum iniit. Ludovicus viciſſim retenta hactenus caſtra *Fürſtenburg* et *Staindsberg* Petro reſtituit, omniaque Curienſis eccleſiæ bona, quæ in Tyrolenſi comitatu ſita erant, in ſuam tutelam ſuscepit die 23. Ianuarii anno 1358 *b*). Eodem anno Aprili menſe Petrus pro ſuis canonicis in urbe Curienſi propriam domum comparavit; exeunte vero Decembri præpoſito Curwaldenſi pro mediocri pecunia redditus aliquos adſignavit in *Favunaſca*, *Cawavœrs* et *Umblix*, ut charta loquitur.

XXI. Non minorem monialium curam geſſit, Cazenſium præcipue, quibus aliam vivendi normam præſcripſit, easque iuxta S. Auguſtini regulam vivere iuſſit, quam hodiedum ſequuntur; etiam temporalibus earundem commodis proſpexit; poſſidebant prædia quædam in valle Venuſta, ob longiorem diſtantiam minus congrua, quorum loco illis epiſcopus conceſſit ius patronatus et redditus propinquæ eccleſiæ *Realt* in valle Domeſtica die 1. Iunii anno 1359 *c*). Dehinc præpoſitum S. Victoris in Meſauco aggreſſus aliquamdiu cum illo, fors propter abuſus aliquos, diſſidebat, donec Iacobus abbas Deſertinenſis iudex a ſede apoſtolica conſtitutus rem in præpoſiti favorem componeret. Cæterum Diſertinenſes non admodum morigeros experiebatur, longiori cum illis liti, neſcio qua de cauſa, implicitus.

a) Archiv. Curiens. *b*) Cod. prob. N. CVIII. *c*) Ibid. N. CIX.

Uſsit inter alia monachos ſpeciale privilegium, quod hoc anno Petrus Uratislaviæ a cæsare obtinuit, vi cuius omne telonium episcopo adseritur, ac mercatoribus prohibetur, ne alia via per Rhætiam, niſi publica in dominio Curienſi, utantur *a*). Præterea posthabito exemtionis iure episcopus disciplinæ zelum ſtudiosius in Desertinenses exercere volebat; ſed causa ad papam delata episcopus cedere coactus est, prout monumenta Desertinensia docent ad annum 1360. quo exeunte Petrus Norimbergæ regias litteras impetravit, quæ eidem monetæ iuxta formam Augustanam cudendæ licentiam adserunt *b*). Circa idem tempus castellum *Pedinat*, ſeu *Trimis* ecclesiæ Curiensi comparasse legitur *c*).

XXII. Familiaris fuit hic præsul archiducibus Austriæ, præsertim Rudolpho IV. in cuius comitatu frequenter reperitur. Sic anno 1361. mense Ianuario occurrit Basileæ, ubi concordiam inter Austriacos et clerum Basileensem multum promovit, ſiquidem ex utraque parte propter limites fundorum quorundam controversia eferbuerat *d*). Eadem die, nimirum 22. Ianuarii, Ioannes episcopus Basileensis Rudolpho comitatum Ferretensem in feudum concessit, quod Petrus noster ſubſcriptione ſui nominis ſtabilivit *e*). Post aliquot hebdomadas archiducem in Ergoviam ſecutus in thermis Helvetiorum die 12. Martii aliis eiusdem litteris insertus legitur *f*). Paulo post Vindobonæ ſubſtitit, ubi die 1. Maii Rudolphus domum aliquam in usus canonicorum emerat *g*). Eodem tamen anno in Rhætiam reversus, in festo Assumtionis B. V. Mariæ in parthenio Monasteriensi Luciam recens electam abbatissam benedixit. Sequentibus quoque annis 1364. et 1366. Francofurti, Vindobonæ et Pragæ fuisse legitur in chartis varia occasione datis *h*); inde patet, illum raro et nonnisi per intervalla Curiæ habitasse in principum aulis eo frequentiorem. Suæ ecclesiæ pincernatum, ut vocant, unacum bonis eidem adnexis Alberto et Leopoldo Austriæ ducibus largitus est, quod isti anno 1366. die 8. Decembris Norimbergæ per litteras testati ſunt *i*).

Anno 1368. Petrus Italiam petiit; fortasse de episcopatus permutatione cum pontifice acturus. Superest eius charta hoc anno die 6. Iunii Mantuæ ſcripta, quæ declarat, S. Valentini ædem in *Mals* ad Curiense capitulum pertinere *k*). Exploratum cæteroquin est, Petrum circa hocce tempus ecclesia Curiensi resignata

a) Archiv. Curiens. *b*) Glafey Anecdot. T. I. p. 503. *c*) Cod. prob. N. CXXVIII. *d*) Herrgott. Geneal. diplom. Habsb. T. II. P. II. p. 702. *e*) Schœpflin. Alsat. diplom. T. II. p. 236. *f*) Ibid. p. 239. *g*) Hansiz. Germ. Sac. T. I. p. 66. *h*) Bern. Pez Thes. Anecdot. T. VI. P. III. p. 51. Ughell. Ital. Sac. T. III. p. 152. et 155. Annal. Præmonstrat. T. I. p. DCCXLV. *i*) Herrgott. loc. cit. p. 722. *k*) Archiv. Curiens.

aliam in Moravia regendam ſuſcepiſſe, quam alii Olomucenſem, alii Luthmoſtenſem nominant; donec anno 1371. ad ſedem Magdeburgenſem transferretur *a*).

LXII.
FRIDERICUS II.
Ab anno 1368. ad 1376.

XXIII. Vacuam a diſceſſu *Petri* ſedem Curienſem anno 1368. occupavit FRIDERICUS a Menzingen Leopoldi ducis Auſtriæ cancellarius. Eccleſiæ ſuppellex alias pertenuis præcedentium annorum macilentia valde diminuta fuerat; quapropter FRIDERICUS Carolum IV. imperatorem pro ſubſidiis interpellavit, qui etiam anno 1370. in civitate Pragenſi decrevit, ut tributa urbis Lindavienſis Curienſi epiſcopo exolverentur *b*). Cives Curiæ et in Feldkirch ſibi mutuo erant vectigales, id quod variorum forſan incommodorum cauſa fuit. Hinc FRIDERICUS die 26. Aug. anno 1372. cum Rudolpho de Monteforti tunc domino Feldkirchenſi pactum iniit, quo Curienſes in Feldkirch, et Feldkirchenſes in Curia in mercibus huc illucque transvehendis ab omni vectigali immunes declarantur, ſale tamen et vino exceptis *c*). Rudolphus iſte perampla dote auxit præpoſituram Curienſem, eamque, quod eſſet improlis, ipſemet aliquot annis tenuit, ut refert Gulerus *d*). Illum porro vices epiſcopi in temporalibus egiſſe, patet ex bulla Gregorii XI. papæ idibus Februarii anno 1374. data, qua eidem mandatur, ut tam annonæ quam militibus tranſitum permittat ad caſtrum Clavennæ, quod ab hoſtibus eccleſiæ Romanæ interceptum fuiſſet *e*). Hoſtes iſti vicecomites Mediolanenſes erant iuxta alibi dicta. Cætera eius rei videre licet apud Quadrionem *f*). Rudolphus patre ac fratre ſuo defunctis præpoſituram avunculo ſuo Friderico de Tengen reliquit, et comitatum Feldkirchenſem denuo regendum ſuſcepit, donec illum anno 1376. Leopoldo Pio Auſtriaco pro 36000. florenorum venderet.

XXIV. Curienſis eccleſiæ penuriam auxerunt non ſolæ protractæ cum vicecomitibus Mediolanenſibus lites, variorumque reddituum iacturæ, quæ inde ſequebantur, ſed illorum quoque verſutiæ, qui eccleſiæ fundos epiſcopi loco tenebant, ſic dicti vicedomini. Illo quippe ævo neceſſarium videbatur præſulibus, terras ſibi

a) Mencken. Script. rer. Germ. T. III. p. 400. *b*) Archiv. Curiens. *c*) Prugger. Veldk. Beſchreib. p. 25. *d*) Rhæt. alp. p. 151. *e*) Archiv. Curiens. *f*) Diſſertaz. VI. T. I. p. 297. ſeq.

ſubiectas viris potentibus committere, a quibus emergente casu defenſionis ſubsidia peterent, quem in finem aliquam iurium proventuumque partem illis cedere debebant; quæ persæpe tantopere excrevit, ut ecclesiis ex bonis hac ratione elocatis vix quidpiam relinqueretur. Hunc in modum nobiles Richenbergici Curiensem vicedominatum in valle Venusta gesserunt, propter quem multis ecclesiæ bonis fruebantur: inter alia illud notatu dignum, quod ſede vacante castrum Fürstenburgicum ſemper ad illos devolutum fuerit, donec novus episcopus eligeretur. Testantur id litteræ, quas FRIDERICUS anno 1377. die 23. Iunii, tunc iam episcopus Brixinensis, Viennæ hac de re dedit *a*). Hic enim præsul moli fortasse alieni æris impar anno 1376. Curia relicta Brixinensem episcopatum paulo pinguiorem adiit.

LXIII.

IOANNES II.

Ab anno 1376. ad 1388.

XXV. Sane vix non ad incitas redacta erat ecclesia Curiensis, tota quanta pæne alienis nominibus obruta. Subsidium aliquod afflictæ tulit IOANNIS II. electio, quem alii de Lenzburg, alii de Ehingen ortum fuisse tradunt. Egit is per aliquot annos Alberti Austriæ ducis cancellarium, vir prudens, et rei œconomicæ bene intentus, qui ultra 8000. florenorum Curiam ſecum tulit, quæ liberali animo expungendis debitis impendit; quumque præstationes imperio debitas ex urbe Lindaviensi per annos plures colligeret, et alias rebus provide invigilaret: episcopatui Curiensi ſub hoc episcopo paululum respirare licuit *b*).

XXVI. Præterea IOANNES patronos ſuæ ecclesiæ conciliaturus aliqua nobilibus feuda elocavit: anno 1380. Henrico de Schrofenstein dedit castellum prope Landegg in Oenana valle unacum iure inter insignia utendi dimidio capricorno, qui integer Curiensium est insigne *c*). Biennio post castris Rotundo et Reichenbergico tanquam feudis ſibi Leopoldum Austriacum devinxit, et anno 1384. ſimile quid concessit Ioanni de Schaunstein. Varia quoque ecclesiæ recuperasse legitur, inter alia Grapam longam et Reamsium castra *d*). Interim nobiles de *Lumerino* castrum *Rietberg* nuper ab *Udalrico V.* emtione adquisitum ſibi usurpare conabantur, ac eaprop-

a) Cod. prob. N. CXI. *b*) Guler. loc. cit. *c*) Flug. Catal. *d*) Tschud. Gall. comat. p. 322.

ter arcem *Iuvaltam* armati invadebant; IOANNES vero ab hisce iniuriis per 250. fl. se redemit *a*). Erant porro inter ipsos ditiores plebeios, qui matris ſuæ penuria movebantur; ſic inveni Hartwicum aliquem de Valendauno, qui anno 1383. ſuos colonos Curiensi clero adsignavit *b*).

IOANNES interim morti se vicinum agnoscens die 10. Febr. anno 1388. in animæ ſuæ ſolatium anniversarium perpetuo celebrandum instituit, nummis tot adsignatis, ut 6. floreni quotannis exinde recipi possent; ipse vero paucos post menses die 3. Iulii ad requiem æternam abiit, ſepultus in templo cathedrali *c*).

LXIV.

BARTHOLOMÆUS INTRUSUS.

Ab anno 1388. ad 1390.

XXVII. Prolabimur in ſeriem annorum maxime turbulentam, nec præter dissidia et contentiones referre quidquam possumus. Post *Ioannis II.* mortem, nescio iure an iniuria ſedem episcopalem occupavit BARTHOLOMÆUS aliquis, qui tamen biennio circiter exacto cedere coactus est. Eius mentionem facit, quantum ſcio, ſolus Flugius; nec puto, illum pro legitimo præsule ab omnibus agnitum fuisse. Ex coævis autem testimoniis constat, *Hartmannum* genuinum *Ioannis* ſuccessorem ante annum 1390. electum non fuisse, ut proin duo ſaltem anni BARTHOLOMÆO concedendi ſint.

SECULUM XV.

LXV.

HARTMANNUS II.

Ab anno 1390. ad 1416.

I. *Goswinus* prior Mariæmontanus, qui hoc adhuc tempore vixit, in monasterii ſui monumentis manuscriptis refert *d*), quod HARTMANNUS ultra biennium de

a) Cod. prob. N. CXXVIII. *b*) Conf. Leu Helvet. Lexic. T. V. p. 281. *c*) Guler. loc. cit. p. 153.
d) Cod. prob. N. CXII.

episcopatu contenderit, eumque demum anno 1392. pacifice adierit. Res ſic se habet: canonici Curienses pulso *Bartholomæo* unanimes episcopum ſibi legerunt HARTMANNUM ex comitibus de Werdenberg-Sarunegauno equitem teutonicum, qui hactenus erat Commendator in *Wadisweil;* quam dignitatem unacum episcopatu retinuit, uti ex eiusdem charta de anno 1408. patet apud Tschudium *a)*, *Albertus* vero Austriæ dux *Antonium*, ſuum vicecancellarium, huic ſedi destinaverat, iamque de eo Curiam ablegando illi cum pontifice convenerat. Ergo uterque infulam iure ſibi deberi existimabant, prior vi canonicæ electionis, alter ob pontificis et principis auctoritatem. Verum Curienses iure ſuo utendum rati, *Antonium* admittere constanter recusarunt; *Albertus* hac re mire offensus exeunte mense Ianuario anni 1391. diœcesi Curiensi militem imposuit, qui copioso ſat agmine vallem Venustam ultra annum insedit, ut minis hisce HARTMANNUS a proposito absterreretur. Ast hic armis nihil territus, omni modo dignitatem ſuam tueri constituit, tantumque effecit, ut ſequenti anno 1392. die 25. Iulii in principum conventu Iuvavii habito *Antonius* ultro cederet. Quo facto populus maximam partem ingenti lætitia perfusus Deo gratias egit, et legitimum pastorem ſumma cum devotione amplexus est *b)*. Etiam archidux *Albertus* ira in benevolentiam mutata cum ſuis cognatis *Wilhelmo* et *Leopoldo* die 22. Iulii in eadem urbe Salisburgensi episcopatum Curiensem in ſuam defensionem ſuscepit, cuius litteræ ea de re inter monumenta Curiensia leguntur.

II. Cæterum erat HARTMANNUS animo ſtrenuo ſimul et inquieto, nec quoad vixit, absque contentione fuit. Eodem certe mox anno die 3. Septembris vallem Venustam hostiliter invasit, partim ut, quæ *Alberti* milites rapuerant, reciperet, partim ut incolas contumaces ad obedientiam cogeret. Ac primo quidem parthenium Monasteriense aggressus illius loci præpositum ſpoliavit; dehinc aliquas domos villasque vulcano tradidit, quæ ad Reichenbergicum et Curburgense castra pertinebant, aliaque vel in ſuimetipsius defensionem vel vindictam ibidem egit, donec Ianuario mense ſequentis anni concordia iniretur. Eadem occasione iuxta castrum ſuum Fürstenburg homagium fidelitatis et ſubiectionis a ſubditis ſuis excepit, ſimulque cum abbate Mariæmontano eiusque fidelibus in decem annos pactum iniit, quo se mutuo iuvare et tueri constituerunt. Insuper ducum Austriacorum auctoritate eiusdem monasterii advocatiam comitibus de Amatia ſubtractam in se ſuscepit *c)*. His feliciter gestis rem habuit cum propriis ſuis cognatis *Alberto* de Werdenberg domino Bludenti, et altero *Alberto* pariter Werdenbergico domino in Hei-

a) Chron. Helvet. T. I. p. 642. *b)* Cod. prob. N. CXII. *c)* Ibid.

ligenberg, necnon *Rudolpho* et *Hugone* fratribus ex eadem ſtirpe dominis in Rheinegg, adversus quos die 3. Nov. Sargansii fœdus contraxit cum *Burchardo* abbate Fabariensi, *Ioanne* Sarunetio et *Henrico* Valdulcensi comitibus de Werdenberg, qui omnes ſolemni se obstrinxerunt ſacramento, quod alter alterum quacunque ratione contra prædictos essent defensuri *a*).

Vi quoque adversus Mediolanenses est usus, nam anno 1394. mense Aprili armata manu ſuæ ecclesiæ denuo vindicavit vallem Pusclaviensem, quam olim comites de Amatia advocati ſua negligentia perdiderant *b*). Eiusdem mensis die 29. confirmasse legitur in litteris Fabariensibus capellaniam a ſuo consanguineo fundatam in Sarganensi parochiali templo, in honorem B. V. Mariæ et S. Matthæi apostoli. Recuperavit etiam hoc anno arces Eremusium et Greiffenstein prope Filisur, quas ante dicti advocati de Amatia feudi nomine possederant, pro iis tamen 2500. marcas Bernenses numerare coactus est *c*).

Anno 1396. die 23. Iulii Pragæ a *Wenceslao* rege bina diplomata accepit, quibus antiqua iura, et redditus Lindavienses confirmantur. Haud diu post ſubditi ſuum homagium renovarunt *d*). Alia interim lite collidebatur HARTMANNUS cum *Udalrico* de Rhæzuns propter ius venandi in valle Domestica etc. et decimas in Caz ac Heinzenberg, quam Henricus *Meiſs* consul Tigurinus et Ioannes Stœcklinus Feldkirchensis eodem anno ad tempus aliquod diremerunt, quæ tamen paulo post in apertum bellum erupit, ita ut episcopus *Udalricum* in urbe Curiensi obsideret *e*).

III. Inter hæc tum negotia tum dissidia HARTMANNUM pecunia paulatim deficere cœperat; eam proin mutuam petere coactus est a *Wolfhardo* et *Udalrico* de *Thuringen* ex Brandisio, qui bene gnari, quam tenues essent ecclesiæ Curiensis redditus, dare quidpiam initio tergiversabantur: quum autem episcopus comitem de Werdenberg *Ioannem* eiusque filios vades offerret, tandem annuas 24. marcas argenti obtinuit. Nequid vero detrimenti *Ioannes* ex præstito vadimonio metueret, HARTMANNUS datis die 22. Aprilis anno 1399. litteris eidem in casu damni emergentis ius dedit, episcopatus bona occupandi, et quacunque ratione ſemet indemnem præstandi; id quod argumento est, HARTMANNUM ad necessitatem tantum non extremam redactum fuisse *f*). Aegre in contractum istum consensere *Rudolphus* de Werdenberg præpositus et *Rudolphus* de Trostberg decanus, adiecta conditione, ne

a) Tschud. Chron. Helvet. T. I. p. 580. *b*) Cod. prob. N. CXII. ad fin. *c*) Guler. loc. cit. Sprecher. Pall. rhæt. p. 237. et Cod. prob. N. CXXVIII. *d*) Archiv. Curiens. et Flug. Catal. *e*) Guler. loc. cit. *f*) Tschud. Hist. Helvet. p. 596.

capitulum exinde læderetur. Episcopus præposito gratam vicem redditurus eidem ac *Ioanni*, *Hugoni* et *Henrico* fratribus die 16. Octobris anno 1400. comitatum *Schams* gubernandum tradidit *a*).

IV. Tota regio contentionibus et armis perstrepebat, invaserat omnes vel libertatis amor, vel dominandi ditionesque augendi libido. Inde factum, ut nobiles et principes in varia fœdera coiverint; quum enim alter alteri male fideret, nonnisi armorum unione se ſuaque tueri poterant. Quæ HARTMANNUS cum dominis de Rhæzuns fovebat litigia, per integrum ſexennium protrahebantur. Episcopi hostes a Glaronensibus fulciebantur, quibus eapropter Curienses maximopere infensi erant, ſolliciti, ut quidquid mali possent, iisdem alacriter inferrent: data occasione nunc convitiis utebantur, nunc pecora equosve abigebant. Verum is agendi modus non potuit non Glaronenses eiusque ſocios, Abbatiscellani potissimum erant, illico ad arma movere; qui consertis turmis Rhenum transgressi regionem quatuor pagorum, ipsamque urbem Curiensem expilarunt, armenta et pretiosa quæque ſecum auferentes. In atrox bellum mutuæ iniuriæ erupissent, nisi *Wilhelmus* de *End* præfectus Austriacus in Sargans cum aliis viris prudentibus pacem restituere adlaborasset; is vero die 4. Iulii anno 1402. ſuis consiliis rem eo modo composuit, ut pars utraque promiserit ab iniuriis desistere, et damna utrimque illata remittere *b*). Archiduces Austriæ ius ſuum in varia Rhætorum Helvetiorumque dominia armis prosequebantur; Mediolanenses etiam de Bellicona contendebant. *Leopoldus* archidux comites Werdenbergicos aggressus, oppidum Rheineggense et confinia invasit; quo in conflictu HARTMANNUS, quum fratribus ſuis ſuppetias ferret, captus ab Austriacis in arce Fürstenbergica custodiæ tradebatur, ex qua brevi post a Rhætis liberatus est *c*).

V. Eodem tempore in agro Mediolanensi *Barnabas* vicecomes a ſuo patruele *Ioanne Galeatio* duce per proditionem interceptus ſuisque ditionibus privatus fuit: erat ei filius natu minor *Mastinus*, qui fuga ſibi consulens fidei HARTMANNI Curiensis se commisit, a quo perbenigne habitus, atque per aliquod tempus Curiæ tuto commorari permissus est. Hac occasione episcopus *Mastino* exposuit, quantas ecclesia Curiensis iacturas, Mediolanensium ergo, ſub advocatis de Amatia perpessa fuerit, qua ratione Bormium cum Pusclavio amissum, quot demum expensæ incassum pro ablatis recuperandis factæ. Motus tam gratitudine, quam alias iam pertenui episcopatus ſtatu *Mastinus*, eidem die penultima Iunii anno 1404. totam Val-

a) Archiv. Curiens. et Tschud. Chron. Helvet. T. I. p. 605. *b*) Tschud. ibid. p. 613. *c*) Sprecher. loc. cit. p. 90. Ausführ. der Gerechtsam. des Gottshausb. p. 8.

lemtelinam, Bormium, Puſclavium, Clavennam et Plurium largiſsimo dono contulit *a*). *Attentis gratiis*, ſonant tabulæ, *et acceptis ſervitiis, quæ reverendus in Chriſto pater* HARTMANNUS *episcopus, et eccleſia Curienſis nobis, noſtrisque progenitoribus hactenus impendit, et ad impendendum ſe promtum exhibet, et exhibere poterit amplius in futurum; dicto D.* HARTMANNO *episcopo et eccleſiæ Curienſi, ſolemni manuum traditione — — donamus titulo proprietatis perpetuo poſſidendam totam Vallemtelinam, commune de Bormio, commune de Puſchlavio, caſtrum, oppidum, et vallem Clavennæ et Plurii.*

Verum perampla hæc donatio vix ullum effectum pro eccleſia Curienſi ſortita eſt, imo Quadrio ridicula videtur; eoquod *Maſtinus* nunquam fuerit dominus Vallistelinæ, utpote qua imperator *Wenceslaus Ioannem Galeatium* eiusque poſteros cum titulo ducis inveſtiverit anno 1395. et ſequenti *b*).

VI. Interea HARTMANNUS prioribus nova debita adiecit; ſolum apud Iudæos ſummam 2710. florenorum æris alieni contraxit, pro qua illis die 19. Aprilis anno 1409. capitulum, ditionem, urbemque Curienſem oppignoravit, *Ioanne* Werdenbergico et *Wolfhardo* Brandiſio litteras propria manu firmantibus *c*): quum tamen paulo ante triennium, officium *Amanni*, ut vocant, pro 160. marcis quaſi vendiderit, et anno mox præcedente meliorem ſortem a Puſclavienſibus nanciſci videretur. Nam Puſchlavienſes et Bruſchiani, quos ſibi antehac Mediolanenſes ſubiecerant, *Zutii* in Engadina publicis tabulis profeſſi ſunt, ſe ex iure ſemper ad episcopi Curienſis iurisdictionem pertinuiſſe; eidemque iuramento promiſerunt fidelitatem, defenſionem, ius præfecti in Puſchlavio ponendi, præſtationem annuam 300. librarum per decennium, pœnas maiorum criminum: ſpoponderunt inſuper, adventantem episcopum, eiusque comitatum et famulitium decenter nutrire, ac præſtare indemnem; ius denique venandi et piscandi conceſſerunt die 29. Sept. anno 1408. Nihilominus episcopus die 13. Martii anno 1411. redditus quosdam pro 175. marcis *Wandelburgæ* Catzenſi abbatiſſæ pignoris loco tradidiſſe legitur *d*). Verbo, nihil non egit, ut pecunias corraderet; crediderim, nimium a creditoribus divexatum bonum præſulem, cuius ærarium bella et contentiones pedetentim emunxerant. Imo ad nova prælia committenda auro indigebat. *Fridericus* archidux Auſtriæ, qui iam dudum *Georgium* Tridentinum episcopum bonis ſuis ſpoliatum vario modo afflixerat, etiam HARTMANNUM Curienſem divexare cœpit, cui varia iura in Engadina ſurripuit, ipſumque præſulem in propria ſua arce Fürſtenburgica captivum detinuit anno 1412. Ventum ad arma: Engadini occupata arce episcopum libertati

a) Roſ. a Porta Hiſt. reform. T. I. p. 176. Tatti Annali di Como T. III. append. p. 95. *b*) Quadrio Diſſertaz. VI. T. I. p. 309. *c*) Archiv. Curienſ. *d*) Cod. prob. N. CXIV.

reſtituunt; hic vero ſubſidia undique conquirens archiduci bellum inferre conſtituit, quem etiam excommunicationis pœna, incaſſum quidem, mulctavit. Hunc in finem ſollicitavit comites de Toggenburg adverſus archiducem; ſed repulſam paſſus, armorum ſocietatem ſancivit cum ſuis conſanguineis comitibus de Werdenberg, qui Ortenſteiniæ ditionis, nec non in Hohentruns et Tamins domini erant: his acceſſerunt abbas Deſertinenſis *Petrus* de Pontaninga, Donatus de Saxo, homines ex Meſaucina et Lugnitia vallibus, Ilantini quoque et Foveani. His copiis auctus Hartmannus, ſat ſe virium habere exiſtimabat, ut baronibus de Rhætio et Amatia, aliiſque archiduci adhærentibus bellum inferre poſſet.

Verum barones Rhætii comitem de Toggenburg in ſuas partes pertraxerunt, atque die 13. Martii anno 1413. datis ad Glaronenſes litteris id effecerunt, ut plerique Hartmanni ſocii cum dominis Rhætii pacem iniverint. Epiſcopus ſpe ſua deluſus vires ſuas adverſus comitem de Toggenburg exerere voluit; Glaronenſes autem miſſis utrinque arbitris pugnæ incendium ſopierunt *a*).

VII. Eodem hoc anno 1413. menſe Auguſto *Sigiſmundus* Romanorum rex Curiam adventavit, ibidem in feſto S. Bartholomæi cum Helvetiis de ſubſidiis adverſus *Philippum* ducem Mediolanenſem acturus *b*). Hac occaſione Hartmannus die 26. dicti menſis quatuor diplomata ab imperatore obtinuit. Primo omnia regalia confirmantur cum iuribus, obſervantiis et conſuetudinibus anteceſſorum Curienſium epiſcoporum. Altero ratæ habentur libertates epiſcopo, eccleſiæ et cathedrali capitulo Curienſi conceſſæ. Tertio Sigiſmundus Hartmannum, eccleſiam et civitatem Curienſem in ſuam defenſionem ſuſcipit, mandans omnibus civitatibus imperialibus ſuperioris Sueviæ, ut ad ferenda ſubſidia præſto ſint, quandocunque requirantur. Ultimo demum adprobantur arbitri (Glaronenſes), qui de concordia inter epiſcopum et dominos de Rhætio facienda conſultabant *c*).

VIII. Quum anno 1415. ſynodus œcumenica Conſtantiæ ageretur, *Fridericus* archidux Auſtriæ tum propter violentias Tridentino, Brixienſi et Curienſi epiſcopis illatas *d*), tum etiam, quod profugum *Ioannem XXIII.* ex ſynodo abduxiſſet, banno imperiali a *Sigiſmundo* Romanorum rege innodatus fuit. Exciti præterea Helvetii aliique, ut adverſus archiducem arma caperent, eiuſque ditiones invaderent; Hartmannus cum comitibus de Werdenberg et Toggenburg *Sigiſmundo* morem

a) Tſchud. Chron. Helvet. T. I. p. 667. *b*) Ibid. p. 670. *c*) Archiv. Curiens. *d*) Tſchud. loc. cit. T. II. p. 13.

gesturus, Velcuriam obsidione cinxit; ea quippe urbs comiti de Toggenburg ſola restitit, tota reliqua regione, prout *Sigismundus* mandaverat, eiusdem iussa amplectente *a*). Velcuriam *Friderici* archiducis nomine tunc defendebat quidam comes de Stühlingen; a quo HARTMANNUS circa mensem Aprilem captus ultra octo menses ibidem hærere cogebatur, donec Rhætorum ope die 8. Decembris in libertatem adsereretur, quam postea diem per totam ſuam diœcesin imaculatæ Virgini Mariæ ſacram esse voluit *b*).

Demum inquietus et bellicosus præsul, tot curis et adversis fatigatus die 6. Septembris anno 1416. in Sonnenbergica arce diem extremum clausit; defuncti cadaver honorifice Curiam delatum.

LXVI.

IOANNES III.

Ab anno 1416. ad 1417.

IX. IOANNES cognomento *Abundius* ſeu *Habunde* theologiæ et iurium doctor, Herriedensis præpositus et canonicus Eichstadiensis iam anno 1415. ſui episcopi nomine interfuit ſynodo Constantiensi; ubi a *Nicolao* Merseburgensi episcopo, quem natio Germanica ad publicanda decreta deputaverat, constitutus fuit, ut unacum *Udalrico* Verdensi dignitates et titulos illorum examinaret, qui in ſynodum se admitti postulabant *c*).

Quum hac occasione ſingularis huius viri prudentia et profunda rerum cognitio innotesceret; anno 1416. die 27. Novembris in ſedem Curiensem ſublimatus est. Hinc mox die 16. Ianuarii ſequentis anni ad *Ioannem II.* archiepiscopum Moguntinum ex Constantia misit ſuum canonicum *Conradum* Egghardum cum litteris, electionem ſuam ratam haberi postulans. Litteræ istæ insigne ſunt humilitatis et moderationis testimonium: ſcribit enim, se, quum vires ſuas tanto oneri impares agnovisset, per integrum ferme mensem ſuum electioni consensum denegasse; quia vero ex S. Augustini ſententia recusantes ecclesiastica officia, ad quæ legitime vocantur, ab Ecclesia essent contemnendi; nixum se divino ſubsidio cum timore et tremore episcopatum tandem acceptasse.

a) Tschud. Chron. Helvet. T. II. p. 12. *b*) Guler. Rhæt. alp. p. 155. Sprecher. Pall. rhæt. p. 91.
c) Labb. Concil. T. XII. p. 1542.

X. Non ingratum erit, legere iuramentum, quod Ioannes ſuo archiepiscopo præstitit in hanc formam: „Ego Ioannes *Ambundii* S. theologiæ et iuris canonici professor, ecclesiæ Curiensis electus iuro, quod ab hac hora in antea ero fidelis S. Petro, S. Romanæ ecclesiæ, S. ſedi apostolicæ, et domino meo, domino *Ioanni* archiepiscopo Maguntino, ſuisque ſuccessoribus canonice intrantibus: non ero in consilio, neque instrumento, ut vitam perdant aut membra, vel capiantur mala captione. Consilium, quod mihi per se, vel per litteras, aut per nuntium manifestabunt, ad eorum damnum nulli pandam; et archiepiscopatum ecclesiæ Maguntinæ, et regulas SS. patrum adiutor ero ad defendendum et retinendum ſalvo ordine meo. Vocatus ad concilium veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Legatum vel nuntium ecclesiæ Maguntinæ, quem certum esse cognovero, in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in ſingulis necessitatibus adiuvabo. Bona ecclesiæ Curiensis, et præsertim ad mensam episcopalem pertinentia ſine licentia D. archiepiscopi Maguntini non alienabo, nec de novo infeudabo, ſalvis ſemper in omnibus, et per omnia iure et honore ſedis apostolicæ. Item quod domino meo archiepiscopo Maguntino debitam reverentiam et obedientiam exhibebo. Sic me Deus adiuvet, et hæc ſancta Dei evangelia.„

Lætus Ioannis electione archipræsul die 26. Ianuarii hortatorias ad clerum Curiensem dedit, ut omnia obsequia novo ſuo episcopo fideliter exhibeant. Scripsit quoque ad ipsummet episcopum, quem plurimum dillaudat; inter alia ferme ſic loquitur: „Spe certa tenemus, electionem tuam Dei providentia factam esse: vocatus es, ut Aaron in ſanctuarium Domini; ipse te elegit, ut fructum plurimum afferas in ecclesia Curiensi, quæ longo tempore plurimas tribulationes tam in capite, quam in membris perpessa est. Utinam placeret Domino, ecclesiis nostris ſuffraganeis tibi ſimiles pastores dare. Nos personam vestram, cuius notitiam a multis temporibus habuimus, et conversatione novimus, videre et conversari cum eadem pie in Domino affectamus.„

XI. Altero mense ipsemet elector Constantiam profectus a *Sigismundo* regalia accepit; ineunte vero Martio reducem Ioannes noster in Moguntinas partes ſequutus die 13. eiusdem Heppenhemii ſolemni ritu consecratus fuit *a*). Paulo post in ſynodum reversus Ioannes, Curiensem infulam, quin fortassis unquam Curiæ comparuerit, ultro deposuit, et archidiœcesin Rigensem regendam ſuscepit: unde etiam vulgo Ioannes de *Riga* dicitur *b*).

a) Serar. rer. Moguntin. T. I. p. 732. n. 5. et 6. Gudenus Cod. diplomat. T. IV. P. I. p. 111. ſeq.
b) Flug. Catal.

LXVII.

IOANNES IV.

Ab anno 1417. ad 1440.

XII. *Abundium* excepit alter Ioannes cognomine *Naso*. Equidem multi hunc cum priore eundem arbitrantur, *Nasonem* cum *Abundio* confundentes; ast ad manus est autographum episcopi *Ortliebi* de anno 1458. in quo Ioannes *Abundius* et *Naso* aperte distinguuntur *a*). Eius prosapia et patria nos latent. Præesse cœpit anno 1417. quippe iam die 2. Sept. ſubditis Puschlaviensibus avita iura et privilegia indulsit, quæ illis antehac *Hartmannus* episcopus concesserat *b*). Anno ſequenti 1418. tempore verno Constantiæ a Sigismundo Romanorum rege obtinuit diploma, quo ecclesiæ Curiensi regia defensio adseritur, confirmanturque omnia eiusdem iura in valle Athesina, Venusta, Monasteriensi; ſcilicet castrum et dominium Nudersbergense, et advocatia in parthenium Monasteriense: porro advocatis de Amatia inhibetur, ne violentias inferre, et iura episcopi lædere ausint *c*).

Postquam *Martinus V.* papa redux ex ſynodo Constantiensi anno 1418. die 8. Iunii Genevam adventasset, ea in urbe vix non per trimestre permansurus, die 10. mensis Iulii ad episcopum Constantiensem *Ottonem* de Hochberg, abbatem Fabariensem *Wernerum* et abbatem Mariæmontanum *Henricum* litteras dedit mandans, ut unitis viribus episcopum et ecclesiam Curiensem adversus illicitas exactiones defendant, atque in integrum restitui curent *d*); multis enim modis tam a comitibus de Amatia, quam a civibus Curiensibus tunc temporis excoriata fuit, uti mox videbimus.

Interea Ioannes variis varia feuda contulit: Hermanno de Schauenstein castrum *Campellum* in iurisdictione Fürstenoviana anno 1418. 24. Augusti; Ioanni de Lichtenstein dominium Groſsengstingense in Suevia anno 1419. quo maioris ſecuritatis ergo adeptus est ius civitatis Turegi: Iacobo de Porta dedit arcem Eremusium anno 1420. ea conditione, ut inibi ſemper quinque milites aleret; concessit quoque eidem, præter 300. modios annuos tritici totidemque caseos, omnes mulctas, quæ quinque libras non excederent *e*).

a) Cod. prob. N. CXXI. *b*) Archiv. Curiens. *c*) Ibid. Conf. Mencken. Script. rer. Germ. T. I. p. 1550. *d*) Archiv. Curiens. *e*) Ibid. Flug. Catal. Sprecher. loc. cit. p. 155.

XIII. Iam dudum comites de Amatia episcopis multum adverſitatis faceſsebant; gaudebant equidem iure advocatiæ in valle Venuſta, verum illud per nefas a Merano oppido per vallem Monaſteriensem et Engadinam ſupra Pontem altum (Pontalt) usque exercebant; imo *Eremuſium*, *Steinsberg* et *Greiffenſtein* eccleſiæ Curienſis caſtra prætenſo titulo proprietatis poſſidere volebant. Inde peracris orta diſſenſio fuit; incentores præcipue erant tres Udalrici de Amatia et Eliſabetha de Toggenburg. Re diu ultro citroque ventilata, pars utraque litis arbitros ſelegerunt *Erneſtum* Auſtriæ archiducem et comitem Tyrolis, *Bertholdum* Brixinenſem et *Ioannem* Tridentinum episcopos, qui die 7. Maii anno 1421. in Boceno oppido pronuntiarunt, dictas tres arces ſecluſo omni damno Curienſi episcopo reddendas; ab episcopo autem Amatienſibus 2500. nummos eſſe adnumerandos: captivos utrinque liberos dimittendos, damnaque hinc inde illata invicem condonanda: ius advocatiæ nonniſi in valle Amatienſi in poſterum exercendum; advocatiam vero parthenii Monaſterienſis liberam eſſe: caſtrum Taraſpenſe Amatienſibus feudi nomine relinquendum, pacis denique huius violatores ad mulctam 20000. aureorum eſſe condemnandos *a*).

XIV. Eodem tempore diſſidia exarſere inter IOANNEM et cives Curienſes longe acerrima. Episcopus vi dominii in Curienſes a cæſaribus conceſſi præfecturas, ſenatum, forum, vectigal, pœnas aliaque pro arbitrio a ſe, tanquam legitimo domino, diſponenda et ordinanda eſſe arbitrabatur: quumque civitas et ipſa variis ab antiquo iuribus gauderet; accidit hinc inde, ut iurium partis utriusque colliſio orietur, quæ ſemper cum iniuriis coniuncta eſſe ſolet. Cives ſibi inconſultis præfectos et magiſtratus imponi, ſecumque velut mere ſubditis agi minime patiebantur. Acceſſit, quod aula episcopalis urbi variis debitis ab *Hartmanno* nuper contractis obſtricta fuerit, quæ res, ut fieri conſuevit, cives reddidit audentiores.

Episcopus hortari primum, ut redirent ad officium, minari quoque pœnas, ni parerent: quumque nihil proficeret, urbis templa interdicto ſubiecit. Acti in furorem cives portis effractis arcem episcopalem vi occupant, ſpoliant, portamque minorem lapidibus obſtruunt, ne quis ſe inſciis vel invitis evadere poſſit, aut introire. IOANNES captivo ſimilis negotii eventum triſtis præſtolabatur.

In urbe Curienſi hoc quaſi præludium fuit horrendarum turbarum, quæ ſeculo ſequenti integrum vix non episcopatum peſſumdabant; nam id genus diſſidiis non ſolum decreſcebant eccleſiæ iura, vel ſaltem infirmabantur; ſed ſubditorum etiam

a) Cod. prob. N. CXVII.

animi magis magisque a legitimo domino, patre ac paſtore alieni fiebant; donec erumpentibus, qui ſub cinere gliſcebant, ignibus et ſubiectio et religio triſtes in fumos abiret.

XV. Hac quidem vice inter Curienſes tumultus ſedari pauliſper, et pax ad ſpeciem reſtitui poterat; epiſcopo quippe civibusque conventum, ut ab utraque parte arbitri ſeligerentur, a quorum iudicio ſtandum eſſet. IOANNES iuri civitatis, quo Thuregi gaudebat, quidquam tribuendum ratus, quatuor exinde iudices poſtulavit: transmiſſi fuere Ioannes *Schwendius*, Henricus *Biberlinus*, Conradus *Teſcherus* et Ioannes *Trinklerus*, viri inter Turicenſes maxime honorati. His novem alii acceſſerunt Rhæti Gaudentius *Planta* Engadinenſis, Nutlinus et Simon de *Marmore*, Eglinus *Stampfius*, Andreas *Saleſchun* ex Prægallia, Gaudentius *Cræsna* de Stalla, Ioannes *Lucius* de Zernetio, Andreas *Bariælus* et Andreas *Tertſenus* Engadinenſes.

Iſti omnes die 9. Septembris anno 1422. Curiam convenerunt, atque edito ſacramento et teſtimoniis quæ ab utraque parte proferebantur, tum lectis tum auditis ſequentes articulos condiderunt. Primo cives Curienſes epiſcopo ſuo arcem abſque ulla læſione ſanam et integram reſtituant. Secundo epiſcopus præfectum eligere, et ſi neceſſe fuerit, rurſum deponere quidem poſſit, ſed non inſciis civibus, nec alias quidquam in præiudicium iuris aviti moliri præſumat. Tertio præfecti iura non abſoluta, ſed per ſenatum reſtricta ſunto. Quarto epiſcopus poſthabitis civium querelis *amannum*, *vicedominum* et *cancellarium*, quos mavult, eligat; cives vero conſulem nonniſi ex conſenſu epiſcopi et facultate imperiali creare poſſint. Quinto pro ſenatu ſupplendo viri idonei epiſcopo ſiſtantur, ex quibus hic digniores nominet. Sexto exactionum pars altera epiſcopo, altera civibus cedat. Septimo emporium, epiſcopo invito, a ſe erectum cives conſervent. Octavo ius monetæ ſolummodo penes epiſcopum eſto.

Hæc aliaque, quibus ultro ſuperſedemus, prædicti iudices pro pace reſtituenda ſanciverunt. Inter ea illud notatu dignum, quod epiſcopo inhibuerint, ne immorigeros circa iura profana et mere politica, interdicto aliisve pœnis eccleſiaſticis puniat, ſed, prout decet, eos ſeculari iudicio compeſcat, retentis ad cauſas ſpirituales pœnis ſacris; id quod ſenſui et praxi eccleſiæ maxime convenit. Certe a plurimis incommodis ſibi caviſſent præſules, ſi hanc ſemper fuiſſent regulam ſequuti *a*).

a) Cod. prob. N. CXVIII.

XVI. Tantus tum ſecuritatis tum libertatis amor Rhætorum animos occupaverat, ut pleræque communitates et pagi, excuſso nobilium dominio, in unum quoddam et liberum corpus coaleſcere, rerumque ſummam ſibimet attrahere cœperint. Primi fuerunt Griſei, ſeu ſuperioris Rhætiæ incolæ, qui anno 1424. die 16. Martii Troni edito ſolemni iuramento reipublicæ democraticæ formam induerunt, qua de re plura in parte tertia dicemus. Horum exempla altero mox anno ſequuti ſunt cæteri Rheni accolæ Ilantini, Suprasaxenses, aliique, quorum circa Curiam ſedes est.

Fieri non potuit, quin inſoliti hi ausus tum episcopi Curienſis, tum nobilium, qui imperabant, bilem vehementer moverint. Præ cæteris offendebantur comites Werdenbergici *Hugo* et *Heinricus*, quorum ſubditi Griſonum fœderi se iungebant: ſtabat quoque ab eorum partibus *Ioannes* comes Mesaucinus, episcopo ea de causa infenſiſsimus, quod fœderi accedere nollet; huius quippe præſulis ſubſidio et auctoritate *Henricus* Werdenbergicus tam a papa, quam ab imperatore *Sigismundo* litteras obtinuit, quibus ſubditi tanquam rebelles, niſi reſipiscerent, ab ecclesia et imperio ſeparantur; nulla tamen ſequuta emendatio, quin potius brevi post res ferro, cum non mediocri fœderis augmento, diremta fuit *a*).

XVII. Interea urbis Curienſis cives non desiſtebant, episcopum quocunque modo divexare et affligere: articulis, quos nuper inierant ſupra n. XV, flocci habitis, pro lubitu ultra 30. ſenatores eligebant; interdicebant Ioanni ius vendendi vini, et ſalis comparandi, quodque magis nefarium, denegabant illi necessariam clero pœnas infligendi potestatem: præ ceteris inſolens et petulans erat quida Udalricus de *Tux*, qui non ſolum Zutii adverſus episcopum verba maxime iniurioſa coram eiusdem ſubditis effutiit; ſed arma etiam hostibus commodavit, adiectis minis, se omnium episcopo fidelium capita demeſsurum.

Vix ullum in hac calamitate Ioanni perfugium erat: perpauci ſupererant viri, qui potentia ſimul et æquitatis amore valerent, *Dieteganus* et *Nutlinus* de Marmore, *Rudolphus* de Castromuro, et pagorum quorumdam incolæ, qui anno 1428. 14. Februarii Tinizonum congregati afflicto præſuli ius dicebant, mandabantque civibus, ut ſtarent ſancitis, quæ ante ſexennium iudicio tum Rhætorum tum Turicenſium inivissent *b*). Quem res effectum ſit ſortita, non conſtat. Interim negari non potest, Ioannem tenacioris fuisse iudicii, ſuaque forsan agendi ratione civium animos, qui alias ad quæque audenda proni videbantur, exacerbasse. Certe eodem

a) Sprecher. loc. cit. p. 190. ſeq. *b*) Cod. prob. N. CXIX.

hoc anno *Petrum* recens electum abbatem montis Mariæ tamdiu confirmare noluit, donec 150. marcas ſolviſset *a*).

XVIII. Anno 1431. Sigismundus imperator Velcuriam diœcesis Curiensis oppidum adventavit; illuc etiam IOANNES profectus est, quum insertus legatur diplomati hoc anno die 1. Octobris ibidem monachis Dobirlucensibus dato *b*). Selectus quoque ab Eugenio IV. pontifice fuit anno 1433. VIII. Cal. Iulii, ut in auctoritatem bullæ Leoninæ de ſacello Einsidlensi divinitus dedicato inquireret *c*). Anno 1434. Basileæ cum imperatore reperitur, testis diplomati adscriptus, quo dissidia Suitenses inter et Einsidlenses componuntur *d*). Ibi pariter rata a Sigismundo habebatur ſubiectio incolarum Laaxensium in fœdere Griseo, qui se episcopi dominio ea conditione ſubdiderunt, qua Rudolpho in Sargans domino in Löwenberg ſuberant *e*). Quatuor porro alia diplomata anno eodem a Sigismundo impetravit IOANNES; trina in civitate Ulmensi mense Iulio: bina agunt de advocatia ecclesiæ Curiensis, quæ ad regiam potestatem pertinere, et episcopo oppignorata esse perhibetur, ita, ut nullus eam vel permutandi vel alienandi potestatem habeat ſub pœna 50. marcarum auri; tertium episcopo vindicat ius exactionum et telonii in civitate Curiensi, cui præcipitur, ut absque contradictione obedientiam præstet. Quartum denique die 14. Septembris Ratisbonæ confectum omnia ecclesiæ Curiensis iura et privilegia confirmat, cui imperatoria protectio eo magis necessaria erat, quo intentius Rhæti avitis iuribus eam privare adlaborabant *f*).

XIX. Flugius in catalogo episcoporum refert, quod Ioannes et Wolfenus de *Lichtenstein* dominium Groſsengstingen cum consensu IOANNIS episcopi vendiderint Wolfeno de *Neuhausen* die 18. Aug. 1438. et 14. Aprilis 1440. Recenset porro loca ad dictum dominium pertinentia Engstingen, Mittelstetten, Erpfingen, Bernloch, Kolstetten, Honau infra Lichtenstein, Ober- et Unterhausen, Pfullingen, Melchingen etc. Dominium istud, ſeu feudum in territorio Pfullingano est, ducatus Wirtenbergici: Sattlerus *g*) ne verbo quidem meminit iurium, quibus ea in regione gavisa est ecclesia Curiensis. Circa idem tempus vallis Scanficensis Henrico Montfortio domino in Tetnang in feudum tradita est.

Tandem IOANNES varia forte per plures annos iactatus die 24. Ianuarii anno 1440. Merani in pace quievit, ibidem in templo parochiali ſepultus *h*).

a) Archiv. Curiens. *b*) Ludewig. Reliq. Ms. T. I. p. 462. *c*) Annal. Erem. p. 391. R. P. Murer. Carthus. Ms. de Helvet. eccles. *d*) Ibid. p. 392. *e*) Archiv. Curiens. et Ioann. Flug. *f*) Archiv. Curiens. *g*) Topographische Geschichte von Würtenberg p. 420. ſeq. *h*) Catal. Flug.

LXVIII.
CONRADUS IV.

Ab anno 1440. ad 1441.

XX. Ea hoc tempore erat in Rhætia rerum facies, ut ſedem Curienſem vix ullus, niſi invitus conſcenderet, ambiret certe nullus. Unanimi interim voto ad eam die 14. Febr. evectus eſt CONRADUS a *Rechberg* canonicus Conſtantienſis, qui hactenus Curiæ præpoſitum agebat. De eius proſapia agit Falkenſteinius *a*). Accuſatur a Tſchudio, quod corraſis pecuniis diſceſſerit, a Rhætis poſthac nunquam receptus. Veroſimilius eſt, illum ad ſynodum provincialem Aſchaffenburgi menſe Auguſto indictam profectum fuiſſe; extat enim *Theodorici* archiepiſcopi Moguntini ad ſuos ſuffraganeos epiſtola iam menſe Aprili hoc anno data, qua ad dictum concilium invitantur *b*).

Quidquid ſit, CONRADUS vel miſeriis eccleſiæ ſuæ ſublevandis impar, vel certe ærumnarum brevi ſatur biennio nondum expleto die 5. Sept. anno 1441. epiſcopatum reliquit, atque eccleſiæ Conſtantienſis præpoſituram vitæ quieti magis commodam ſuſcepit *c*).

LXIX.
HENRICUS V. ADMINISTRATOR.

Ab anno 1441. ad 1452.

XXI. Quemadmodum hoc tempore eccleſiæ Curienſis ſtatus tum propter penuriam, tum propter civium diſcordias valde turbulentus erat; ſic et ea, quæ tunc contigere, dubiis involuta ſunt. Hoc certum habemus, Curiæ poſt *Conradi* diſceſſum proprium antiſtitem non fuiſſe. Redditus epiſcopatus, ſi quid ſapio, adeo decreverant, ut epiſcopo ſuſtentando non ſufficerent; vel, quod magis accedere vero videtur, ob malevolorum contumaciam epiſcopus eligi tam facile non potuit:

a) Antiq. Nordgav. T. I. P. II. p. 161. *b*) Guden. Cod. diplom. T. IV. p. 262. — 265. *c*) Flug. Catal. et Leo Tig. Lexic. Helvet. T. V. p. 284.

totus proin epiſcopatus adminiſtratori committi debuit, quod ſedis apoſtolicæ providentia factum reor, ut hac ratione ſumtibus parceretur. In litteris quibusdam ſynodi Baſileenſis menſe Octobri anno 1442. exaratis legitur quidam *Alexander* Tridentinæ et Curienſis eccleſiarum ADMINISTRATOR *a*).

Aſt plerique *Conrado* ſubſtituunt HENRICUM baronem ab *Hewen* epiſcopum Conſtantienſem, qui ſimul et Curienſis diœceſis curam geſſerit: et iure quidem; nam non ſolum alter eius in hac ſede ſucceſſor *Ortliebus* illum *Conrado* ſubiungit *b*), ſed plures etiam chartæ tam ineditæ quam impreſſæ, quarum ſaltem quinque de diverſis annis vidi, conſtanter HENRICUM epiſcopum Conſtantienſem; adminiſtratorem vero Curienſem exhibent, quemadmodum et catalogi: HAINRICUS *Dei et apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopus Conſtantienſis et adminiſtrator Curienſis eccleſiarum c*). Hinc arbitrari licet, *Conradum* ſponte vel coacte epiſcopatu ideo ceſſiſſe, ut illum manibus HENRICI cuſtodiendum traderet, eoque facilius forſan æs alienum expungi poſſet.

XXII. Verum vix obtineri finis optatus potuit, licet adminiſtrator prodigalitatis incuſari nequeat. Quæ geſſit, et pauca, et parva noſcuntur: anno 1442. litis arbitrum egit, quæ Deſertinenſes inter et nobiles de Rink ob decimas in Ruſchein oriebantur. Anno ſequenti die 30. Octobris *Georgio* baroni de Rhæzuns vallem Stuſſaviam, decimas in Caz, Sarn et Heinzenberg in feudum elocavit *d*). Anno 1447. die 9. Februarii cum capitulo cathedrali Curienſi bona quædam permutaſſe legitur. Caſtrum Flums urbi Turicenſi ob debitum aliquod oppignoratum fuerat; id HENRICUS redimere cupiens, die 23. Nov. anno 1448. a Ioachimo de Montanis 1000. flor. mutuos ſuſcepit, ſed non niſi ſub pignore decimarum in *Prat* et *Algund e*). Eodem anno benedixit *Ioannem* Uſſenportium Deſertinæ abbatem, a quo propterea 350. flor. extorſiſſe dicitur. Demum die 11. Iunii anno 1450. Wilhelmo et Georgio comitibus de Werdenberg comitatum Schamſenſem feudi nomine detulit *f*). Atque in omnibus iſtis tractationibus HENRICUS Curienſis *Adminiſtrator* legitur, quemadmodum etiam in binis chartis de anno 1452. Auguſto et Septembri menſibus, quas Bernardus Pezius edidit *g*), quibusque eccleſia Oeningenſis Carthuſiæ Bonilapidis ſeu Guterſtein confirmatur.

XXIII. Interim ſub huius præſulis adminiſtratione res Curienſis eccleſiæ tam parum creviſſe videntur, ut potius defecerint. Legitur HEINRICUS multum æris alieni contraxiſſe *h*); unde canonicorum quidam de bonis eccleſiæ magis ſolliciti,

a) Ughell. Ital. Sac. T. V. p. 635. *b*) Cod. prob. N. CXXI. *c*) Bern. Pez. Theſ. Anecdot. T. VI. P. III. p. 270. *d*) Flug. Catal. *e*) Archiv. Curienſ. *f*) Ibid. *g*) Loc. cit. *h*) Ausführ. der Gerechtſam. des Gottshausb. p. 8. et 9.

urbis primores de miſero ſuo ſtatu certiores reddebant. Hi illico in arcem epiſcopalem quosdam ablegarunt, qui rem inquirerent; et reapſe debita iam 8000. flor. ſummam ſuperare compererunt. Obiit interea *Conradus* a Rechberg epiſcopus in ſua Conſtantienſi præpoſitura anno 1452. HEINRICUS proinde non tantum adminiſtrator, ſed verus Curienſis eccleſiæ, ſicut Conſtantienſis epiſcopus dici volebat. Aſt cives id non ſunt paſſi, et quamvis HEINRICUS ſummi pontificis et canonicorum authoritate fulciretur, aliqui enim beneficiis exui et dignitatibus privari maluerunt, quam epiſcopi adverſariis conſentire, nihilominus tamen a ſua adminiſtratione deiectus fuit eodem adhuc anno. Nondum contenti hac violentia Rhæti, Ioannem *Amslerum*, Rudolphum *Rinkenbergium* et Hartmannum de *Planta* duces ſelegerunt, qui cohortibus armatis ſtipati epiſcopatus poſſeſſiones ſui quaſi dominii fecerunt, ac firmiſſimum caſtrum *Aspermont* vi occuparunt; id enim iam dudum intendebant, ut, quoquo modo poſſent, epiſcopatum ſuæ ditioni ſubiicerent, ac omne dominium territoriale, ut vocant, reipublicæ adſererent.

LXX.
LEONARDUS.
Ab anno 1453. ad 1458.

XXIV. Qui rebus afflictis tantiſper ſuccurreret, omnium canonicorum ſuffragio et conſenſu populi electus eſt die 5. Martii anno 1453. LEONARDUS cognomine *Wiſsmayer* vel *Triſsmayr* canonicus Curienſis et *Friderico* imperatori a conſiliis. Nihil non egit hic præſul, ut ſuam eccleſiam tantopere preſſam fulciret; præprimis uſus eſt auctoritate et benevolentia imperatoris *Friderici*, a quo trina diplomata nactus eſt Neoſtadii anno 1456. bina die Veneris poſt feſtum S. Ioannis Baptiſtæ ſeu 25. Iunii, quibus præcipitur, ut ſubditi et vaſalli Curienſis eccleſiæ feuda ſua, quæ ab imperio proveniunt, nonniſi ab epiſcopo recipiant, cenſusque debitos rite perſolvant. Tertium diploma die lunæ poſt S. Udalrici feſtum ſeu die 6. Iulii confectum eſt, quo imperator Schamſium et Vatium ſuperius per Georgium comitem de Werdenberg ab eccleſia Curienſi in feudum accepit. Laborandum namque LEONARDO fuit, ne omne dominium amitteret; ea de cauſa Schamſium unacum Vatio die 28. Ian. hoc anno 1456. per 3600. flor. redemit, atque maioris ſecuritatis ergo imperatoris fidei commiſit *a*). Deerat quidem ſufficiens pecunia, quam tamen ipſimet

a) Archiv. Curiens.

ſubditi per 1560. florenos ſuppleverunt *a*). LEONARDI conatus mors præmatura interrupit; defunctus enim eſt die 12. Iunii anno 1458.

LXXI.
ORTLIEBUS.

Ab anno 1458. ad 1491.

XXV. ORTLIEBUS, ſeu, ut legitur in litteris, ORTLEWE baro de *Brandis* die 29. Iunii anno 1458. electus, ſtatimque die 21. menſis ſequentis a *Calixto III.* papa confirmatus eſt; conſecratione vero epiſcopali ultra quatuor annos caruit.

Extant eius litteræ die 11. Septembris in favorem monaſterii *S. Lucii* confectæ *b*), quibus omnes ſuos diœceſanos hortatur, ut fratres et fabricam dicti cœnobii eleemoſynis iuvent, quum S. LUCIUS, cuius oſſa ibidem coluntur, primus fidem catholicam Rhætis prædicaverit. Indulgentias etiam eapropter ab anteceſſoribus, quorum decem recenſet, erogatas confirmat, quas vere pœnitentes templum S. LUCII viſitando, aut collatis illuc eleemoſynis lucrari poſſint. Erat ORTLIEBUS vir prudens, indoleque mitis, Ioanni Galeatio et Bonæ ducibus Mediolani, quibus fuit a conſiliis, acceptiſſimus. Metallifodinæ aliaque regalia eidem ſtabilita a *Friderico* imp. fuerunt anno 1459. Viennæ die Martis poſt feſtum S. Michaelis, ſeu die 2. Oct. *c*). Annuente papa anno 1460. unacum *Hugone* Montefortio ad comitia Tigurina profectus eſt, copias adverſus Turcas petiturus *d*). Tandem triennio poſt, hoc eſt anno 1463. die 27. Mart. a *Lazaro* Scarampo Comenſi epiſcopo, adſiſtentibus *Iacobo* Bibliensi et *Ioanne* Cryſopolitano præſulibus conſecratus fuit.

XXVI. Poſt hæc vir bonus multis negotiis et controverſiis implicabatur, quæ eum omni ex parte obruerant; quum enim avitis eccleſiæ ſuæ iuribus tum conſervandis tum reſtituendis ſtuderet, facile adverſariorum invidiam et æmulationem in caput ſuum accerſivit. Hinc quoque factum, ut rarius Curiæ, frequentius Fürſtenovii aut Fürſtenburgi reſideret. Nimirum qui per multos annos eccleſiæ bona terraſque, vel ſub feudo vel certe ſub advocatia adminiſtrabant, ea poſtmodum independenter, et res quaſi proprias ut domini detinebant.

a) Flug. Catal. *b*) Cod. prob. N. CXXI. *c*) Flug. Catal. et Archiv. Curiens. *d*) Leu Helvet. Lexic. T. V. p. 285.

Sic Plantani in Engadina Amatienſes olim advocatos imitati præfecturam in regionem ſupra *Pontem altum* liberrime, velut adquiſito dominio exercuere, quum tamen nonniſi eccleſiæ Curienſis vaſalli eſſent. Hos interim ORTLIEBUS ſua prudentia facile eo permovit, ut anno 1470. prætenſo ſuo iuri renuntiarent, adiecta conditione, ne epiſcopus regioni iſti alium præfectum, niſi ex Plantanorum familia, imponere poſſet, cui etiam dimidiam mulctarum partem relinqueret *a)*. Eadem ferme ratione Gaudentius de *Kirchberg* ORTLIEBI cognatus vallem Scanficenſem obtinuit anno 1472. Georgius autem de *Werdenberg* ditionum ſuarum partem, nimirum Silvam rhenanam, Cepinam et Ortenſtein certis ſub conditionibus epiſcopo pro 3000. flor. vendidit anno 1475 *b)*.

XXVII. Auguſta domus Auſtriaca ob Tyrolenſem comitatum in Rhætigoiam quoque ſuum dominium extendebat, ubi aliquæ erant Curienſis eccleſiæ proprietates, vocatæ in controverſiam, nempe iudicium Scanficenſe, Longopratanum etc. Ingens porro damnum epiſcopo inferebant Tyrolenſes copiæ adverſus eum in Rhætiam miſſæ, a quibus anno 1475. caſtrum Eremuſium flammis traditum, aliaque hoſtiliter acta fuerunt *c)*. Lædebantur quoque iura, quæ ORTLIEBUS in parthenium Monaſterienſe exercebat. Tandem *Sigismundus* Auſtriæ archidux die 19. Maii anno 1479. Oeniponte litteras confici iuſſit, quibus profitetur: epiſcopi Curienſis iura in quatuor iudiciis ſeu dynaſtiis Curwaldenſi, Lentiano, Scanficenſi et Longopratano intacta manere; ſe vero duo poſteriora tanquam eccleſiæ Curienſis feuda ſub iuſtis conditionibus accepturum: abbatiſſam Monaſterienſem, quæ confirmata ab epiſcopo fuerit, nullatenus inquietandam eſſe: reſtitutionem in integrum propter damna perpeſſa *Georgio* Werdenbergico, *Udalrico* Brandiſio et *Petro* ab Hewen; ipſam autem litis compoſitionem *Nicolao* Zollerano committendam, ac die 25. Iulii expediendam: ferendam denique ſententiam capitulo cathedrali probari debere *d)*.

Minoris momenti litem ORTLIEBO movebant Wallenſtadiani, qui ius piſcandi in adiacente lacu eidem denegabant: verum cauſa ad iudicium Turicenſe delata, et in favorem epiſcopi deciſa fuit.

XXVIII. Continuæ lites non obſtabant, quin ORTLIEBUS eccleſiæ ſuæ redditus multum augeret; nam præter dominia, quæ a *Georgio* comite de Werdenberg acquiſivit, anno 1483. ab *Ioanne Petro* Meſaucino coemit Bellmontium, Caſtriſium, Ilantium, Lugnitium, Flums et Fals die 4. Iunii *e)*. Eodem anno iuſſu *Sixti IV.*

a) Flug. Catal. *b)* Archiv. Curiens. et Sprecher. Pall. rhæt. p. 207. *c)* Ibid. p. 96. *d)* Cod. prob. N. CXXII. *e)* Flug. Catal. Leu Helvet. Lex. T. V. p. 286. Stato del Veſconato di Coira p. 6.

ſummi pontificis fratribus Dominicanis Curiæ licentiam dedit, ſui ordinis parthenonem in urbe construendi, quod tamen civium pertinacia fieri prohibuit.

XXIX. Dudum iam, ut aliquoties vidimus urbis Curiensis incolæ cum cæteris domus Dei hominibus episcopis erant infensi, quem omni potentiæ politicæ iure exuere in animo habebant. Plane dictatoria potestate anno 1476. ſanxerunt, ne ullæ publicæ tabulæ absque civitatis ſigillo conficerentur, cui præsumtioni fortissime Ortliebus restitit. Postmodum pagum Cicerensem etc. eiusdem dominio ſubducere conabantur: pacta ſanctissime inita passim violabant, ſententias, in quas ex utraque parte itum, ſpernebant, ac vix quidquam intactum relinquebant, quod non vocarent in dubium, ſibique ipsis tribuerent. Omnia tentata quidem, liga *ſuperior* et illa *iudiciorum*, nec non comes de Werdenberg *Georgius* pro arbitrio ſteterant, iudicantes die 23. Octob. anno 1483, latis ſententiis ſtandum esse; a neutra parte litem alteri movendam absque præmissa monitione, rem porro ad trium ligarum tribunal deferri debere *a*). Sed incassum omnia; imploravit Ortliebus *Friderici* imperatoris auctoritatem, qui etiam die 11. Maii anno 1487. Norimbergæ Curiensibus gravissime inhibuit, ne deinceps turbare episcopum auderent: anno autem 1489. 10. Martii Oeniponte decrevit, ut ecclesiæ Curiensis iura, quibus in urbe et regione *Quatuorpagica* gavisa eatenus fuit, ſana et integra relinquantur *b*). Verum parum proficiunt imperantium tum iura tum leges, si vel aristocratia vel democratia hominum animos ſemel pervaserit; nec tam facile privilegia et facultates amissæ aut violentia ſubtractæ restitui ſolent.

XXX. Tot inter tumultus officii pastoralis partes non neglexit Ortliebus. Varius erat per diœcesim ſuam psallendi orandique modus invectis hinc inde aliarum regionum breviariis; hunc abusum ut certius tolleret, novum horarum canonicarum librum anno 1490. edi curavit, præfixa epistola pastorali die 25. Ianuarii data, qua ſuos ad decorum et uniformem cultum divinum exhortatur. Perpetuis tandem curis et vexationibus fractus ad æternam quietem transiit die 25. Iulii anno 1491.

a) Cod. prob. N. CXXIV. *b*) Ibid. N. CXXV.

LXXII.

HEINRICUS VI.

Ab anno 1491. ad 1503.

XXXI. Auſpiciis vix felicioribus *Ortliebi* locum obtinuit HENRICUS baro ab *Hewen* electus die 8. Auguſti anno 1491. decanus et cuſtos Argentinenſis, canonicus Beronenſis, Baſileenſis expectans, præpoſitus Conſtantienſis et *Annæ* abbatiſſæ Turicenſis ad SS. Felicem et Regulam frater, quemadmodum in quodam manuſcripto Helvetico legitur. Tot auctus dignitatibus multum pecuniarum habuerit neceſſe eſt, quibus inopiam Curienſem pauliſper ſublevare potuiſſet. Confirmatus eſt eodem anno die 9. Sept. ab Innocentio VIII. ſummo pontifice.

Ab initio Curienſes cives HENRICO magis favere videbantur; nam mox anno ſequenti 1492. die 5. Februarii ſenatus populusque omnis poſt prandium congregati in publico emporio eidem homagium præſtiterunt, ſublatis in cœlum manibus iurantes, ſe eccleſiæ et epiſcopi Curienſis bona defenſuros, commoda promoturos, damna vero remoturos, debitamque ei obedientiam exhibituros. Iuramenti formulam præibat *Sylveſter* Paner, *Conradus* vero de Marmore illud ordiebatur: teſtium loco aderant *Sigiſmundus* de Brandiſio, *Ioannes* Henggius iurium doctor et *Wilhelmus* Capaulius *a*). Qua fide iuramento ſteterint, mox palam fiet.

XXXII. Hactenus epiſcopus Curienſis tres equites novemque pedites imperio ſiſtere et alere tenebatur; ab hoc onere HENRICUS ſolutis 390. florenis ſe liberavit connivente Maximiliano imperatore, quod ex monumentis Marſchlinienſibus accepimus. Engadinæ ſuperioris incolæ certis conditionibus a quibusdam epiſcopi iuribus ſe redemerunt *b*). Silva vero Rheni, Stuſſavia, vallis Scanficenſis unacum Perpennis alpibus et Ortenſteinia arce *Georgio* Werdenbergico in feudum traditæ fuerunt, quarum poſtmodum pars Ioann. Iacobo *Trivultio* comiti Meſaucino obtigit.

Multum favit HENRICUS monachis Carthuſianis, præſertim Carthuſiæ omnium Angelorum dictæ in *Schnals*, cui plura beneficia præſtitit, ut teſtantur litteræ *Antonii* generalis et *Hieronymi* prioris, qui in gratitudinis teſtimonium epiſcopo anno 1493. die 28. Aprilis ius piſcandi in lacu ſuper *Cruſtle* conceſſerunt *c*).

a) Cod. prob. N. CXXVI. *b*) Leu Helvet. Lexic. T. V. p. 286. *c*) Cod. prob. N. CXXVII.

Curiæ parochiale templum SS. Felicis et Regulæ, quod iamiam ruinam minabatur, anno 1494. reſtaurari cœptum; quumque nihil reliquiarum de ſanctis eccleſiæ patronis detegi poſset, parochus ex ſenatus conſulto litteris inſtructus Turegum ablegatus eſt, inde aliquas dictorum Sanctorum reliquias petiturus *a*). Vigebat enimvero tunc adhuc apud Curienſes Sanctorum cultus, quem triginta circiter poſt annis abiecerunt.

XXXIII. Neque tamen altercari cum HEINRICO ceſſaverunt unquam, eiusdem ſe dominio penitus ſubducere conati. Civitatis advocatiam imperii loco tenebat epiſcopus, quæ poſtmodum redemta, et ſenatui tradita ſuit, donec anno 1494. 19. Martii cæſarea auctoritate denuo ad epiſcopum ſub pignore pro 800. florenis rediret *b*). Imo *Maximilianus* imp. anno 1495. dato Wormatiæ die 23. Iulii diplomate præcepit, ut ſublatis tribubus ac ſocietatibus in urbe Curienſi ſuum HEINRICO regimen ſalvum et intactum permaneret; attamen ſine ullo ferme effectu. Anno ſequenti epiſcopus, capitulum et urbs Curienſis cum Turicenſibus ius civitatis mutuo renovarunt, obſtringentes ſemet ad 26. florenos per totidem annos perſolvendos; conſtitutum quoque inter alia fuit, ut belli tempore Turicenſes Curienſibus, et hi viciſſim illis 200. armatos mittant, intactis tamen quibusvis eccleſiæ Curienſis iuribus, quemadmodum ex ſchedis Cl. Peſtaluzi Tigurini accepimus. Eodem tempore *S. Victoris* Tomilienſis presbyteri et martyris reliquiæ repertæ fuerunt.

Cæterum quum cives inſuperhabitis quibuscunque pactis, neglecto et inconſulto epiſcopo, quævis liberrime ſumma poteſtate diſponerent; ſuos conſiliarios HEINRICUS ad eos ablegavit quæſitum, utrum Curiam tanquam liberam urbem imperii, an vero epiſcopo ſubiectam reſpicerent? iſti die 25. Nov. anno 1496. in reſponſis dabant, ſe nemini, præterquam eccleſiæ Curienſi ſubiectos, paratosque eſſe, eam quoquo modo defendere; quin, quod biennio poſt tres ligæ Ilantii congregatæ idem ſanxerint ac profeſſæ ſint, ſcilicet, Curienſes non imperii ſed epiſcopi ſolius ſubditos haberi. Declaravit id etiam ipſemet imperator die 22. Aug. Friburgi in Briſgovia anno 1498. prohibens, ne Curienſes aquila imperiali pro inſignibus uterentur; imo præcedente iam anno die 11. Ianuarii Lindavii eisdem interdixit, ne ad tribunal exterum provocare, aut epiſcopo obedientiam detrectare præſumerent. Extant ea de re diplomata in arce epiſcopali Curiæ, quibus recenſendis brevitatis cauſa ſuperſedemus. Verum cives non magis imperatorem, quam epiſcopum curantes peculiare regimen ſua in urbe conſtituerunt.

a) Ros. a Porta Hiſt. reform. T. I. p. 34. *b*) Archiv. Curiens. Cf. Lunig. Spicil. eccl. cont. I. p. 515.

Ne vero et cæteri ſubditorum malo urbis exemplo corrumperentur; Heinricus anno 1497. ſtatuta legesque condidit, quas incolæ vallis Domesticæ, in Fürstenovia, Thusis et Heinzenberg, præcipue in formandis contractibus observare tenerentur.

XXXIV. Iuges hasce cum civibus controversias calamitas longe atrocior excepit. Dudum in Austriacorum animis odium adversus Helvetios Rhætosque gliscebat, donec circa hoc tempus in ſanguinolentum bellum erumperet. Faces quasi ministrarunt regimini Oenipontano præfecti, qui Rhætis maxime infensi litium causarumque decisionem protelare et respuere consueverant. Quocirca isti, ut se adversus periculum omne atque violentiam præmunirent, ſuamque rempublicam, quæ vix incunabula reliquerat, defenderent; primum inter ſemet ipsos, dein vero etiam cum ſeptem veteribus Helvetiæ pagis in comitiis anno 1498. Tiguri habitis armorum fœdus iniverunt; quale iam antea in imperio coaluerat, *Suevicum* nuncupatum, cui accedere Helvetii, tametsi a Maximiliano imperatore plurimum ſollicitati, constanter renuebant. Etiam fœdus hæreditarium cum Austriacis ab iis olim contractum expiraverat, ita ut iam nulla pacis ſpes ſuperesset, licet Constantiensis et Curiensis episcopi pro bello prævertendo omnia tentarent. Tyrolenses de unione Rhætorum cum Helvetiis facti certiores anno eodem fœderi Suevico se adiungunt, ſumtisque armis in vallem Venustam irruunt, multisque hostiliter gestis monasterium Mariæmontanum vi occupant, et præsidio muniunt.

Interea in oppido Feldkirchensi rebus componendis dies indicitur, ubi induciæ usque ad quadragesimæ medium constitutæ fuerunt. Verum Tyrolenses cæsariani Ioannem Veibelum, qui inducias nuntiatum in Engadinam mittebatur, triduo captivum detinentes, nonnisi vi adacti dimiserunt, quibus nec Henricus episcopus, nec alii inducias persuadere poterant. Igitur Rhæti die 15. Ianuarii anno 1499. Curiæ congregati, renuente incassum episcopo, erat enim pacis amantissimus, copias ſuas adversus cæsarianos mittere decreverunt. Quo comperto mox ingens confluit armatorum multitudo, cogitur ipsemet episcopus ſumtis armis proficisci cum exercitu, redactus in eas angustias, ut ad vitam tuendam ſatellitio ſibi opus esset. Aspernatus Heinricus rem episcopo tam indignam ſuspicionem Rhætis iniecit, quasi nullius in patriam propensionis esset, potiusque faveret hosti; neque enim tanquam imperii princeps a Rhætis, ſed ut reipublicæ membrum, imo ſubditus haberi videbatur. Iamiam in vallem Monasteriensem ab exercitu abreptus, ibi clam intempesta nocte versus *Braulium* montem aufugere tentavit, ſed ab amicis, ne proditor et transfuga crederetur, retentus est. Non inanis hæc præcautio fuit: agi de pace cœptum; negotium Heinricus unacum Constantiensium præsule

eo perduxit, ut ab armis cessare constitutum utrinque fuerit. Aſt non cessatum ab iniuriis; nam Rhætis ad lares ſuos redeuntibus cæsariani domicilia quædam comburunt, multisque præterea convitiis Helvetios, qui prope arcem Gutenbergicam erant, adficiunt: inde belli flamma longe atrocior ac vehementior pugna, quæ ad clivum Lucii ſupra Maiævillam commissa plurimo ſanguine ſtetit.

XXXV. Eodem tempore, mensis Februarius erat, curiales Oenipontani ab Engadinensibus homagium extorquere nitebantur, quod quum potior pars præstare nollet; illi acti in furorem parthenium Monasteriense flammis tradunt, et *Emeritam* de *Planta* abbatissam aliasque tres virgines captas abducunt. In hac rerum ſtrage Heinricus viribus destitutus, ac consilii inops in castro ſuo Fürstenburgico latendi ſubsidium quæsivit; verum occupatus a cæsarianis, et resistendo impar die 20. Februarii castrum in manus eorum tradidit, ſeque Oenipontem deduci permisit *a*). Hoc agnito Rhæti Heinricum quasi perfidum transfugam ecclesiæ ſuæ restitui nulla ratione patiebantur: coacti proin canonici, ut adsignata Heinrico pensione annua, alium in eius locum ſubstituerent, postquam is ultro anno 1503. episcopatum resignaverat. Nam ultra triennium protracta lis est, Heinrico, utut oneris pertæso, ſuam tamen dignitatem, ecclesiæque iura contumacium arbitrio ſubiicere recusante; qui ad id tempus usque officia episcopalia peregisse reperitur: inter alia edi curavit *Exequiale* ſive Agendam divinorum ſacramentorum pro usu ſuæ diœcesis. Dehinc in Augustini Stœklini antiquitatibus Fabariensibus illos excommunicasse legitur, qui *Melchiorem* Fabariæ abbatem in oppido Sarganensi in vincula coniecerant, pro cuius liberatione anno 1502. *Conradum* de Marmore decanum et *Hartwigum* Capaulium aulæ ſuæ præfectum ad Helvetios ablegavit, qui Heinrici intuitu revera abbatem ſub certis conditionibus liberum declararunt. Refert quoque ex Guillimanno Murerus, illum annis 1506. et 1507. electioni et consecrationi *Wilhelmi* de Honstein Argentoratensis episcopi adstitisse; *Paulum* vero Zieglerum, quamdiu Henricus vixit, ecclesiam Curiensem ſolum vicario nomine administrasse; quod quidem usque ad annum 1505. quo confirmatus a papa fuit *Paulus*, fieri potuit. Certum porro est, Heinricum postremos vitæ ſuæ annos Argentorati transegisse, quo illum, ut ab ærumnis tantisper respiraret anno 1505. confugisse arbitror. Expiravit enim ea in urbe anno 1509. penes fratrem ſuum *Rudolphum* ſepultus teste epitaphio: *Hic iacent vetustæ familiæ de* Hewen *duo culmina*, *dnus* Heinricus eps Churiensis, *et Rudolphus uterque custos et canonicus Argentinensis.*

a) Freher. Script. rer. Germ. T. III. p. 51. ſeq. Sprecher. Pall. rhæt. p. 97. — 109.

SECULUM XVI.

LXXIII.

P A U L U S.

Ab anno 1503. ad 1541.

I. Quamvis episcoporum, quos hucusque recensuimus, longa ſeries variis calamitatibus pertexta ſit; omnium tamen turma malorum in unum PAULUM diutino, quo præfuit, tempore irruisse videtur. Antiquissimæ Curiensi ecclesiæ ſupremum vix non excidium imminebat, magnumque providentiæ divinæ argumentum est, quod non penitus deleta ſit.

Electus est PAULUS cognomento *Zieglerus* a *Ziegelberg* liber baro de *Barr* anno 1503. [hinc errat Sprecherus, qui illum iam ante triennium episcopum fuisse ſcribit *a*)] confirmatus vero a Iulio II. ſummo pontifice die 6. Iunii anno 1505. Fratrem habuit *Nicolaum* Ziegler cæsari a ſecretis, cuius ope imperatoris benevolentiam nactus, præfecturam Oetingensem in Bavaria ab eo obtinuit *b*), destinatus iam antea coadiutor Spirensis ſub *Philippo Rosenbergio* episcopo; ſed capitulum istius ecclesiæ eum recipere noluit *c*). Sex priores regiminis anni contentionibus cum *Henrico* adhuc ſuperstite propter annuam pensionem consumti; carus interim fuit PAULUS *Ludovico* regi Galliæ, cui erat a consiliis *d*).

II. Aucta interim indies reipublicæ Grisonum potestas est, dominiorum præprimis accessione. Territorium Maiævillanum, quod hactenus ſub comitibus de Brandisio fuit, anno 1509. tres Rhætorum ligæ a *Ioanne* Brandisio præposito Curiensi et canonico Argentinensi, atque a *Rudolpho* comite de *Sulz* numeratis 20000. flor. coemerunt *e*). Anno autem 1512. præpinguem Vallemtelinam obtinuerunt occasione belli, quo Galli ducatum Mediolanensem infestarunt. Vallem hanc, Bormium et Clavennam hi iamiam occupaverant, variisque modis afflixerant: alias inter fundos ecclesiæ Curiensis vi donationis Mastinianæ regio ista numerabatur; verum quum episcopo vires eam tuendi deessent, in Rhætorum manus hoc anno devenit, qui mense Iunio ſumtis armis ſuæ illam potestatis facili negotio fecerunt. Nam *Vallistelina*, ut refert Thuanus apud Quadrio *f*), *diuturnis, gravissimisque malis afflicta, quum*

a) Pag. 159. *b*) Leuckfeld. Script. rer. Germ. p. 215. *c*) Murer. Theatr. Helvet. Msc. *d*) Leu Helvet. Lexic. T. V. p. 288. *e*) Sprecher. loc. cit. p. 256. *f*) Dissertaz. VI. T. I. p. 384.

amplius nec regii præfecti tyrannidem, nec ſummam rerum omnium indigentiam ex Gallica licentia creatam ferre poſſet; Rhætos ſocietatem expoſcentes, et firmiſſima fœdera promittentes, ſuadente cumprimis vicinitate, gentis robore, malorum præſentia, quietis ſpe, atque refrigerii, quaſi cælo miſſos ſub certis pactionibus recipit, iis ſanciendis obſignandisque ſtatuitur dies etc. Fuit ea dies 13. Aprilis anni ſequentis 1513. quo oratores episcopi triumque ligarum Ilantii convenientes quinque articulos condiderunt, quibus incolæ Vallistelinæ episcopo Curienſi in rebus politicis, tribusque Rhætorum ligis quoad ſingula honeſta et licita obedire iubentur; qua ſub conditione *cari et fideles confœderati* declarantur, qui et avitis ſuis iuribus et Rhætorum ſubſidiis ſint gaviſuri; ſi porro ſingulis annis episcopo Curienſi et tribus ligis mille florenos rhenanos perſolvant. Extant dicti articuli latine, ſed corrupte apud *Tatti a)*; italice vero eos recenſet *Quadrio b)*.

III. Ea res contentiones episcopum inter Rhætosque peperit: ille ius avitum a *Maſtino* quondam acquiſitum, hi nuperrima cum Valletelinenſibus pacta prætendebant. Utrinque tandem die 2. Decembris anno 1514. conſtitutum fuit, ut quarta pars tam acquiſiti in Vallemtelinam etc. dominii, quam redditum inde fluentium episcopo cedat; tres vero partes reliquas Rhæti accipiant: ea tamen conditione, ut eundem in modum etiam onera et expenſæ dividantur *c)*. Aſt etiam in reddenda quarta parte tres ligæ multas episcopo tricas ſucceſſu temporis movebant, modo 1000. libras Mediolanenſes offerendo, modo omnia denegando *d)*. In controverſiam quoque vocaverunt antiquiſſima eccleſiæ Curienſis iura Cicerii, Trimontii, Igiſii et in Vatio inferiore, aliaque, quibus confirmandis ſtabiliendisque aliqua *Maximilianus* imp. diplomata confici iuſſit: unum, quod Oeniponte die 27. Nov. anno 1514. ſcriptum fuit, ius in pontem ſuper Langarum, et Vectigalium recipiendorum ſtabilit: alterum die 16. Octobris ann. 1516. Auguſtæ Vind. traditum antiquas donationes ac nominatim illam Maſtinianam Vallistelinæ confirmat. „Nos, inquit imperator, conſiderantes, Pauli episcopi Curienſis præclaras virtutes, et tam eius, quam fratris ſui *Nicolai Ziegleri* conſiliarii et ſupremi ſecretarii noſtri maximam fidem, et ingentia obſequia et merita, quibus nobis, et ſacro Romano imperio hactenus obnoxii fuerunt, et nobis ſervitia ſua indefeſſe et impigre præſtiterunt, et continue præſtant. — Univerſas et ſingulas litteras, privilegia, donationes — approbavimus etc. *e)*." Aliis demum cæſareis litteris eodem anno die 13. Decemb. Hagenoviæ expeditis quatuor pagorum appellatio episcopo adſeritur.

a) Annal. di Como T. III. in Append. p. 162. *b)* Loc. cit. p. 391. *c)* Cod. prob. N. CXXIX. *d)* Ibid. not. *a.* *e)* Ros. a Porta Hist. reform. T. II. p. 328.

IV. Interea *Leo X.* ſummus pontifex *Sfortiam* ducem ſuis ditionibus reſtituturus adhucdum bello cum Gallis implicabatur, quibus ſuperandis Helvetios vocare in ſubſidium conſtituit. Extant in *Petri Bembi* cardinalis epiſtolarum collectione *a)* huius papæ ad PAULUM Curienſem epiſcopum litteræ familiares, quibus eum rogat, ut Helvetios ad mittendas auxiliares copias ſua auctoritate inducat; datæ ſunt Romæ nonis Iunii ann. 1517. quas, quum eleganter exaratæ ſint, ipſa autem collectio rarior, hic adponere viſum; ſic vero habent:

„Epiſcopo Curienſi Helvetio. Deliberatum nobis eſt, certum peditum numerum ab Helvetiis ſociis noſtris accerſitum cum noſtra manu coniungere; quo facilius reipublicæ hoſtes, audacter nimium intemperateque in eius ditionem debacchantes, repellere, propulſareque poſſimus. Ea de re et illis proxime ſcripſimus, et nunc *Gaſparum Silinum* peditum Helvetiorum cohortis noſtræ præfectum, et *Ioannem Dioſpachium*, eiusdem nationis homines, ad eos mittimus, qui negotium procurent. Verum quoniam ſatis mihi cognitum eſt, qua ſis apud tuos homines, omnemque iſtam fortiſſimam præſtantiſſimamque nationem authoritate et gratia, quantumque me omni tempore obſervaveris, ac colueris; te hortor, ut petitionem meam, remque hanc totam cura, opera, diligentiaque tua iuves, efficiasque, ut celeritas imprimis et delectui habendo, et militibus mittendis adhibeatur: quemadmodum de *Silino* et *Dioſpachio* cognoſces, quibus mandavi, ut tibi ſalutem dicerent meis verbis. Datum nonis Iunii anno V. Roma.„

Egit, ni fallor, PAULUS, quantum potuit, ut poſtulatis pontificiis faceret ſatis; nec fruſtra: nam papa anno 1521. inito cum Helvetiis aliisque armorum fœdere *Franciſco Sfortiæ* Mediolanenſem ducatum e Gallorum manibus vindicavit *b)*.

V. Interea *Maximilianum* imp. defunctum in imperio *Carolus V.* excepit. *Matthæus* Iuvavienſis archipræſul die 7. Ianuarii anno 1520. PAULUM Curienſem unacum *Carolo Wolfgango* comite Oetingano, *Udalrico* de *Schellenberg*, et *Weigando* de *Tunheim*, qui e ſenatu regio erant, conſtituit, ut *Caroli* regis nomine in provinciis Auſtriacis homagium exciperet *c)*. Id quod teſtimonio eſt, PAULUM magni in aulis habitum, rerumque agendarum ſatis peritum fuiſſe.

Laude præterea dignum, quod breviarium, ut vocant, reformaverit, atque horarum canonicarum normam ſub ſpecie calendarii cuiusdam perpetui ediderit. Offi-

a) Lib. XV. p. 403. epiſt. 33. edit. Colol. a. 1584. in 12. *b)* Quadrio Diſſertaz. VII. T. I. p. 406.
c) Hanſiz. Germ. Sac. T. II. p. 586.

ciorum divinorum libri ab antecessoribus excusi, ut ipsemet præfatur, tum casu, tum usu longo erant distracti, nec iidem ubique ritus observabantur. Hinc consilio et ſubsidio *venerabilis capituli* industriis quibusdam ac peritis ſacerdotibus mandavit, ut prout visum fuerit, ordinem precum canonicarum emendarent, frivolis expunctis, quæ pia, quæ religiosa, quæ vera et recta essent, eligerent. Hac ratione novum breviarium edidit et præscripsit. Typis vulgatum est Augustæ Vindelicorum anno 1520. in forma maiore. Icon præfixa diœcesis patronos ſanctos Lucium et Florinum, ac mediam B. V. Mariam exhibet, expressis ad pedem episcopi insignibus.

Anno ſequenti 1521. Carolus V. Wormatiæ in comitiis imperii episcopo Curiensi, nec non S. Galli et Desertinæ abbatibus iniunxit, ut ad cameram imperii, præcipue adversus Turcas, tanquam principes ſolitas præstationes conferrent, ni imperiali banno plecti mallent. Verum Helvetii firmis rationibus apud ducem Fridericum palatinatus Rheni comitem, qui tunc imperatoris vices gerebat, tantum effecerunt, ut banni intentatione revocata dicti præsules a præstationibus immunes declarati fuerint *a*).

VI. Devenimus iam ad ea, quæ legi absque ſtupore vix possunt. Perrumpens in Rhætiam reformatio et avitæ religioni catholicæ, et episcopali ecclesiæ Curiensi ſupremum exitium minabatur, ita ut mirandum ſit, vel locum apud Rhætos ſuperesse, ubi fides Romana vigeat. Fusiorem reformationis Zwinglianæ historiam, quantum Rhætiam concernit, orbi litterato dedit D. Dominic. Rosius a Porta, ex qua, ſicut ex monumentis coævis pleraque, ad hoc et ſequens ſeculum pertinentia, hausimus, persuasi, neminem lectorum a veritate offendendum.

Vix Zwinglius anno 1519. Tiguri ſedem fixerat, totam ferme civitatem in ſuam doctrinam pertraxit, eamque etiam ſpargere per Rhætiam cœpit. Familiaris illi evasit *Iacobus* Rufsingerus Fabariensis abbas, quocum frequens epistolare commercium habuit. Ragatiensium quidam iamiam in fide nutabant, nec in pagis vicinis firmior religio: certe vel ſola novi doctoris agnoscendi cupido plures Zwinglio fautores ex Rhætis conciliavit, quos inter percelebris fuit tribunus Maiævillanus Martinus Saegerus, pariter datis et acceptis ab antesignano novæ doctrinæ epistolis notus; cum eodem conspirabat Salandronius in civitate Curiensi ludimagister, qui iam anno 1518. ad Zwinglium perscripsit, plerosque in Rhætia esse, quos *Romanæ ſimoniæ* tædium cœperit, quibusque nova dogmata probentur. Eius-

a) Goldast. Replic. pro Imp. cap. 4. p. 436. Ausführ. der Gerechtsam. des Gottshausb. p. 106.

dem mentis erant parochus Cazensis, et adolescens quidam Biveronius Samadænus, nec non Andreas Sigfridus pastor Davosii in Rhætigoia. Sic venenum per Curiensem diœcesin clanculum ſerpebat, et audacius paulo in Sarganensi tractu. Acuit periculum episcopi vigilantiam, qui regionis istius parochis varia pro religionis defensione mandata dedisse videtur, v. g. ut certos ſibi libros comparent, peccatores casibus reservatis innodatos ad tribunal episcopi remittant, latam ab episcopo excommunicationis ſententiam ſedulo promulgent etc. Colligi id licet ex ſeptem articulis, quos Sarganenses adversus PAULUM die 3. Iulii anno 1523. confici curarunt *a*). Tantum quippe reverentia erga ſacerdotium defecerat, ut ſeptem vici, quibus parva Sarganensium regio constat, episcopo ſuo, quid agendum, quid non agendum, dictare præsumerent: inhibuerunt autem, nequis ad debita ſolvenda pœnis ecclesiasticis cogatur: ne quædam crimina reserventur, ſed cuivis ſacerdoti libera absolvendi potestas ſit: ne causæ matrimoniales in iudicio protelentur, inutilesve expensæ fiant, ſed divortia pro re nata datis ultro testimoniis permittantur: episcopus clericos in officio ſuo delinquentes punire quidem possit, neutiquam vero ad libros coemendos adigere, si necessariis instructi iam ſint: lites clericorum cum laicis coram iudice loci dirimantur, nec ulla in posterum, exceptis causis matrimonialibus, ad episcopum Curiensem provocatio locum habeat: tandem ex beneficiis non confirmatis ſeu ut vocant, manualibus, nulla episcopo præstatio ſolvatur.

Eodem anno Tiguri habita ſolemni disputatione ex ſenatus consulto missæ ſacrificium, cœlibatus, SS. imaginum cultus, aliaque avitæ religionis capita abrogata fuerunt; tum etiam inter alios PAULUS ſollicitatus a Tigurinis fuit, ut ſiquid adversus novum ſenatus decretum opponere ex ſacris litteris posset, illis denuntiaret; qui tamen nihil respondisse fertur.

VII. Nondum ex Rhætorum animis deleta erat omnis catholica fides; ægerrime ferebant plurimi, Zwinglii errores per patriam ſerpere: clerus minus habebat vel virium vel auctoritatis, qui malo obicem poneret, imo multis erat obnoxius abusibus, maior illi forsan erat tuendorum iurium reddituumque, quam animarum ſollicitudo. Adverterunt id absque labore ſapientiores, qui novationes in ecclesia plerumque ex ecclesiasticorum corruptelis, et canonum violationibus oriri iudicarunt. Irriti iam erant ferme omnes episcopi conatus; Rhæti interim anno 1524. tempore verno Ilantium convenerunt, ibique pro clero ſeptemdecim articulos ſanciverunt, quorum digniores, quoad ſensum, hic adponimus.

a) Cod. prob. N. CXXXI.

„Ut Chriſti doctrina fidelius explanetur, nec populus in errorem inducatur: nulli parocho, ſacellano aut monacho, cuiuscunque conditionis ſit, aliquid ex beneficiis percipere liceat, quibus præſentes et affixi non ſint; ſed omnis ſacerdos beneficii ſui miniſterium, fixo ibidem domicilio, ipſus peragat, non per alium: quod ſiquis facere vel nolit, vel nequeat, neutiquam penes illum ſtet, beneficium alteri tradere, ſed parochianorum ſit, virum aptum, quem malint, ſuæ eccleſiæ præficere. Omnis paſtor ſub amotionis pœna ſuis ovibus in articulo mortis adsiſtere, ac ſolatia adminiſtrare teneatur. Sacerdotis defuncti bona legitimis hæredibus cedant, prout uſu receptum eſt; nec parocho occiſo interdictum fiat, ſed miſſæ ac cæteræ cultus divini partes continuentur. Nulla perſona ſacra moribundos ad legata pia ſollicitare præſumat. Ad iudicium eccleſiaſticum nullæ cauſæ, niſi matrimoniales, aut quæ redditus eccleſiæ concernunt, devolvantur.„

„Episcopi procuratores vel vicarii ultra ius ab hominibus nihil exigant; verum annuis redditibus, expenſis itinerum, et modico honorario, quod ipſis citra debitum offertur, contenti ſint. Cauſas non lingua latina, ut olim, ſed germanica tractent, ut et illi, quorum intereſt, rem intelligant. Tollantur veſtium abuſus, quibus luxuriari clerici ſolent, ut habitu et converſatione plebem ædificent; quod ſi procuratores episcopi intolerando huic malo non medeantur, illud eradicare magiſtratus adlaborent. In cauſis matrimonialibus integrum cuique ſit, pro re nata ad ſummum pontificem Romam adpellare, ea tamen lege, ut is, cui cauſæ comittuntur, Rhætus ſit, non extraneus *a*).„ Signati hi articuli die 3. Aprilis eo fine, ut doctrinæ Zwinglianæ aditus in Rhætiam occluderetur; verum aut non advertebant viri boni, ſe eandem hac agendi ratione ultro accerſere, aut ovina pelle lupum tegebant; quid enim legitimorum paſtorum poteſtate ſucciſa, eaque in populi manus devoluta tutum in religione eſſe poterit? Interim quamvis ſtatuta iſthæc episcopo præiudicioſa ſint; nihil tamen continent, quod fidei catholicæ adverſetur, quum nulla de dogmate aliquo mentio fiat; docent ex adverſo, quanta deſidia plerique paſtorum torpuerint: ſane vix hæreſi in Rhætiam ianua potuiſſet patere, niſi illam aut mali ſacerdotes aperuiſſent, aut boni obſerare neglexiſſent.

VIII. Non cunctabantur Rhæti effectui dare, quæ Ilantii ſanxerant. Eccleſia parochialis S. Martini Curiæ ultra 300. annos ad præpoſitum eccleſiæ cathedralis pertinebat, qui decimas quidem ſedulo percipere, parochi vero munus vicario committere conſuevit. Igitur quum ſenatus vi articulorum ab illo poſtularet, ut vicario dimiſſo parœciam ipſus adminiſtret, vel eidem renuntiet; eam dimittere maluit,

a) Roſ. a Porta loc. cit. T. I. p. 64.

quam insuetum fors in se onus ſuscipere: urgebant ſubinde ſenatores, inito cum ipsis consilio alium virum idoneum constitueret, adsignando eidem non ſolum onera, ſed integros etiam redditus. Verum is plurimum ſuis iuribus obesse ratus, si quasi ex ſenatus consulto beneficia conferret, aut quod prævideret, a se denominatum non acceptandum fore; postulatis assentire noluit: id quod Zwinglianismi in urbem postea introducti potissima occasio fuit; nam illico cives Ioannem Dorfmannum, qui ſub Comandri nomine notior est, ex Helvetia accersitum ſibi pastorem propria auctoritate præfecerunt. Erat is fidissimus Zwinglii assecla cui die 21. Augusti ſuam promotionem per litteras ſignificavit rogans, ut ſuis se consiliis iuvaret *a*).

Eodem anno 1524. die 23. Septembris Paulus episcopus, Andreas abbas Desertinensis, triumque ligarum deputati mutuum inter se fœdus pacti ſunt, vi cuius reipublicæ regundæ forma, publica iuris dicundi ratio, belligerandi modus, aliaque constituta fuerunt: nihil tamen ibi gestum de religione fuit, nisi quod articuli Ilantini denuo confirmati ſint.

Interim nova doctrina in dies augmenta cœpit, quam Falisii (pagus est in extremo Rhæticæ ditionis angulo ſub dominio Maiævillano) paulo post adventum Comandri Tigurinus quidam publice docuit. Ingens ibi populi circum habitantis multitudo confluxerat; nova quippe res visa est, præconem Falisii audire, ſicut etiam Malansii, ambo enim vici parœciæ Maiævillanæ filiæ erant, ubi hinc inde ſolummodo missæ habebantur. Tantum vero novus hic præco effecit, ut ſtatim missæ ſacrificium aliique catholici usus ea in regione abrogarentur. Obstitit equidem præcoci novationi tum clerus Maiævillanus tum præfectus Austriacus; ſed præcone eorum vigilantiæ ſubducto populus conceptos errores retinuit. Plures porro ſacerdotes mali a fide ſacrilege defecerunt, non Maiævillæ ſolum, ſed Davosii etiam, nec non in valle Domestica et Oengadina; imo ipsemet ecclesiæ cathedralis archidiaconus Ioannes Pontiscella et Salandronius Comandro adhæserunt.

IX. Ingemuit ad ista Paulus vix in promtu habens, quod tantis malis opponeret: id unum curare potuit, ne homines male fidi in clerum ſusciperentur; hinc a quocunque ſacris ordinibus initiando iuramentum exegit huius tenoris: *Ego N. de N. clericus Curiensis diœcesis in maiores ordines ordinandus abrenuntio omni hæresi hactenus per quosdam tum veteres tum recentiores in ſanctam ecclesiæ Christi fidem introductæ. Promitto bona fide hoc meo chirographo, me perpetuis futuris temporibus cum ſancta ecclesia catholica*

a) Ros. a Porta loc. cit. p. 67.

in omnibus et per omnia ſenſurum, honeste ſobrieque, ac quemadmodum decet probum ſacerdotem, tum victu tum amictu vixurum, antistitique meo, ac ab eo delegatis magistratibus in omnibus licitis et honestis obediturum; hac quidem lege, ut si huic meæ promissioni contravenero quocunque pacto, fuco vel colore, convictus ac manifestus censear hæreticus, hæreseosque pœnæ ſubiectus.

Hac quidem providentia factum, ut novatorum auctoritas multum deprimeretur, falsique præcones in discrimen et contemptum penes multos paulatim venirent. Zwinglius ea de re certior factus ad ſenatum Curienſem die 14. Iunii anno 1525. litteras apologeticas dedit, hortans rogansque, ne ſectæ inimicis aures præbeant, ſed novam doctrinam, eiusque ministros ſua auctoritate, ope, ſubſidio tueantur, nisi verbi divini contemptum gravissimis a Deo pœnis luere velint. Animati hac exhortatione Curienses erroris defensionem eo lubentius ſuſceperunt, quo magis eorum consiliis favebat: furore accensi in catholicos, ſacerdotes maxime, omnia ſus deque vertere ſunt adnisi; ſustulere hoc anno omnes decimas tam ex vino quam frumento dari ſolitas, mandantes, ut fructus quilibet ſuos domum integros convehat: ſuppreſſerunt immunitates quascunque ecclesiasticas, thesaurorum, qui in templis ſervabantur, avidiſſimi: concitaverunt colonos, qui die 21. Iunii furioso globo Curiam irruebant quosvis tum ſacerdotes tum monachos trucidaturi, prout illius temporis monumenta testantur, quæ extant in archivo episcopi Curienſis ſub titulo: *Historia religionis* ab anno 1524. ad 1646. cuius ſynopsin ante multos iam annos a quodam S. Lucii canonico confectam ad manus habemus. Temperatum quidem tunc a parricidiis, attamen, ut in dictis monumentis legitur: *Reverendissimum dominum ſuffraganeum verberibus exceperunt, lapidibus publice claro die in platea petierunt, et domo ſua eiectum, captum et in mercatorias ædes deductum postridie coram iudice ſæculari acatholico ſtiterunt, eo fine, ut ſectarii parochi errores adprobaret.* Easdem contumelias devorare coactus est Ioannes Brunnerus Curiæ ad S. Regulam parochus, qui ab omnibus ſuis ovibus desertus, atque a ſua ſtatione deiectus est.

X. Admoniti hisce violentiis canonici ecclesiæ cathedralis in generali capitulo, quod die 19. Octobris cogebatur, res pretiosiores, monumenta et litteras, quo meliore modo poterant, rusticorum rapacitati ſubtrahere, ac in tuto collocare constituerunt: id negotii commiſerunt Donato Itero decano, Christophoro Mezlero ſcholastico, Michaeli Schmid cantori, Lucio Itero custodi, Ioanni Udalrico Saxero et Gaudentio de Porta canonicis, qui pretiosiora quæque in loca tuta transtulerunt *a*). Paulus vero episcopus, ut ſuæ ſecuritati consuleret, iamdum Curia dis-

a) Cod. prob. N. CXXXII.

ceſſerat, quod ex capituli litteris die 28. Octobris ad canonicos Moguntinos datis patet, quibus eccleſiæ Curienſis afflictio deſcribitur *a*). Nuntiaverant quippe Moguntini, quam miſero in ſtatu et ipſi hærerent, ac forte ſubſidii aut conſilii quidpiam poſtulaverant; Curienſes vero in reſponſis dabant, ſe illorum ſorte mala maxime affligi, eccleſiam vero ſuam adhuc magis periclitari, emungi, violari; plures canonicorum unacum epiſcopo abeſſe, pleniorem proin reſponſionem in tempus commodius eſſe differendam.

Circa idem tempus etiam anabaptiſtæ per Rhætiam furere ac ſubditos a ſubiectione ſuperioribus præſtanda dehortari cœperunt; eorum quippe dogma primarium eſt, omnes homines prorſus æquales eſſe, nec unum alteri poſſe ſubiici. Præcipuus inter eos extitit Georgius Iacobi Curienſis *Blaurok* dictus, qui monaſticen, quam antea profitebatur, perfidus et ſacrilegus reliquerat. Aſt brevi poſt pernicies hæc publico iudicio Maiævillæ extincta fuit.

XI. Interea ſectariorum numerus indies creſcebat; Paulus vero epiſcopus iam dudum cum *Theodoro* S. Lucii abbate et canonicis ſuis deliberabat, factu quid opus, quid conſultum eſſet, ut torrenti agger opponeretur. Inſtabant comitia publica propediem ante natalem Domini Curiæ celebranda: concluſum proin, Rhætiæ proceres, qui pro more comitiis interforent, rogare, ut ſuam opem et auctoritatem ad errores extirpandos conferrent. Miſſi hunc in finem ad comitia *Theodorus* abbas, epiſcopi vicarius, decanus capituli et canonici cathedrales, qui inter alios Comandrum accuſarunt, quod cum manifeſto veræ fidei periculo falſam doctrinam ſpargeret. Accerſitus Comander repoſuit, ſe nonniſi purum Dei verbum hactenus prædicaſſe, paratumque ſe eſſe, publicam ſuæ doctrinæ rationem reddere; tantumque effecit, ut res publicæ diſputationi decidenda relinqueretur, quæ ad 7. Ianuarii diem anno 1526. Ilantii inſtituenda indicebatur.

Comander interim ſociorum conſilio uſus doctrinæ ſuæ capita in 18. articulos ſeu propoſitiones redacta typis evulgavit, quibus omnem eccleſiæ auctoritatem, cœlibatum, ieiunia, purgatorium, ſacrificium miſſæ, et imaginum cultum etc. abrogata voluit. Conſtituta die Ilantium convenere Pauli epiſcopi vicarius, ſuffraganeus, *Theodorus* abbas, et præter tres decanos duo ex ordine Fratrum Prædicatorum Curienſes, aliique theologi. Vicarius in templo parochiali conventum fieri iuſſit, murmurantibus Zwinglianis, nihil tamen contra moliri auſis, ibique epiſcopi nomine ſermone habito omnes ad unionem et avitam religionem retinendam paterne ad-

a) Cod. prob. № CXXXIII.

hortatus est, quum interim novatores convitia excoquerent. Sermone finito ſingulorum ſententiæ rogabantur: *Theodorus* abbas disputationem ſupervacaneam, nilque profuturam adseruit, quum imperialia comitia imminerent, quæ res politicas essent tractatura, œcumenicum quoque instaret concilium, quod de religione leges daturum esset. Episcopus ſuffraganeus, quid ſentiret rogatus, complicatis manibus per Deum omnes obsecravit, ut in avita perstarent fide, addito consilio, ex utraque parte tres quatuorve ſeligendos, qui causam privatim dirimerent, et amice. Eiusdem ferme ſententiæ et tres decani erant. Demum etiam Comander loqui iussus, ſuperbe nonniſi disputationem fieri voluit, quasi hominum manipulus Ilantii congregatus, quid credendum, quid non credendum adversus unanimem ecclesiæ consensum determinare posset. Disputatum ergo biduo fuit, ſeu altercatum potius, reque infecta discessum.

XII. Nihil vero Paulus intentatum reliquit, quo hæresin compesceret; peropportunam inter alia occasionem præbere videbatur bellum inter Ioannem Medicæum Mussii castellanum et Rhætos exortum [fusius id narrant Sprecherus *a*) et Quadrio *b*)]. Quum enim Rhæti Helvetiorum ſubsidiis indigerent, hi vero moniti ab episcopo illa præstare renuerent, nisi hæresis ex Rhætia abigeretur; ad magnas angustias redactæ tres ligæ fuerunt. Siquidem Helvetiorum legati in publicis Curiæ comitiis catholicorum pagorum nomine postulaverunt, ut hæreticos, Comandrum præprimis pellant, ſecus nec amicitiam, nec opem ab Helvetiis ſperandam fore; præterea litteras petiverunt ſigillo munitas, quas tanquam petitionis completæ testes ad dominos ſuos deferre possent. Anxii inexpectatis hisce postulatis Rhætorum proceres id responsi dabant: tanti momenti rem ad communitates devolvendam esse, rogari legatos, ut interim, dum communitates in consilium vocarentur, cum Medicæo de pace et induciis agerent. Profecti igitur Helvetii, Richmutus et Flaeckensteinius erant, unacum *Theodoro* S. Lucii abbate pacis ineundæ negotium in se ſusceperunt, de cuius ſuccessu *Theodorus* die 18. Februarii Clavenna Curiam perscripsit, haud alia ratione pacis induciarumve ſpem dari, nisi quævis communitas Lutheri ac Zwinglii hæresin eiuret, episcopo Curiensi ſtipulatis ſubsidiis adhæreat, ac undecim demum millia ducatorum pro captivorum redemtione ſolvantur.

Acceptis his litteris Rhæti conventu Curiæ indicto de religione, qua pacem compararent, deliberarunt, atque episcopi et ſacerdotum catholicorum opera hocce decretum ediderunt: *Quoad religionem observanda esse missam, ſacramenta, cultum matris Dei, et honorandorum Sanctorum, pædobaptismum; item confessionem auricularem, et cæteros*

a) Pall. rhæt. Lib. IV. p. 121. etc. *b*) Dissertaz. VII. T. I.

ritus chriſtianos; et cum eis etiam prædicandum eſſe evangelium et verbum Dei. Qui vero his non adſtipulatur, pœna mulctetur, quæ nobis viſa fuerit; reſervata tamen meliori informatione, quam edoceri poſſemus ſeu per diſputationes, concilia, aut aliam viam a). Ex adiecta clauſula patet, quam parum ſincere egerint Rhæti; imo complures in iſtud ſenatus conſultum conſentire renuerunt, neque alium PAULI epiſcopi providentia effectum ſortita eſt, niſi quod plebs magis magiſque exacerbata fuerit, ac ipſemet præſul publicæ tranquillitatis turbator paſſim audiret.

XIII. Tandem ſapientiores quique pro reſtituenda tranquillitate nil magis conſultum exiſtimarunt, quam ut omnibus Rhætis licentia fieret, quamcunque ex duabus mallent, religionem profitendi. Hinc totius reipublicæ placito conſcientiæ libertas hoc anno 1526. publice introducta fuit, ut omnes vel Catholici eſſe, vel Zwingliani poſſent, excluſis tamen ſectis aliis quibuscunque *b)*. Severe præterea inhibitum, ne alter alterum religionis ergo vexare, ridere vel quacunque ratione inſectari præſumat. Coaluit hoc edicto, inter cives ſaltem, concordia, ita ut teſte Gallicio ad Bullingerum ſcribente reformati catholicos, et hi viciſſim illos pro teſtibus ad baptiſmum adhiberent.

XIV. Ex adverſo libertatis conſcientiæ decreto ſemel promulgato, Rhæti id unum agere videbantur, ut epiſcopi auctoritatem, quantumcunque poſſent, iuraque delerent. Semper is gaudebat poteſtate Zuzienſem ſuperioris Oengadinæ prætorem adprobandi, præfectos Supraſaxæ et Fürſtenovii deſignandi, et quarumdam ditionum in Fœdere cathedrali *Landamannos* confirmandi: eius quoque officiales aliqui ſenatoria dignitate Curienſi in urbe pollebant. Habebat porro epiſcopus varias per Rhætiam toparchias, feuda, caſtella, dominia, quæ omnia propemodum una die amiſit; iſthæc namque iura, utut antiqua et ſolida, Rhæti die 25. Iunii anno 1526. in oppido Ilantino per viginti articulos ſolemni iureiurando firmatos proprio marte ſuſtulerunt. Quæ adverſus epiſcopum clerumque catholicum decreverunt, partim ex Roſio a Porta *c)*, partim ex monumentis, quæ ad manus ſunt, hic ſubiungere viſum.

Per primum articulum epiſcopo Curienſi, omnique ordinis eccleſiaſtici viro adimitur poteſtas prætores aut iudices in tribus Griſoniæ ligis conſtituendi; ſancitur etiam, ne ulli *miniſteriales* epiſcopi, quamdiu eius functionibus et officiis deſerviunt, ad ulla comitia, alioſve conſeſſus, in quibus de re publica agitur, poſthac admittantur. Tenore huius articuli paulo poſt Petrus Traverſius Oengadinæ prætor

a) Roſ. a Porta Hiſt. reform. T. I. Lib. I. p. 143. *b)* Ibid. p. 145. *c)* Ibid. p. 148.

Paulo non conſulto conſtituebatur, ut prætenſum ius ſuum non tam a lege, utut contorta, quam ab actu firmarent.

Articulo quarto fundationes anniverſariorum pro defunctis abolentur; ſublato enim purgatorio ad quid iſtæ fundationes? fundi vero et redditus eo fine eccleſiis adſignati vel hæredibus, vel iudici ſæculari reddi iubentur. Quinto conſtituitur, ne ulli amplius novitii intra monaſteria recipiantur, nec religioſi mendicare præſumant: monaſterii cuiusque adminiſtrationi vir idoneus præficiatur, ac monacho cuilibet ad dies vitæ honeſta ſuſtentatio præbeatur; ſi quid porro ſuperfuerit, id hæredibus aut fiſco cedat. Tribus ſequentibus articulis abolentur decimæ minores, variaque circa maiores ſtatuuntur, v. g. ne amplius colligantur in agris, ſed ſolvantur in horreis, ſingularibus vero perſonis locatæ communitatibus conſignentur. Decimo mortuaria et angariæ conſtringuntur. Decimo tertio parocho cuilibet congrua ſuſtentatio permittitur; omni autem communitati liberum relinquitur, quem malit, parochum ſeligere, et iterum ex arbitrio dimittere. Subſequis articulis omnis adpellatio ad iudicium epiſcopi Curienſis interdicitur, caveturque, ne dignitates et beneficia eccleſiaſtica extraneis, ſolis vero Rhætis, conferantur, ita, ut nec ipſamet electio epiſcopi abſque ligarum conſilio et aſſenſu fieri poſſit.

Hac ratione ſublata fuit ferme omnis in Rhætiam Curienſis epiſcopi poteſtas tam ſacra quam civilis, eique præter nudum nomen vix aliquid relictum: redditibus direptis eccleſia ad ſummam pauperiem devenit, alias ære alieno preſſa plurimo. Hactenus octodecim canonici cum quindecim ſacellanis, aliisque miniſtris ad officium divinum neceſſariis utcunque ſuſtentari honeſte et condigne poterant; nunc vero vix quinque aut ſex canonicorum cum unico ſacellano. Miſeriam in immenſum auxit a fide in dies deficientium multitudo: ferme ubivis prævaluit Zwinglii doctrina, miſſa abrogata, ſanctorum imagines disiectæ, cæterique veræ religionis aboliti ritus. Quaſi claſſicum dedit Comander in Curienſi S. Martini templo, ubi aris confractis primus ritus acatholicos invexit, quem illico alii atque alii multis in locis ſubſecuti ſunt. Non deerant inter catholicos magno animarum zelo præditi, qui fratres errantes manſuetudine, precibus, blanditiis, donis etiam ſat amplis ad eccleſiæ ſinum reducere ſategerunt; verum acatholici beneficiis nonniſi convitia reddebant, fideles leonum, tigridum, urſorum, viperarum fœdis nominibus compellantes, prout patet ex Comandri ad Vadianum S. Gallenſem epiſtolis, illa præſertim die 28. Aprilis anno 1527. exarata *a*).

a) Roſ. a Porta loc. cit. p. 157.

XV. Rebus adeo afflictis ac pene deſperatis qua arte conſuleret anceps hæſit PAULUS, luctuoſam vitam trahens modo Oetingæ in Bavaria, quo iam dudum diſceſſerat, unde ad canonicos aliquoties epiſtolas dedit *a*), modò in arce ſua Fürſtenburgica. Spes tamen aliqua in *Theodori* abbatis prudentia et fidelitate afful-gebat: is quum ante triennium, ut ſupra retulimus, ad caſtellanum Muſſienſem pro pace ineunda ablegaretur, amicitiam cum Ioanne Angelo Medicæo caſtellani fratre, ac poſtmodum Pio IV. pontifice contraxit, atque effuſis omnibus in eius ſinum Curienſis eccleſiæ ærumnis, opem imploravit. Grata hæc Medicæis occaſio videbatur, tam ut afflictæ diœceſi ſuccurrerent, quam ut vallem Telinam ſuæ ditioni facilius adiicerent. Pro feliciore ſucceſſu id conſilii cœperunt, ut PAULUS mitram Curienſem, cuius alias maxime eſſet pertæſus, Ioanni Angelo pro annua penſione reſignaret. Conſilii auctor ipſemet PAULUS fuiſſe videtur; certum nam-que eſt, quod anno 1528. datis Curiam ad canonicos litteris reſignationis propoſi-tum manifeſtaverit, rogans, ne adſenſum denegarent. Illi vero in reſponſis dabant, impares ſe eſſe, qui circa propoſitam reſignationem ſolidi quidquam concluderent, quum plerique canonicorum ob graviſſimos Griſonum terrores, Sarganſii, Wallen-ſtadii, Velcuriæ aut alibi latitarent, quin tam facile ad mentem ſuam declarandam cogi in unum poſſent: rem eſſe periculi pleniſſimam, ſi vel umbra reſignationis innoteſceret; nam populum furere ac inſanire timentem, ne epiſcopatus in Medi-cæorum manus deveniat, quodſi fieret, neminem canonicorum vitæ ſecurum fore; ſe proin rogare vehementer, ut pro vitæ fortunarumque, quæ permodicæ adhuc relictæ eſſent, ſecuritate ab eo conſilio deſiſtat, aut illud ſaltem in tempus magis commodum differat, ſecus timendum, ne epiſcopatus conſervandi ſtudium in eiuſdem excidium vergeret *b*). Eventus docuit, canonicos vera ſcripſiſſe; quum enim inſuperhabito illorum reniſu negotium reſignationis per annum 1528. ultro citroque agitaretur; *Theodorus* S. Lucii abbas, qui rem maxime et iuvabat et urge-bat, ſtudia ſua crudeli morte luere coactus eſt. Clara Medicæa Angeli ſoror Wolf-gango Theodorico comiti de Amiſio alto deſponſata erat; Angelus igitur occaſio-ne nuptiarum, quæ propediem celebrandæ erant, epiſcopatus Curienſis poſſeſſio-nem reapſe aditurus credebatur: et ecce conſiliis perfide detectis *Theodorus* abbas cum aliis Curiæ in vincula coniicitur, torquetur et die 22. Ianuarii anno 1529. ca-pite truncatur, quemadmodum in parte tertia fuſius narrabimus, ſicque omnia in irritum ceciderunt.

PAULUS, ne quid intentatum relinqueret, menſe Martio anno eodem ad comi-tia Spirenſia profectus lugubrem Rhætiæ ſtatum ibidem expoſuit; eius inſtinctu lit-

a) Cod. prob. N. CXXXIV. *b*) Compend. Hiſt. religion. Mſc. cap. 2. §. 1.

teræ ad Rhætos exaratæ fuerunt, quibus doctrinam Zwinglianam deſerere iubebantur, aſt nullo cum effectu *a*). Hæreſeos quidem progreſſum præconum acatholicorum paucitas, et victus penuria paulisper retardare viſa eſt, quod Comander et Gallicius in frequentibus ad Vadianum et Bullingerum litteris vehementer queruntur. Verum defectum hunc brevi ſupplebant Itali apoſtatæ, qui inquiſitionis terrore ex patria in montes profugi errores per Rhætiam et Helvetiam ſparſerunt. Hos inter præcipuus Bartholomæus Maturus dominicanus Cremonenſis, qui Prægallos pervertit, quem variis in locis ſequuti ſunt Auguſtinus Maynardus Pedemontanus antea S. Auguſtini monachus, Iulius Mediolanenſis, Petrus Martyr, Celſus, Ulyſſes et Maxim. Martinengi de Brixia, Galeatius Caracciolus, et alii quam plures *b*).

XVI. Interea fœderati domus Dei epiſcopum diu multumque ſollicitarunt, ut ad ſuam eccleſiam rediret; qui ſaluti ſuæ conſulens obtemperare recuſavit. Iſti igitur redditus et iura epiſcopatus intercipiunt, bona plura vendunt, æris alieni partem ex iis expungunt, cæteris fiſco addictis. Adhæc in controverſiam vocabantur proventus annui ex Valletelina, Bormio et Clavenna, ea potiſſimum ratione, quod epiſcopus in belli expenſas nihil de ſuo contribuiſſet; aliæque plurimæ iniuriæ fiebant, adverſus quas canonici Feldkirchii in feſto S. Galli anno 1529. quotquot poterant, congregati ſolemnem proteſtationem interpoſuerunt; inſuper libellum ſupplicem ad Ferdinandum regem exararunt. Anno ſequenti ineunte idem egit PAULUS epiſcopus datis ad Carolum V. imp. litteris demiſſime flagitans, ut cæſarea auctoritate extremæ Curienſis eccleſiæ neceſſitati proſpiceret *c*). Eodem tempore Rhæti epiſcopi iura in Vallemtelinam Ioanni Ebli Glaronenſi decidenda commiſerunt, qui die 31. Ianuarii hoc anno 1530. ſanxit, ut epiſcopus omne ius in dictam vallem tribus ligis ultro reſignaret, pro quo ſingulis annis mille libras imperiales acciperet *d*). Ipſemet PAULUS, ut eſſet ſolvendo, quæ Ludovico Tſchudio debuerat anno 1532. decimas in *Trimis* et *Saygis* vendidit *e*).

XVII. Porro eccleſiæ Curienſis ſubditi epiſcopi poteſtati paſſim ſemet ſubduxerunt modico pretio perſoluto: ſic Puſclavienſes anno 1537. per 1200. fl. dynaſtia Greiffenſteinia per 2300. fl. iudicia vero in Lugnitio, Ilantio et Fovea per 1800. florenos ſe redemerunt *f*). Hac autem ratione eccleſia bonis iuribusque privata proxime aberat ab excidio, mirumque videri debet, illam exhauſtis tot adverſis adhucdum florere.

a) Hottingers Schweizergeſchichte T. III. p. 464. *b*) Roſ. a Porta loc. cit. T. I. Lib. II. p. 30. — 35. *c*) Cod. prob. N. CXXXVII. *d*) Sprecher. loc. cit. Lib. VI. p. 169. *e*) Archiv. Curienſ. *f*) Leu Helvet. Lexic. T. V. p. 289.

Paulo noſtro etiam cum Ferdinando I. Rom. rege negotium fuit propter ſuos ſubditos in comitatu Tyrolenſi in *Naudersberg*, *Glurns* et *Mals* ratione tributorum aliorumque iurium; res tamen feliciter deciſa eſt die 30. Iunii anno 1540 *a*). Haud diu poſt graviſſimæ calamitatum moli cedens Paulus terris valedixit die 25. Auguſti anno 1541. in monaſterio Mariæmontano honorificentiſſime ſepultus, præſul ævo meliore digniſſimus.

LXXIV.
LUCIUS.
Ab anno 1541. ad 1549.

XVIII. Rebus eccleſiæ Curienſis adeo exulceratis novi præſulis electio vix non impoſſibilis poterat videri; canonici huc illucque diſperſi, poteſtas et vis omnis penes ſeculares, regionis incolæ maximam partem novationi addicti erant; demum vix ullus in eiusmodi circumſtantiis oneri epiſcopali humeros ſuos ſubiicere facile volebat. Nihilo tamen ſecius canonici die 3. Octobris anno 1541. congregati negotio non admodum difficili elegerunt Lucium cognomine *Yterium* Curia oriundum, antea eccleſiæ cathedralis præpoſitum.

Tantopere vero capituli iura hactenus contrita fuerant, ut eligendi facultatem a fœdere domus Dei petere opus habuerit, quam etiam ea conditione impetravit, ut promittere debuerit, ſe nunquam poſthac epiſcopum ſine præſcitu et conſenſu fœderis electurum, ſed articulos anni 1526. inviolate ſervaturum *b*), quos etiam Lucius poſt ſuam electionem iureiurando firmare coactus eſt *c*), ſunt autem ſequentes: 1. Epiſcopus Curienſis adverſus regiminis in rempublicam inducti formam, conſcientiæ libertatem, et ſtatuta comitiorum nihil adtentare præſumat. 2. Cuncta, quæ fœderati in *Pauli* Ziegleri epiſcopi abſentia circa eccleſiæ iura et bona geſſerunt, rata habeat et adprobet. 3. Sine capituli et fœderis cathedralis conſenſu nihil alienet. 4. Si quid forte ſecus agere videatur, fœderi rationes reddere obſtrictus ſit. 5. Officia et munia nemini, niſi fœderatis conferre poſſit. 6. Demum careat facultate abſque capituli ligæque aſſenſu epiſcopatum alteri cuivis reſignandi. Famoſis hiſce apud Rhætos articulis, qui libertatem eccleſiaſticam

a) Lunig. Spicil. eccl. contin. III. p. 1049. *b*) Ausführ. der Gerechtsam. des Gottshausb. p. 14. et 15.
c) Cod. prob. N. CXXXVIII.

quaſi catenis conſtringunt, Lucius aſſenſum ſuum præbuit die 20. Octobris anno 1541 *a*).

Neque hæc agendi ratio perſpicaci præſuli vitio vertenda eſt, ni enim Ligarum poſtulatis annuiſſet, forte epiſcopatus Curienſis et religio catholica omnis Rhætia exulaſſet. Prudentis eſt, eorum, quæ recuperari abſque graviore detrimento non poſſunt, iacturam pati, ut potiora ſerventur. Certe firmatis articulis iſtis maxima Griſonum pars Lucium epiſcopum acceptavit, ſuumque eidem et eccleſiæ Curienſi patrocinium promiſit, ſola civitate Curienſi et Prægallia exceptis, utpote quæ totum epiſcopatum ſublatum volebant; attamen biennio poſt reliquis ſe aggregarunt, poſtquam Lucius regalia a Ferdinando Romanorum rege accepiſſet: confirmatus eſt a Paulo III. papa VI. Calend. Maii anno 1542. Fuit hic epiſcopus ingenio magnus, corpore parvus, ut ait Campellus *b*), qui ſua manſuetudine, et in exequendis promiſſis fidelitate totius Griſonum reipublicæ, magna licet ex parte iam acatholicæ amorem et exiſtimationem comparavit.

XIX. Interim Lucio perſecutio non defuit: ex redditibus Valliſtelinæ ſtatim ab initio eidem 935. floreni a Rhætis ſubtracti fuerunt. Dehinc Ioannes Blaſius Zwinglianus ad S. Regulæ Curiæ miniſter editis quibuſdam germanico idiomate dialogis atrociſſima calumnia tam epiſcopum quam canonicos verberabat, vitæ eos maxime licentioſæ incuſans; quin eo progredi auſa eſt Blaſii malitia, ut Regulam mulierem quamdam procacem in ſinu Lucii quaſi concubinam foveri ſcripſerit. Per omnium manus iam volitabat libellus infamis, quum menſe Octobri anno 1542. Curiæ conſueta Griſonum comitia fierent, in quibus communitates illæ, quæ Lucio mutuum iuramentum præſtare hactenus recuſarant, tandem ad officium redactæ fuerunt. Ea occaſione impudens calumniator ab epiſcopi miniſtris accuſatus, et iudicum auctoritate coram toto ſenatu publice ab epiſcopo genuflexus veniam petere iuſſus eſt, quam Lucius faciillime conceſſit, et iudices, nequid durius in illum decernerent, rogavit, memor illius præcepti: *Orate pro perſequentibus et calumniantibus vos.* Matth. cap. 5. v. 44.

XX. Ab eo tempore tantum inter Curienſes concordiæ ſtudium fuit, ut acatholici catholicorum infantes, et hi illorum e baptiſmo levarint: imo, ſi cuidam Gallicii epiſtolæ credendum, ipſemet Lucius patrini munus non ſemel apud heterodoxos ſubiit. Zwinglii interim doctrina indies maiora incrementa cœpit in Oengadina præprimis, Clavenna, Peſclavio, ac ipſa valle Telina; multi namque Rhæti

a) Cod. prob. N. CXXXVIII. *b*) Lib. II. cap. 60.

acatholici artium, commercii, aeriſve mitioris cauſa ſedem iſtis in regionibus fixerunt, quibus quum transfugæ Itali accederent, luem undequaque facili negotio diffuderunt. Clavennatenſium media ferme pars avitam religionem abiecerant. Male fidi porro quidam monachi ex Italia errores ſuos per Oengadinam ſparſerunt, qui nec catholicis nec acatholicis probabantur; inter eos eminuit *Franciſcus* Calaber, qui Vettanii Oengadinæ inferioris pago venenum ſuum evomuit. Impius hic advena anno 1544. Suſium evocatus, ubi aderat *Thomas Planta* Fürſtenburgi tum caſtellanus, habitaque biduana diſceptatione Rhætia pulſus fuit *a*).

Anno iam præcedente 1543. in dieta Norimbergenſi ad epiſcopum Curienſem, S. Galli et Deſertinæ abbates eadem poſtulata, quæ anno 1521. ad epiſcopum Paulum facta fuerunt, ut nimirum tanquam principes imperii ſolitas præſtationes exſolverent. Verum Helvetii dictis præſulibus, ne obtemperarent, inhibuerunt, datiſque die 14. Febr. ad Carolum V. imp. litteris declararunt, eccleſias Curienſem, S. Galli et Deſertinenſem ſub tutela reipublicæ tanquam eiuſdem membra conſiſtere, proinde haud ſecus, ac ipſam rempublicam a præſtationibus imperialibus liberas eſſe, nec iudicio camerali ſubiectas *b*).

XXI. Cæterum Lucius optata cum Rhætis pace et concordia fruebatur, quam quum omnes tres ligæ die 11. Novembris anno 1544. renovarent, epiſcopus publicis tabulis, quæ deſuper erigebantur, primus nomen et ſigillum ſuum adpoſuit *c*). Omnium amicus amiciſſimum ſibi habuit Gerwicum abbatem ad Vineas, quem ut patrem coluit, nihil ſine eius conſilio agere ſolitus. Variis incommodis et negotiis præpeditus conſecrationem epiſcopalem hactenus percipere nullibi poterat; eam tandem die 4. Ianuarii anno 1545. obtinuit Mariſburgi a Ioanne Lundenſi epiſcopo Conſtantienſi, præſentibus Gebhardo Peterſhuſano et præfato Gerwico ad Vineas abbatibus *d*).

Eodem anno menſe Decembri cœptum eſt œcumenicum concilium Tridenti: Paulus III. papa ad Helvetios miſit Albertum Roſinum, qui præſules invitaret, ſecum is tulerat *Breve* pontificium ad epiſcopos Curienſem et Sedunenſem die 6. Aprilis anno 1546. directum, quo miſſa omni mora Tridentum proficiſci iubebantur. Verum Lucius ne exacerbandis per ſuum diſceſſum Rhætis eccleſiam ſuam perdendam relinqueret, domi remanſit *e*). Dubium non eſt, quin abſentiam

a) Roſ. a Porta Hiſt. reform. T. I. Lib. II. p. 67. — 76. *b*) Ausführ. der Gerechtſam. des Gottshausb. p. 106. *c*) Ibid. Beyl. N. I. Lit. W. *d*) Heſs. Prodrom. Monum. Guelph. p. 252. *e*) Roſ. a Porta loc. cit. p. 354.

ſuam per litteras excuſarit; nam eodem anno a ſummo pontifice nuntii apoſtolici dignitate auctus dicitur, atque ab Henrico II. Galliarum rege abbatiam B. V. Mariæ de valle in Picardia obtinuit. Die ultima Ianuarii anno 1548. Ferdinandus Rom. rex feudorum ſeu beneficiorum Tyrolenſis comitatus, ſicut et pincernatus inveſtituram a LUCIO accepit *a*). Vivere demum deſiit hic præſul pridie nonarum Decembrium anno eodem.

LXXV.
THOMAS.
Ab anno 1548. ad 1565.

XXII. *Lucii* obitum canonici illico nuntiarunt fœderatorum ſenatui Curiæ congregato, petentes, ut ſucceſſorem deligendi facultas daretur; eo enim Rhæti ſuam poteſtatem extulerant, ut abſque eorum ſuffragio fieri nihil poſſet. Senatores percepta prius cuiusvis communitatis ſeu vici voluntate quaſi gratiæ loco largiti ſunt, ut epiſcopus denuo eligeretur, ea tamen conditione, ut famoſos ſex articulos in electione *Lucii* ſtatutos iureiurando canonici firmarent: inſuper fœderati ſibi reſervare ſunt auſi facultatem, electum, prout libuerit, vel adprobandi vel reiiciendi. Lubenti animo acceptare tenebatur capitulum, quidquid iſti aut iuſſerant aut petierant, ne vel qualicunque iurium defenſione omnia peſſumirent: ſerviendum et hac vice erat tempori, utut iniquo; ſecus actum de Curienſi epiſcopatu videri poterat, nec enim aliqua ſubſidii ſpes aliunde canonicis affulgebat. Itum ad vota die 21. Decembris, electusque eſt THOMAS de *Planta* a *Zutio* Oengadinenſis *b*). Confirmatus eſt a Iulio III. papa XIV. Cal. Aprilis anno 1549. novem et viginti annos natus.

XXIII. Vehementer ea res pupugit Saliceorum familiam, quæ *Bartholomæum* Sondrienſem archipresbyterum infula decorari cupiebat; id quod THOMÆ litem ſat acerbam acceſſivit. *Bartholomæi* fautores multa in eo reprehendebant; accuſabant illum, quaſi ſuſpectum de hæreſi, utpote qui diebus prohibitis veſci carnibus ſoleret, et quamvis iam dudum canonicus, imo præpoſitus miſſam celebrare negligeret. Protulerunt inſuper quamdam Blaſii eccleſiaſtæ Curienſis epiſtolam Baſileam filio miſſam; quæ inter alia hæc referebat: *Epiſcopus noſter vitam cum morte commu-*

a) Archiv. Curienſ. *b*) Ausführ. der Gerechtſam. des Gottshausb. Beyl. N. I. Lit. C.

tavit, ei ſucceſſit quidam, quem episcopus unacum canonicis pro Lutherano proclamavere; iuvenis est nondum oleo papiſtico unctus; ſperamus eum nihil contra Deum meditaturum.

De his omnibus Sondrienſis archipresbyter Iulium III. papam, certiorem reddidit, tantumque effecit, ut in Vallemtelinam inquiſitor mitteretur, qui Thomæ fidem teſtibus auditis examinaret. Conſilio comperto Thomas Ioannem Traverſium Zutienſem Morbennium, ubi inquiſitor ſubſtiterat, ablegavit, atque a Georgio Traverſio, penes quem tunc rerum ſumma ea in valle fuit, petiit, ne inquiſitori ulla in episcopum inquirendi facultas fieret, quod etiam obtinuit; is enim re infecta abire iuſſus est *a*). Verum pontifex utramque litigantium partem pro cauſa agenda Romam venire iuſſit: paruit Thomas innocentia fretus; illum comitabantur Ioannes Planta Cernetienſis, Iacobus Traverſius episcopi conſobrinus, et Zacharias Nutti eidem perquam familiaris. Romam veniens indigne habitus, et in cœnobio quodam cuſtodiæ traditus fuit. Quod quum ægre ferrent Rhæti, fuerunt ex Helvetiis catholicis, qui pontifici ſuaſerunt, Thomam libertati redderet ac ſiquid peccaſſet, ad Rhætos puniendum remitteret; ſecus timendum fore, ne illi iure talionis uterentur, ſiquis forte pontificis legatus Rhætiam tranſiret. Tantus interea fuit Saliceorum in accuſando Thoma labor, ut nil relinquerent intentatum, donec inquiſitorum unus, Bergomas is erat, in Rhætiam mitteretur, teſtes ibi auditurus. Hac de re Thomas ad cognatum ſuum Ioannem Traverſium Roma die 8. Auguſti anno 1551. litteras dedit, ſignificans, se valere, atque a ſacri palatii magiſtro benigne haberi, rogatum quoque se ab inquiſitore fuiſſe, ne ulla a Rhætis illi moleſtia fieret: præterea Ioannem, cæteroſque hortatur, ut inquiſitorem perhumane ſuſcipiant, et fraudibus adverſariorum commode obviam ire curent, quo facilius eorum malitia detegatur.

Favit ius innocentiæ, nam pontifex de Thomæ ſana fide perſuaſus, eum ad ſuam eccleſiam remiſit, imo apoſtolici legati a latere dignitate auxit *b*). Felicem hunc ſucceſſum excepit regalium confirmatio a cæſare facta, et totius cathedralis ligæ in eius electionem conſenſus. Fuit porro Thomas præſul affabilis multum comiſque, liberalis in amicos et pauperes, corpore præterea eleganti et obeſo, ſed altero claudus pede; unde ab inimicis non fide minus, quam greſſu claudicare dicebatur *c*). Cæterum miror fuiſſe, qui contentionibus mitram Curienſem ambierint, eo tempore, quo nonniſi ſummo dolore geſtari potuit.

a) Quadrio Diſſertaz. III. Vol. II. p. 57. *b*) Cod. prob. N. CXXXIX. ab initio. *c*) Ros. a Porta loc. cit. p. 231. ſeq.

XXIV. Roma redux THOMAS inſciis Rhætiæ proceribus Tridentum ad ſynodum profectus eſt anno 1552. tum ſuo tum Ioachimi abbatis Einſidlenſis nomine *a*); quo facto mire offenſi Griſones, quaſi contra datam fidem debitamque ſubiectionem egiſſet; illico ad illum tabellarium miſerunt cum monitis, ne quidquam ſe facturum promitteret, memor, nullam ſe poteſtatem habere; quodſi vero monitis neglectis quidquam præſumeret, malum ab ipſomet in caput ſuum adſciſci intelligeret, iuxta declarationem, qua quicquid acturus eſſet, pro nihilo haberi deberet. En! in quantam vilipenſionem epiſcopi auctoritas penes Rhætos devenerit; unde haud immerito Comander: *Epiſcopus quidem Dominus dicitur, ſed ruſtici dominantur.* Nihilominus THOMAS Tridenti permanſit usque ad Martii menſis medium *b*), donec nimirum adventu Mauritii Saxonis ſynodus ſolveretur. Antea die 4. Februarii epiſcopus ad Ioannem Traverſium perſcripſit, ſecum conſtituiſſe, Oenipontem proficiſci, huncque ſuum amicum eodem invitat *c*); utrum reapſe illuc profectus ſit, quidve ibi egerit, non compertum.

XXV. Interea novatorum doctrina etiam Prægalliam invaſit, cui favebant nobiles de Præpoſitis dicti, ſeu Prævoſtii. Hinc papa, rogatus forſan a THOMA epiſcopo, ut hæreſis progreſſum in Rhætia ſiſteret, illuc ſuum protonotarium Paulum Odeſcalcum Comenſem ablegare ſtatuit, qui fideles in avita religione firmaret, lapſosque, ſi poſſet fieri, reſtitueret. Præſtolabatur pontifex commodæ propoſitum ſuum exequendi occaſioni, quam eidem anno 1553. Carolus V. imperator obtulit, quum ſecretarium ſuum Ioannem Angelum Rizium ad Helvetios Rhætosque mitteret propter quaſdam cismontanas præfecturas et commeatum. Cæſareo huic legato ſuum quoque pontifex adiunxit, ut illius ſubſidio cœpta conſilia facilius exequi poſſet *d*). De eodem negotio THOMAM epiſcopum per litteras die 22. Iulii certiorem reddidit, hortans, ut Paulo Odeſcalco pro ſuo epiſcopali munere opem ſubſidiumque conferat. „Noſtrum conſilium, inquit, cum tua fraternitate per has noſtras litteras communicare volumus, eam hortantes, ut omne ſuum ſtudium, opem, auctoritatem ad hoc tam pium ſalutareque negotium adiuvandum conferat; ſicut tu quidem et Deo ipſi, et muneri tuo epiſcopali, quæ in iſtis ipſis regionibus fidei tuæ commiſſa eſt cura, inprimis es adſtrictus etc. *e*).„

Comum itaque advenit Odeſcalcus Auguſto menſe cum quatuor monachis ibidem præſtolatus, donec opportunam Rhætias intrandi anſam nanciſceretur, qua brevi obtenta Curiam profectus, cum epiſcopo de exequendo munere iniuncto de-

a) Cod. prob. N. CXXXIX. *b*) Hugo Sac. antiq. Monum. T. I. p. 323. *c*) Ros. a Porta loc. cit. p. 362. *d*) Baronii Annal. T. XXI. P. II. p. 97. *e*) Ros. a Porta loc. cit. in Analectis p. 645.

liberavit. Verum tam illius, quam Rizii, quem Cæſar miſerat, conatibus vehementer reluctabatur tunc forte præſens Ioannes Fraxineus Galliarum regis legatus, qui Rhætos monuit, inſidiis plenam eſſe legationem, Cæſarem ſub religionis prætextu nonniſi turbas et perniciem reipublicæ machinari. Unde nihil effectum, niſi quod indefeſſum pontificis ſtudium pro ſervanda fide monſtratum fuerit. Odeſcalcus tamen diutius in Rhætia remanſiſſe videtur; eius ſaltem comites monachi huc illuc ab epiſcopo per diœceſin emiſſi ſua prædicatione fideles ſtabilire, et errantes revocare in ovile adlaboraverunt.

XXVI. Hactenus Thomas ſtudio et vigilantia hæreſin a *Zutio* natali ſuo loco arcebat; verum anno 1554. quum iam longe maior eſſet acatholicorum numerus, exploſis epiſcopi conatibus vetera ſacra cum miſſæ ſacrificio illo ex oppido eiecta fuerunt. Imo timendum erat, ne in ipſa cathedrali eccleſia miſſa abrogaretur; ſic enim die 16. Ianuarii hoc anno Gallicius ad Bullingerum perſcripſit: „Sacrificuli hic Curiæ in cathedrali ſua eccleſia timent ſibi, quod neſcio quis eis dixerit, me ſatagere de extirpanda et ipſorum miſſa, canonicisque abolendis; *certe non difficile factu hoc foret, ſi modo quæ miſſam abrogarunt communitates in fœdere noſtro domus Dei audentiores eſſent, et acrius a concionatoribus excitatæ rem adgrederentur: plures enim maiorque pars eſſemus, maxime accedente nobis Zutio Traverſii.* Quidam hoc tentare detrectant, quod multæ penſiones canonicis dentur ex regionibus Cæſaris, verentes, illas, ſi abrogetur miſſa, non amplius datum iri." Ex quo teſtimonio patet, reapſe plebem a prædicantibus excitatam fuiſſe, ut ſacra e templo cathedrali, quod unicum quaſi avitæ religionis propugnaculum ſupererat, eiiceret; præſertim quum alia Gallicii epiſtola teſte de die 3. Febr. ſenatus conſulto prohibitum civibus Curienſibus fuerit in aulam epiſcopalem ad miſſam aſcendere. Id equidem paſtores acatholici identidem moliebantur, ut ſuis concionibus epiſcopum, canonicos, ſacerdotes maxime exoſos redderent, licet interdictum eis a magiſtratu fuerit, ne quid adverſus canonicos, et eccleſiam cathedralem prædicare auſint.

Reſtitit pro virili Thomas, nihilque non egit, ut Zutii, ubi adhucdum eius parentes vivebant, ſacra priſtino et catholico mori reſtituerentur. Eum in finem anno 1555. aliquem monachum ſacerdotem ex iis forſan, qui ante biennium cum Odeſcalco advenerant, in Oengadinam prædicatum miſit, comitemque illi adiunxit arcis Fürſtenburgicæ capitaneum: is quum pro concione dicens miſſam a Ieſu Chriſto inſtitutam monſtraret, Traverſium alioſque tantum contra ſe concitavit, ut magiſtratus iuſſu concurſus fieret, et monachus regione illa diſcedere cogeretur *a*).

a) Roſ. a Porta loc. cit. T. I. Lib. I. p. 242.

Etiam in oppido Feldkirchenſi in templo S. Crucis et circumcirca novatores nidum figere tentabant; ſed urbis præfectus Ioannes Giengerus ſua vigilantia ſeductores repreſſit. Eadem dehinc lues anno 1557. vallem Meſaucinam infecit, Ioanne Beccaria et Viſcato populum ſeducentibus.

Interea Ferdinandus imp. die 20. Aprilis anno 1559. Diethelmo abbati S. Galli regalia ea conditione contulit, ut cæſareo nomine epiſcopo Curienſi iuramentum fidelitatis præſtaret *a*); inter cuius laudes et illud accenſendum, quod pauperi ſuæ eccleſiæ parſimonia et frugalitate ſuccurrere ſtuduerit; nam rem œconomicam ipſemet adminiſtravit, nullo, ut moris erat, aulæ magiſtro uſus. Ad expungendum præterea æs alienum magnam pecuniæ ſummam a cognatis ſuis Plantanis Zutienſibus accepit, pro qua illis varia iura redditusque in hypothecam conceſſit. Mirum, quantum hæc agendi ratio Thomæ adverſarios offenderit; nam anno 1560. querelis ad ſenatum delatis epiſcopum accuſarunt, quod adverſus datam fidem fœdere inconſulto bona epiſcopatus alienarit, illum proin ad ſeveram accepti expenſique rationem adigendum eſſe. Læti ad hanc occaſionem miniſtri Curienſes Gallitius et Fabricius epiſcopatum penitus e medio tollere ſumma contentione collaboraverunt; auctores ſiquidem erant proceribus plebique, et magna cum emphaſi tantum non præcipiebant, ut epiſcopum omni iure civili, quo adhuc gaudere videbatur, exuerent; tum vero ad reſignationem cogerent, nec illi aliquem ſubrogari paterentur: bona vero eccleſiæ partim ad cauſas pias, partim inter communitates diſtribuerent, qua ratione ingens incrementum reformatio captura eſſet, quum cæteroquin canonicorum luxus multas id faciendi rationes ſuppeditaret. In tantum iam protruſa periculum eccleſia Curienſis fuerat. Perpaucos tamen ſuſurrones iſti in ſuam ſententiam pertraxerunt; multi partes epiſcopi defendendas ſuſceperunt, antehac inimici etiam, quales ex Saliceorum familia fuere. Fortiſſimus vero pro epiſcopatu ſtetit Ioannes Traverſius decrepitus ſenecio, ſed rebus gerendis exercitatiſſimus, quamvis iam pridem a religione catholica defecerit, et Zutii hæreſeos anteſignanus fuerit. Liti finem impoſuit amica tractatio, qua Thomæ rei domeſticæ adminiſtrandæ modus præſcribebatur, cui ſe facile ſubiecit, atque ex Traverſiorum familia aliquem in architriclinum ſeu aulæ magiſtrum aſſumſit.

XXVII. Summus pontifex Pius IV. de reſtauranda ſynodo Tridentina ſollicitus varias per Europam legationes decrevit. In Rhætiam miſit Bernardinum Bianchinum Mediolanenſem S. Mariæ de Scala præpoſitum, cui ducatus gubernator marchio Piſquerienſis regis catholici nomine adiunxit ſuum ſecretarium Ioannem Ange-

a) Archiv. S. Galli.

lum Ritium. Ambo hi legati anno 1561. menſe Iunio vel Septembri coram Rhætorum conſeſſu Curiæ comparuerunt, et oblatis ſcriptis ſuæ legationis teſtibus multa gravamina adverſus reformationem, in Valletelina præſertim, expoſuerunt, eorum medelam poſtulantes. Inter alia petiverunt, ne apoſtatas monachos ex Italia transfugas in ſuis ditionibus recipiant, ſed potius catholicis præconibus in Rhætiam miſſis ſuo munere defungendi libertatem concedant, permittantque Ieſuitis Ponti in Valletelina ſedem figere, porro ut bona eccleſiaſtica acatholicis conceſſa legitimis poſſeſſoribus reſtituant; ut demum oratores ſuos Tridentum ad ſynodum ablegent.

Repoſuerunt, qui aderant, Rhæti, nullam penes ſe poteſtatem eſſe ad poſtulata reſpondendi, ſed rem, utpote ſummi momenti, ad arbitrium communitatum eſſe devolvendam, quæ propediem legitimum pontifici reſponſum eſſent reddituræ. Pontificis interim poſtulata in vulgus ſparſa omnium animos nonniſi infructuoſo ſtupore adfecerunt: exoſus quippe Rhætis erat Pius IV. tum quod Medicei Muſſienſis caſtellani frater eſſet, qui cruenti aliquot ante annos belli cauſa extiterat; tum quod ſub *Paulo Zieglero* infulam Curienſem ambiviſſe crederetur, aliasque ob cauſas, quibus quum commune acatholicorum odium accederet, reſponſum exoptatum ſperari non ſinebant. Congregati autem communitatum oratores Ilantii menſe Octobri in reſponſis pontifici dederunt: *Rhætos mixta ſua religione contentos vivere ac pacificos, et decreviſſe, nullum ſe legatum Tridentum miſſuros, quum certum non ſit, ſynodum ibi œcumenicam eſſe: ſibi vero non conſtare, Italos transfugas homines eſſe flagitioſos; ſed ſolum evangelicæ religionis cauſa exules, quos punire iuſtitiæ conſentaneum haud foret etc.* Legati accepto hoc reſponſo nonnihil indignati expenſas tamen in comitiis factas, ut promiſere, perſolverunt, ſicque recta verſus Deſertinenſe monaſterium profecti ſunt: illos ſex e ſenatu usque ad ditionis ſuæ fines comitabantur.

XXVIII. Non obſtante hac Rhætorum agendi ratione THOMAS epiſcopus ſummo ardore flagrabat ſynodum Tridentinam adeundi; cui ut vicinior eſſet, menſe Aprili anno 1562. in caſtrum ſuum Fürſtenburg conceſſit, unde facilius petere Tridentum poſſet. Verum Rhæti THOMAM non petita licentia ſynodo iam intereſſe rati, epiſcopatum penitus e medio tollendum clamitabant; epiſcopus proin litteris capituli de tanto periculo admonitus Fürſtenburgo Curiam illico rediit, ac menſe Maio a ligarum proceribus devote facultatem petiit, futura ſaltem æſtate concilium inviſendi, qua imperioſe denegata, die 10. Iunii ad ſynodi patres litteras dedit, quibus ſuam ſubiectionem teſtatus abſentiam ſuam excuſat ingenti periculo, cui Tridentum profecturus eccleſiam ſuam exponeret, quæ alias in medio nationis pravæ ſummis miſeriis immerſa eſſet: rogat porro, ut Ioachimum Opſe-

rum Eremi abbatem ſui loco ſententiam in ſynodo dicere permitterent *a*). Adverſarii hasce litteras in deteriorem partem interpretabantur, episcopo apud proceres invidiam conflaturi, quasi in præiudicium ſenatoriæ auctoritatis confectæ fuissent. Non tamen deerant complures, qui THOMAM, utpote quem æquum ac benevolum ſemper experti essent, defendebant: necessarium fuisse, aiebant, eiusmodi litteris hæreseos ſuspicionem, qua laborasset olim, abstergere, et patrum Tridentinorum iras evitare *b*).

Cæterum omnia movebant acatholici, ut ecclesiam Curiensem, præcipuum in Rhætia avitæ religionis fortalitium, ſupprimerent, certissime persuasi, illa excisa ne unum quidem inter Rhætos catholicum ſuperfore. Eapropter nullam occasionem prætermisere, qua episcopum dolo, fraude, calumniis redderent exosum, et quasi perduellem ac reipublicæ nocivum depingerent. Hinc colliges, quanta fuerit prudentia opus, ne animi magis magisque exacerbarentur, aut malevolis daretur occasio nocendi. Singulis ferme annis unus alterve pagus relicta patrum fide ad Zwinglianorum castra transiit: ſic obstetricante Fabritio anno 1563. communitas Aceriana, vulgo *Schiers*, in Rhætigoia abrogato missæ ſacrificio Sanctorum imagines e templo parochiali eiecit ac confregit.

XXIX. Turmam malorum auxit contagio, quæ anno 1564. et ſequenti variis in locis Rhætiam afflixit. Etiam THOMAS episcopus morbo correptus est, quem quum anno 1565. die 3. Maii in thermis Fidersiensibus abluere vellet, postera die 4. eiusdem mensis præmatura morte miseriis et calamitatibus, quibuscum toto ſui regiminis tempore luctabatur, feliciter ereptus fuit. Corpus eius Curiam relatum in templo cathedrali quiescit.

LXXVI.

B E A T U S.

Ab anno 1565. ad 1581.

XXX. *Thomæ* morte publicata omnes ligæ cathedralis oratores Curiæ convenerunt, ſtatum ecclesiæ œconomicum cognituri: existimabant enimvero, ingentem auri argentique cumulum in arce episcopali detectum iri; quum vero ſpes falleret,

a) Cod. prob. N. CXL. *b*) Ros. a Porta Hist. reform. T. I. Lib. II. p. 379. etc.

canonici unitis ſibi urbis consulibus relictæ ſubstantiæ indicem confecerunt. Dehinc ad eligendum ſuccessorem ventum est: canonici, quorum novem ſolum aderant, in partes ſcindebantur, quinque elegerunt BEATUM *a Porta* Davosianum Feldkirchii parochum; quatuor vero reliqui ſua ſuffragia in *Bartholomæum* Saliceum archipresbyterum illum Sondriensem contulerunt. Hinc ingens orta dissensio, quæ nonnisi post annum finita est. Quamvis enim BEATUS votorum numero, duorumque fœderum favore fulciretur, atque iuxta pacta ſat idoneus esset, utpote natione Griso magnisque dotibus præditus; cathedralis tamen liga illum acceptare noluit, quod Austriacis nimium favere videretur, quibuscum plures per annos Feldkirchii egisset. Communitas Prægalliæ datis litteris testata est: „Paratos se esse, et bona et corpora ponere, antequam alii, præter *Bartholomæum* permittant, ut castrum introeat, ſicque ſanguine ac bonis libertatem fœderis cathedralis ſervare.„ Quatuor insuper illi canonici *Bartholomæum* ſuum in aram, ut moris est, ſublatum episcopum ſalutaverunt; reliqui vero se potius extrema quæque passuros professi ſunt, quam virum illegitime electum in episcopum acceptare. Hæc quidem ex Rosio de Porta.

Ast monumenta episcopalia, quæ vidimus, paulo aliter rem enarrant hunc ferme in modum: Die 22. Maii fœdus ecclesiasticum, ſeu liga domus Dei, conclusit, capitulo cathedrali electionem novi episcopi permittendam esse, ſub hisce tamen conditionibus: 1. Recens electus famosos ſex articulos iureiurando acceptet, 2. eleemosynas consuetas absque diminutione pauperibus eroget, ecclesiæ enim inopia episcopos etiam hac ex parte parcos esse coëgit. 3. Feudum Schanzhofſiense illico exolvat, ac civi cuidam ex fœdere cathedrali conferat. 4. Ratum gratumque habeat, si fœderatæ communitates de redditibus episcopatus annuas rationes exigant, ac de iis pro lubitu disponant. Quum autem canonici neglectis istis postulatis BEATUM *de Porta* episcopum eligerent, fœderati *Bartholomæum* Saliceum intruserunt, qui postulata acceptavit; factum præterea, ut arx episcopalis igne concepto magna ex parte in cineres abierit; plurima ſaltem ſuppellex unacum bibliotheca periit. Canonici unacum electo BEATO de vi ſibi illata apud papam per litteras conquesti ſunt, id quod, querelarum apographo in fœderatorum manus deveniente, capitis periculum in eos accersivisset, nisi, quod ſcripserant, opportune revocassent. Interim Dietericus a Salis adversæ factionis caput, homo laicus, ac pontificius eques *Bartholomæum* intrusum templi cathedralis aræ maiori imposuit, ſalutatumque episcopum in arcem cum ſociis deduxit, BEATO, canonicis, notario et testibus, ut concitatæ plebis furorem evitarent, in obvio quovis angulo latentibus.

Beatus licet iam VII. id. Novembris anno 1565. confirmatus a Pio IV. papa fuerit, ſequenti tamen anno Romam profectus legitur, causam ſuam adversus Bartholomæum defenſurus; ſecum tulerat procerum quorumdam, præſertim Annibalis Sittici comitis Amiſienſis litteras, quibus flagrans illius pro religione zelus, et ſpectata morum probitas commendabatur. Interea *Bartholomæus* vir iam decrepitus, ſuorum aliquibus pariter Romam ablegatis, aulæ magiſtrum, cæterosque miniſtros in arce episcopali conſtituit, quaſi ſecurus iam infula potiretur, imo ſatellitio ſtipatus communitates eques peragravit, atque fidelitatis iuramentum ab illis petiit, quod aliqui abſolute, aliqui vero ſub ea conditione, ni causa apud pontificem caderet, reapſe præſtiterunt. Papa vero causa perſpecta Beatum reiecto Saliceo episcopum eſſe voluit; neque ſic tamen a fœdere cathedrali acceptatus eſt, licet iam regalia quoque a cæſare obtinuiſſet. Protracta controverſia usque ad 23. Novembris, quo Rhætorum comitia habebantur. Ad ea venerant legati Helvetiorum decem, qui ſua dexteritate id effecerunt, ut tandem liga cathedralis Beatum episcopum agnosceret *a*). Permoleſta hæc res plurimum æris voravit: *Bartholomæus* vix neceſſaria vitæ habuit; Beatus vero ex parcis eccleſiæ redditibus multas litis expenſas ſolvere coactus eſt.

XXXI. Interea ſacræ inquiſitionis officium Zwinglianæ ſectæ ulteriores progreſſus inhibuit: fratrum Prædicatorum aliqui Rhætiam perambulantes ſollicite in Italos transfugas, qui hæreticam pravitatem intra montes ſpargere ſolebant, inquiſiverunt. Anno 1568. Franciſcum Cellarium, qui Morbenii in Valletelina eccleſiaſten egit, vinctum in Italiam reduxerunt inquiſitionis tribunali ſiſtendum. Hæc res Rhætos peſſime habuit, quos ut ſedaret episcopus Beatus, illis ſignificavit, Cellarium alienigenam eſſe, vi ſtatus et originis non Rhætis ſed Italis ſubiectum, eius proin gratia neminem Rhætorum moveri debere. Nihilominus causa hæc crebro in conventibus agitata fuit: acatholici maxime in monachos furere cœperunt, ac peſſima conſilia inire. Catholici interim cum episcopo rem Cellarii ſuam facere nolebant, utpote alieni et fœdifragi monachi, dicebantque, omnes moleſtias inde oriri, quod Itali ob ſcelera profugi in Rhætia tolerentur. Revera quantum olim primis eccleſiæ ſeculis chriſtianæ religioni profuerunt, qui perſecutionis rabiem vitaturi in montes ſemet abdiderunt; tantum modo detrimenti afferebant hæretici illi, qui inquiſitionis metu aſylum in Rhætia quærebant. Erant autem plerumque peſtilentes hi viri effeminati monachi, qui libidinis liberiorisque vitæ æſtu agitati fide votisque perfide abiectis multas regiones ſua contagione infecerunt, qualis etiam Cellarius fuit.

a) Ausführ. der Gerechtſam. des Gottshausb. p. 16. et 17. Sprecher. Pall. Rhæt. p. 172. Roſ. a Porta loc. cit. p. 443.

Iam paſſim in Oengadina novatorum reformatio ſervabatur: anno autem 1569. in Taraſpenſi communitate cultus catholicus reſtitutus eſt. Reſipiſcentiæ anſam dedit ſcamnorum in eccleſia Scolienſi, cui Taraſpum ſuberat, reparatio; quum enim Taraſpenſes ad hoc opus necquidquam conferre vellent, ſe abs Scolienſibus ſeparunt, propriamque ædem ſacram ope et ſubſidio regiminis Oenipontani ſibi extruxerunt catholico paſtore aſſumto.

XXXII. In reducendis ad fidem hæreticis plurimum laboravit incomparabilis archipræſul S. Carolus Borromæus, qui non ſolum inquiſitionis officium ſummo ſtudio urſit; ſed ipſemet Rhætiam pedes peragravit, ut errantes mira ſua ſuavitate in veritatis ſemitam revocaret. Sanctum cardinalem in apoſtolicis ſuis moliminibus multum iuvarunt Beatus epiſcopus, *Chriſtianus* Deſertinenſis abbas, *Ioannes Planta* Rhætii dominus ſumma poſtmodum crudelitate peremtus, *Melchior Luſſius* Subſilvanus, *Ludovicus Pfeiffer* Lucernas et *Waltherus Rollus* Uranienſis. Certe indefeſſo S. Caroli ſtudio factum, ut hæreſis in Meſaucina valle ſuppreſſa ſit, quum enim audiret, Beccariam et Trontanum, eiuſdem furfuris, ac Cellarius, homines, Meſauci et Rogoreti ſuos errores effutire; illico a proceribus Griſei fœderis petiit, ut ambo e regione abigerentur tamquam flagitioſi et perfidi, quod etiam obtinuit. Aſt hi ad communia trium fœderum comitia adpellantes iniuriam ſibi factam conqueſti ſunt, adſerentes, ob ſolam fidem ſe patria pulſos fuiſſe. Quocirca ſenatus V. Calend. Iulii eis in Rhætia permanere conceſſit. Quo audito S. Carolus menſe Auguſto huius anni 1570. Urſariam profectus eſt, unde XI. Calend. Septembris ad pontificem litteras dedit *a)*. Eodem tempore Beatum epiſcopum Curienſem, ac vicinos Rhætiæ et Helvetiæ abbates ibidem adeſſe voluit, quibuscum conſilio habito ad Meſaucinos perſcripſit ſerio eos hortatus, ut Beccariam et Trontanum illico e finibus ſuis pellerent, ſi fidei et ſaluti ſuæ vellent conſultum. Eiuſdem tenoris hortatorias Beatus ex Deſertinenſi monaſterio dedit, ubi ex conventu Urſarienſi redux ſubſtiterat. Non poterant non obſecundare Meſaucini, amboſque hæreticos abeſſe iuſſerunt. Felici hoc eventu heterodoxi vehementer offenſi Beatum accuſarunt, quod ſuis ad Meſaucinos litteris adverſus pacta in electione inita peccaverit; epiſcopus vero coram ſenatorum legatis factum illi exprobrantibus ita ſe purgavit, ut veriti ſint, propterea adverſi quidpiam in illum conſtituere, hacque ratione Meſaucina vallis avitæ religioni feliciter reſtituta fuit.

XXXIII. Interea Conradus Planta eccleſiæ cathedralis decanus ingenti ſemet pro religione periculo expoſuit: in animo habebat loca ſacra ſeculo et hæreſi ad-

a) Rubeus Lib. II. p. 207. *b.* edit. Mediol. anno 1751.

dicta in catholicorum manus restituere; pater eius *Ioannes Planta* Rhætii dominus ſummæ apud omnes auctoritatis vir ac religionis zelo clarus a Pio V. papa hanc in rem amplissimam bullam obtinuit pridie Calendarum Martii anno 1570. datam, qua S. ſedis ſyndicus et procurator generalis constitutus omnia beneficia in Curienſi et Comensi diœcesibus ſeculo addicta recipiendi, eisque catholicos præficiendi facultatem nactus est. Adiunxit pontifex duo brevia, in quibus ſolum de restituenda Tilii præpositura S. Urſulæ Valltelinenſi mentio fiebat, quam Guiciardi acatholici ex Rhætorum auctoritate occupaverant, ministellis exinde ſustentationem procurantes.

Ioannes igitur omnem operam adhibuit, ut primum Clavennates episcopo Curiensi debita homagia et obſequia præstarent, et usurpata beneficia restituerent; dein catholicorum Rhætorum iussu confœderatos Helvetios in ſubſidium vocavit contra protestantes, eoquod catholicos omni vi ſubiugare conarentur: demum X. Calend. Nov. anno 1571. Tilienſem præposituram Guiciardis eripere, ſuoque filio Conrado decano consignare molitus est; verum illi cedere recusantes ad iudicium rhæticum provocarunt. Prædicantes quoque acatholici de transmiſſa Ioanni bulla certiores facti, illius apographum clanculum ſibi compararunt, atque in vulgare idioma translatum ſparſerunt in vulgus. Plebs acta in furorem, quasi *Ioannes* libertatem patriamque prodere voluisset, ministrorum hortatu arreptis armis denso agmine die 24. Martii anno 1572. Curiam convolavit, captus adducitur *Ioannes*, erigitur tribunal, quo crudelius vix ullum in orbe unquam fuit, ex 42. iudicibus plebeiis conflatum, ubi perlecta publice bulla *Ioannes* horrendum in modum torquetur, et pridie Calendas Aprilis, ſeu, ut alibi legi, ultima Maii, extra urbis mœnia capite plectitur, prout monumenta Curienſia referunt. Tragœdiam fusius narrat Rosius a Porta *a*). Perpetrato parricidio ſanguinolenti iudices in plures alios barbariem ſuam exercuerunt, in eos præſertim, qui bullæ pontificiæ vel conſcii fuiſſent vel defenſores, aut quos papa auratæ militiæ equites creasset; hos enim omnes infenſissimos patriæ hostes arbitrabantur. Sat felicem ſortem ſuam reputare poterat *Conradus* decanus, quod mortis ſententiam celeri fuga declinarit. E ſcriniis episcopalibus in apricum producere iuvat aliquot nomina eorum, qui turbine isto dignitatibus ac pecuniis plus minusve privati fuerunt: ſunt vero *Vincentius Quadrius*, *Ioannes Baptista de Salis*, *Martinus Rascherius* pontificii equites; *Casparus a Schauenstein*, *Sebastianus a Castelberg*, *Hercules a Salis*, *Christophorus Beli* et *Ambrosius Martius*. Non deerant inter utriusque religionis prædicatores, qui immanem ſævitiam e ſug-

a) Loc. cit. T. I. Lib. II. cap. 21. p. 558. etc.

geſtu perſtringerent, quibus anno 1573. publico plebisscito graviter inhibitum fuit, ne audeant ſe rebus ſæcularibus immiſcere; ipſum tamen ſupremum Numen vindictas ſumsiſſe videtur, quum annis 1574. et 1576. duplici incendio civitas Curienſis caſtigata fuerit. Tribunal illud ruſticum, licet mitigatum aliquomodo fuerit, Beatum premere ac divexare non deſiſtebat; nam edito decreto mandavit, ut epiſcopus cum capitulo non ſolum notos ſex articulos iureiurando acceptaret, ſed etiam ius advocatiæ in epiſcopatum ligæ cathedrali competere adſeveraret: nemo in canonicum, multo minus in epiſcopum, niſi cathedralis ligæ civis eligeretur: epiſcopus coram iudicibus ratiocinia deponere, et ſi qualiſcunque adverſus illum oriretur lis, ibidem ſe ſiſtere, ius acceptare, et ferendæ ſententiæ acquieſcere teneretur; paucis, eo progreſſus eſt ruſticorum furor, ut epiſcopum quaſi ſubditum, et viliſſimum quoddam mancipium haberent. Beatus Helvetiorum pagos poſtulatorum iniquitatem edocuit, qui die 4. Maii anno 1575. fæderatos domus Dei, ſeu cathedrales datis litteris amice dehortati ſunt, ne epiſcopum Curienſem tam enormiter lædere pergerent, ſed iuribus publica lege ſancitis frui permitterent; ſecus ipſam Helvetiorum rempublicam diffamari, quæ ſuam auctoritatem fidemque pro epiſcopo commodaverit *a*). Aſt ſurdis fabula; pactis, quæ ultro iniverant, perfide violatis horribiles in vulgus minas ſparſerunt, ſe, ni epiſcopus eorum voluntati conſentiret, arcem eiuſdem perrupturos, effracturos ciſtas, omniaque vaſtaturos; propterea Beatus Helvetiorum auctoritatem denuo implorans Ioannem Ludovicum Göldinum Rapperſvillanum ad eos cum litteris die 18. Maii a. 1576. exaratis ablegavit, qui miſerum ſtatum depingeret *b*): ipſemet autem vitæ ſuæ conſulturus, quam Curiæ ſummis periculis expoſitam ſentiebat, clam Fürſtenburgum diſceſſit. Quid Goldinus ab Helvetiis retulerit, ignotum.

XXXIV. Certe fœderati cathedrales ut prætenſum advocatiæ ius et dominium exercere viderentur, a *Feliciano* Scalenſi ſedis apoſtolicæ legato, qui anno 1578. in Rhætiam venerat, poſtulaverunt, ut alienis nominibus, quibus eccleſia Curienſis obruta erat, expungendis invigilaret. Is igitur convocatis Curiæ canonicis ea cum iis pertractavit primum, quæ tum ad vitæ reformationem, tum ad eccleſiæ neceſſitatem ſublevandam opportuna videbantur; inter alia conſtituit, ut *Nicolaus Venuſtus* tunc temporis præpoſitus, vir inter ſuos celeberrimus, epiſcopi et decani abſentium vices ſubiret. Dehinc in arcem Fürſtenburgicam ad Beatum profectus, ibi fœderatorum legatos excepit, litteriſque die 3. Decembris datis inſtructos remiſit hortans, ut referrent, quanta ſit æris alieni ſumma, qua eccleſia premeretur, quo-

a) Cod. prob. N. CXLI. *b*) Ibid. N. CXLII.

modo ſit ab episcopatu contracta, quo demum meliore modo absque eccleſiæ detrimento possit deleri: de his si certior fiat, omnem se operam navaturum ſpondet, ut etiam ſummæ ſedis auctoritas interponatur.

Hæc dum aguntur, fœderati BEATUM dictatoriis litteris iterato monuerunt, ut Curiam rediret; ast episcopus perfidis non fidens immotus perstitit; *Felicianus* vero Fürstenburgo Feldkirchium discessit, quo fœderati anno 1579. nuntios miserunt, qui debitorum molem, prout petitum fuerat, exposuerunt. Consultum, ut ſex deputentur viri, qui creditores examinarent, in redditus episcopi interceptos inquirerent, ac omnia fide ſumma mandarent litteris, quas ſuis chirographis et ſigillis munitas *Feliciano* traderent papæ transmittendas cum precibus, ne pauperi ecclesiæ ſuo patrocinio deesset. Patent hæc ex Feliciani epistolis ad primores Curienses exaratis. Igitur varii magno numero creditores coram ſex deputatis, quorum quatuor fœderati, bini vero canonici erant, rationes ſuas protulerunt. Quumque BEATUS nulla vi ad reditum persuaderi posset; fœderati Vercellensem episcopum papæ legatum rogarunt, ut illum ſua auctoritate officii cogeret esse memorem; BEATO infirmam valetudinem prætendenti anno 1580. ex capituli ſenatusque consensu festum dedicationis terminus constituitur, ut, si tunc nondum ad ecclesiam rediisset, infulam amitteret, nonnisi annuos 400. florenos in ſuam ſustentationem percepturus. Sancitum quoque, ut interim *Simon Tscharnerus* et *Ioannes Rascherius* ecclesiæ redditus administrarent, et tam capitulo quam fœderi exactissimam rationem redderent. Fœderati vero legatum vehementer urserunt, ut deposito BEATO alium ſubstitueret.

XXXV. Contradixit his omnibus per litteras BEATUS qui Curiam venire constanter renuit, licet ei terminus usque ad Calendas Maias anni ſequentis prorogaretur. Tandem durum ſecum agendi modum amplius non ferens anno 1581. episcopatu resignato in Tyrolim ſecessit, ubi novem post annos Riffiani ad meliorem vitam transiit *a*).

a) Ausführ. der Gerechtsam. des Gottshausb. p. 17. et 18. Item Beylage p. 7.

LXXVII.

PETRUS II.

Ab anno 1581. ad 1601.

XXXVI. Hæreſin in Rhætia multum promovit ſacerdotum catholicorum raritas et vilipenſio; quum enim eſſent pagi eccleſiis ſolum minoribus, ſeu filiabus instructi, atque a matribus forte longius remoti: non deerant præcones heterodoxi, vagabundi præsertim ex Italia apostatæ, qui se ultro plebi destitutæ pastores offerebant. Contagioni huic remedium laturus S. Carolus Borromæus varios fide probatos monachos in Rhætiam mittere tentans, multas hac de re petitiones ad primores deferri curavit; prohibitum quippe omnibus exteris catholicis erat, verbum Dei in Rhætia prædicare. Hoc itaque molimine nihil proficiente ſanctus cardinalis ingenti cum emolumento collegium Helveticum Mediolani erexit, ubi quadraginta ſemper iuniores clerici tum Rhæti tum Helveti educarentur. Quin ipsemet iterato Rhætiam invisit, atque ex Brixinensi agro et valle Camonica in Vallemtelinam pervenit catholicos ibidem in fide roboraturus: dehinc Levantinam et Belliconensem valles peragravit ad monasterium Desertinense progressus: insuper catechismum excudi fecit, qui ruri in ſcholis et publicis instructionibus usui esset, optime gnarus fidem moresque bonos ſollicita iuventutis cura maxime implantari, atque ad posteros transmitti.

XXXVII. Difficillimum interea videri poterat, *Beato* ſucceſſorem ſtatuere; canonici tamen die 3. Iunii anno 1581. congregati electionis negotium feliciter adorſi ſunt: præter ſenatores quosdam Curienses aderat nuntius apostolicus dominus de Liverdis Vercellensis episcopus regis Galliarum legatus. Paucis præmissis facili præter ſpem negotio et unanimi consensu electus est PETRUS *Raserius* ſeu *Rascher* ex Zutio Oengadinæ municipio oriundus, ecclesiæ cathedralis hactenus cantor. Iuventam is transegit in carthusia Buxheimensi, fratrem habuit Ioannem Raserium, nuper reddituum ecclesiasticorum in aula Curiensi administratorem, ſororem vero Annam Raseriam Fortunati a Iuvaltis inter ſuos celeberrimi matrem. Confirmatus fuit a Gregorio XIII. papa die 6. Nov. anni eiusdem. Iuramento acceptavit famosos ſex articulos, prout testatur instrumentum die 18. Oct. anno ſequenti confectum *a*).

a) Cod. prob. N. CXLIV.

Primum Petro negotium faceſſebat æs alienum; neque enim creditores deſiſtebant, quod ſuum erat, repetere; episcopus vero non habens, unde redderet. cum capituli et ligæ cathedralis conſenſu a Baſileenſibus ſummam 8000. flor. mutuam accepit, ſuumque hac de re chirographum totius fœderis ſigillo muniri petiit, quod quum cives Curienſes facere detrectarent; die 17. Febr. adverſus eos ſuas querelas ad totius fœderis comitia detulit, publicis litteris proteſtatus, ſibi, ſuæque eccleſiæ fieri iniuriam, quod Lucius Tarckius urbis tunc conſul ſigillum deneget, eoquod alias multa debita ſuperſint, quorum ipſe cauſa non fuerit.

XXXVIII. Hocce tempore multi pagi ad heterodoxorum ſacra tranſierunt: V. g. *Scheida* et *Veldiſium* in valle Domeſtica; *Mutta*, *Celerina* et *Lacupratum* in Rhætigoia, aliique germanico labio uſi; nam locorum, in quibus rhæticum idioma viget, pars maxima in avita fide permanſit. Parum hæc defectio Petro cordi fuit, quod S. Carolus Borromæus datis litteris luget, quas per ſacerdotem quemdam doctum et pium Bernardinum Morram ad eum anno 1583. perſcripſit; harum fragmentum tradunt monumenta Deſertinenſia in hunc modum: „Memineris ſuſcepti oneris ovium Chriſti paſcendarum, de quibus rationem aliquando Chriſto, qui eas ſanguinis ſui pretio redemit, redditurus es. Supina tua ſocordia in cuſtodia gregis tui prorſus reprehenſibilis atque inexcuſabilis eſt: quando tot lupi gregem tuum undique ſub tuis oculis invadunt, diſcerpunt, et lacerant. Melius igitur officio tuo fungaris, omnemque in cura animarum vita incuriam. Hortor, rogo et ſupplico, ut obligationem ſuſcepti muneris exactius, quam hactenus feciſti, animo reputes, ac ſingulari ſtudio ſaluti animarum tibi creditarum incumbas et invigiles: diœceſin frequenter viſitando obeas, caveaſque omni poſſibili ratione, ne diabolus tartareus leo rugiens tot animas hæreticorum fraude deceptas devoret. Ego paratiſſimus ſum ad officia tibi et auxilia in hunc finem pro ovibus exhibenda.„ Gravis profecto præſulis ad præſulem exhortatio, quæ utrum felicem quemdam effectum ſortita ſit, non conſtat. Videtur enimvero Petrus muneris ſui usque incurius fuiſſe. Aſt quid ageret in ea fatali rerum colliſione? num hæretici, ſi fortius ſe illis oppoſuiſſet, episcopatum forſan non funditus deleviſſent? Sed non tam de hæreticis convertendis, quam de fidelibus confirmandis et ſtabiliendis agendum erat: id præprimis curare debuiſſet episcopus Curienſis, ut cuivis parœciæ doctus piusque paſtor eſſet, non qualiscunque, maxime iis in locis, ubi hæreſis in vicinia iam radices egerat: debuiſſet ſacerdotum defectum certis in pagis hinc inde vel ipſemet ſupplere diœceſin frequenter luſtrando, aut alios aliunde accerſere, exploratum enim eſt, pleroſque pagos ideo defeciſſe ab avita fide, quod vel nul-

los, vel certe minus idoneos paſtores habuerint. Ea de cauſa ſanctus cardinalis anno ſequenti 1584. monachos in Meſaucum, Clavennam, Plurium et Peſclavium oppida miſit, qui novatorum technis invigilarent, et catholicos in fide ſtabilirent.

XXXIX. Inter alios magnam PETRO adverſitatem movit Caſparus de Schauenſtein vicarius, cui eccleſia cathedralis aliquam pecuniæ ſummam debebat; is enim, ut ſe indemnem præſtaret, epiſcopi bona et redditus violenter intercipere voluit, quod patet ex querelis, quas hoc anno ad fœderatorum communitates detulit poſtulans, ut iuxta æquitatis iura debitum ordinem reſtituere ſatagerent, ne eccleſiæ bona cuncta ſurriperentur *a*). Verum non eo animo erant fœderati, ut in gratiam catholicorum quidpiam facerent, potius ſtuduerunt eorum conatus omnes elidere. Quisquis enim vel modicum quid pro religione tentabat, illico publicæ tranquillitatis hoſtis habebatur. Sic ad anni 1584. finem duo Curienſes canonici *Nicolaus Venuſta* decanus, et *Vincentius Quadrius* quaſi perduellionis rei ad ſenatum delati, et menſe Ianuario anni ſequentis comprehenſi in comitiis publicis iudicio cenſorio ſiſtebantur, vixque *Ioannes Raſerius* ſuo et epiſcopi nomine impetrare potuit, ut mitius tantiſper habiti tandem liberi dimitterentur. Interim rigorem ſuum effuderunt in monachum quemdam nuper a *S. Carolo Borromæo* Meſaucinæ valli immiſſum, quem publice proſcripſerunt ita, ut impune occidi a quocunque poſſet, ea ſolum de cauſa, quod iudicio ſe ſiſtere recuſarit *b*). Prohibuerunt quoque, ne calendarium Gregorianum reciperetur; odioſum quippe id omne fuit, quod Roma proficiſcebatur.

XL. Hinc eſt, quod PETRUS perſecutionis metu nullum ferme religionis ſtudium præſeferret; lugubria ſane ſunt, quæ *Brocardus Boronus* in ſuo libro de ſtatu Rhætiæ narrat, teſtis minime ſuſpectus, qui relicta fide aliquot annos in Rhætia tranſegit: libellum ſuum conſcripſit, poſtquam facti pœnitens hæreſin reſpuiſſet *c*); modum traditurus, quo ſana religio in Rhætia reſtitui poſſet, inter alia inquit: „Catholicorum parœciæ in fœdere Griſeo ad minimum ſunt octuaginta, quarum ſacerdotes indigerent diſciplina et viſitatione, quum negligentia epiſcopi Curienſis paullatim debitus cultus ſit intermiſſus.„ Poſt pauca epiſcopum *ſuapte natura negligentiſſimum* appellat; dehinc vero ſic pergit: „Epiſcoporum deſidia non eſt integrum epiſcopis ius in ſubditos ut antea, et hoc ob finitimorum hæreticorum inſtigationes in epiſcopum, qui continuo populos illos ſollicitant ad excutiendum iugum epiſcopalis dominii. Utcunque tamen hæreticis invitis præficiuntur arcibus

a) Ausführ. der Gerechtsam. des Gottshausbund p. 19. *b*) Ros. a Porta Hiſt. reform. T. II. p. 70.
c) Ibid. p. 168. ſeqq.

viri ab episcopo delecti, qui non ſolum custodiunt arces, verum etiam præsunt iudiciis in quibusdam pagis, quæ res quam maxime rem catholicam adiuvaret, si episcopus is esset, quem deceret, et eos præficeret, qui catholicorum partes ſequerentur. At hactenus episcopi nullo cum discrimine præposuerunt tam arcibus, quam propriæ domui hæreticos homines, quorum arbitrio deinde cuncta gerebantur. — Posset episcopus cum canonicis exemplo et doctrina alacriter religionem promovere tam in civitate quam extra, tum ob vicinitatem et aditum ſibi omnibus horis apertum, tum ob concursum totius fere Rhætiæ ad illam civitatem, in qua ſingulis annis ter habentur nundinæ et comitia. Solent etiam eo ſingulis annis ex universa Rhætia convenire ministri hæretici ad eorum conventicula celebranda, quibuscum si episcopus opportune ageret, nulli dubium est, quin multos Christo lucrifaceret. Quodsi episcopus hoc facere negligit, ſaltem per operarios, viros cordatos eo in hunc finem transmissos, posset hoc opus adgredi. „ De monasteriis testatur, quod careant disciplina ecclesiastica; de cœnobio Curwaldensi acerrime loquitur: *In eo*, ait, *aliquot monachi ſaginantur, quorum vitam pudet referre; et tantum abest, ut eorum opera possit aliquid restitui, ut potius eorum pravis moribus in dies catholicus cultus relaxetur, etiam in illis quatuor paræciis aliqua est habenda cura, ne ſaltem ſint damno, si usui esse nolunt.*

Quamvis paulo audacius ſcripserit *Boronus*; genuinam tamen Rhætiæ catholicæ effigiem depinxit. PETRUS enimvero in id unum incubuisse videtur, ut quantulamcunque pecuniam corraderet, qua creditoribus, quantum licuit, faceret ſatis. Difficilem nihilominus se exhibuit in ſolvenda pensione annua, quam resignanti *Beato* hucusque ſuperstiti promittere debebat. *Sixtus* papa *Ioanni Walsero* Brixiensi vicario generali in mandatis dedit, ut negotium componeret. Huius hortatu PETRUS anno 1587. die 16. Decembris *Beato* promisit, se eidem quotannis daturum 400. flor. unacum censu ex ſumma 2600. flor. cuius se debitorem agnosceret, profluente; nec non maioris ſecuritatis ergo se omnes redditus episcopales in hypothecam tradere, quemadmodum colligitur ex litteris in arce *Marschlins* adhuc extantibus.

Male præterea audit PETRUS, quod *Iacobo Bundio* abbati Desertinensi per ſimoniam electo et nefas intruso anno 1594. die 22. Febr. benedictionem et confirmationem pro pecunia impertitus fuerit, quod tamen anno præcedente constanter recusaverat. Ad id forsan illum continuæ creditorum vexationes permoverunt, quas ut aliquatenus ſedaret; iura quædam, quibus in bona particularia civium gaudebat, post bimestre vendidit.

XLI. Multa huic episcopo condonari posse videntur, si iniquæ temporis circumstantiæ perpendantur. Politicus Rhætiæ ſtatus non minus corruptionis, quam ecclesiasticus patiebatur. *Fortunatus a Iuvaltis* eodem tempore ſuperioris Oengadinæ prætor in vitæ ſuæ compendio manuscripto eundem ſolide æque ac eleganter describit; iuvat virum audire. „Duæ, inquit, rerum publicarum et omnium gubernationum pestes olim Rhætiam nostram, ambitus nimirum et avaritia invaserant. Illæ initio oculte ſerpendo paulatim impunitate et ſupina magistratus conniventia vires et incrementum ſumserunt, adeoque tandem invaluerunt, ut totum propemodum reipublicæ corpus inficerent et corrumperent. Hinc evenit, ut qui ad honores, et præsertim ad quæstuosas illas præfecturas ad ſubditos aspirabant, non aliter quam ambitu et largitionibus voti compotes fierent: omnia enim venalia prostabant, non ſecus ac aliæ merces. Siquis causam aliquam in consessu proponebat publico trium ligarum, claris et validis iuribus adeo munitam, ut de victoria non dubitaret, ideoque causam aureis præsidiis fulcire negligeret; adversarius autem, qui iuribus ſuis non prorsus confideret, ac proinde ad præsidia validiora et efficaciora, artes nimirum illas nimis usitatas, vota et ſuffragia ſenatorum ſeu iudicum emercandi se converteret, plerumque iura quamvis validissima ſuccumbebant, et deterior causa triumphabat. Qui dando largior erat, etiam iure potior habebatur. Argumenta larga manu depromta plus roboris causæ addebant, quam rationes ex intimis iurisprudentiæ penetralibus deductæ. Eo tandem impudentia processerat, ut invenirentur homines etiam alicuius in republica existimationis, qui abiecto omni pudore, neque metu pœnæ aut infamiæ deterriti operas ſuas litigatoribus mercede addicerent ad ſollicitandos et corrumpendos iudices. Hi bene nummati cursitabant, et ubicunque in iudices incidissent, cum illis transigebant, et pretio convento in promtis nummerato emtionem firmabant; cumque rem impigre et gnaviter perfecissent, tanquam industrii, et in eiusmodi negotiatione exercitati et efficaciter commendabantur. Erant quidem in ſenatu illo etiam viri graves honestatis, iustitiæ et reipublicæ amantes, qui probrosas et flagitiosas illas iustitiæ nundinationes ſerio detestabantur, ſed isti rariores, et cæteris numero longe inferiores erant. Sic fiebat, ut flagitia ista nonnulli aversarentur, plures committerent, aliqui connivendo faverent, omnes denique indigne tolerarent. Neque vero privati tantum homines mercimonia illa exercebant, ſed communitates integræ etiam cauponabantur, nec erubescebant, præfecturam communitatis cum legationibus ad dietas, ſeu conventus publicos, quarum in ipsorum manu erat electio, cum officiis ad ſubditos, et aliis emolumentis communitati provenientibus consilio publico constituto vendere pretio ſolemniter in multos annos, et ne quid amibigi posset, publicis tabulis per-

ſcriptis conſignare. Illi, qui præfecturas ambiebant, ſatis ſe excuſatos cenſebant, ſi ipſi quieſcere viderentur, et uxores aut cognati, aut alii ſubornati practicas totis viribus exercerent; quin etiam quum iusiurandum ipſis deferebatur, an electio ſine ambitu et practicis facta eſſet, impudenter et audacter peierabant, ſatis factum putantes, ſi fuco aliquo inducto crimen coram hominibus utcunque tegerent, de Numinis offenſa parum ſolliciti. „

Scripſit hæc *Fortunatus* multis pro republica exantlatis laboribus iam ſenex, quorum notitiam ipſemet oculis et auribus hauſerat. Exin vero patet maligna Rhætorum indoles tunc temporis ferme communis, vel potior ſaltem, quæ omnem diſciplinam auctoritatemque legum neceſſario peſſumdedit: nemo neſcit, quanta ſit reipublicæ ſacræ et profanæ connexio atque ſocietas, altera alterius vulnera ſentit. Hinc nulla penes epiſcopum tam zelo quam opibus destitutum et ſacerdotes vis, auctoritas, veneratio, ita ut ſi qui plagis medelam ferre conarentur, riſum, aut, ſi multum dicam, commiſerationem moverent. Non immerito Gallus quidam orator, quum per Rhætiam tunc iter faciens populi iſtius mores et inſtituta contemplaretur, alta voce exclamaſſe fertur: *O valles miſeriæ, et montes ſuperbiæ! beati, qui non viderunt, et crediderunt.*

XLII. Petrus *Raſerius* liti implicabatur cum abbate Mariæmontano, quam *Sixtus V.* papa anno 1590. die 5. Febr. epiſcopo Comenſi decidendam commiſit *a*). Dehinc paulo ante regiminis vitæque finem cum archiduce Auſtriæ compoſitionem iniit propter iuriſdictionem criminalem in Oengadina infra Pontemaltum exercendam, demum paucos poſt menſes die 3. Ianuarii anno 1601. vivere deſiit.

SECULUM XVII.

LXXVIII.

IOANNES V.

Ab anno 1601. ad 1627.

I. Atrocia vidimus, atrociora videbimus; ſed quæ epiſcopum maximopere commendant. Siſtimus ea ex genuinis fontibus hauſta, quos in archivo epiſcopali

a) Cod. prob. N. CXLVI.

adire licuit; qua de re lectorem præmonendum duximus, ne præ facinorum referendorum immanitate nos creditu difficilia ſcribere existimet.

Successorem nactus est *Petrus* calamitatis quidem, at non ignavæ ſuæ indolis hæredem IOANNEM huius nominis quintum *Flugium* de *Asperomonte*, hucusque ecclesiæ cathedralis decanum. Canonici electionis negotium tutius peracturi advocarunt D. *Ioannem* comitem Turrianum episcopum Vegliensem, qui tum Lucernæ nuntii apostolici munere fungebatur. Facta est electio die 1. Febr. anno 1601. Confirmatus est IOANNES a pontifice *Clemente VIII.* die 9. Aprilis, consecratus Lucernæ die 29. Iulii magna cum ſolemnitate ſub *Augustini* Einsidlensis, et *Michaelis* Fabariensis abbatum præsentia *a*). Fœderati domus Dei electum pro more ſollicitaverunt, ut in famosos 6. articulos iuraret, quod quum is constanter recusaret, in furorem acti gravissimas minas intentarunt, se, nisi petitum iusiurandum præstaretur, episcopatum funditus eversuros esse. Nuntius apostolicus re diu multumque ponderata ſuasor fuit, tolerabilius esse iniquam hanc iuramenti vim, quam ecclesiæ exterminium pati, cui IOANNES consensit. Ast multum fœderatorum iras movit, quod ſtatim post electionem acatholicos e ſuis ſervitiis dimiserit, cæteris ſevere inculcans, ut vel ad amussim catholice vivant, vel ſervitium deserant. Inde acatholicorum proceres ansam ſumserunt, episcopum quaqua ratione affligendi, fixumque in animo habebant, illum domo ſua pellere, totumque episcopatum delere, quem eo facilius emuncturi ſanciverunt, ut ex ecclesiæ redditibus quotannis 6000. flor. pro avertendo, ut videri volebant, quovis occurrente malo in commune ærarium deponerentur.

Neque tamen a ſuo zelo dimoveri se passus est IOANNES, ipsemet persæpe pro concione dicere ſolitus, non nudo nomine, ſed functione episcopus. Plenæ ſunt eiusdem laudibus *Clementis VIII.* pontificis litteræ die 8. Febr. anno 1603. Curiam transmissæ, quibus pressum persecutionibus præsulem ſolatur papa, eique ſignificat, commendatitias Roma ad *Rudolphum* imperatorem eius gratia datas fuisse *b*).

Quamvis porro Rhæti episcopum ſuum quasi ſubditum aut alienigenam haberent, cui nulla in regimine pars esset; nihilominus illum in perplexa quævis negotia pertrahere conabantur, eo facilius reperturi, quod carperent. Iniverunt hoc anno fœdus cum Venetis maxime exosum Hispanis, qui agro Mediolanensi tum dominabantur; hi enim ſublato omni cum Rhætis commercio, ſupra Comensem lacum arcem Fuentanam extruxerunt. Rhæti hac agendi ratione vehementer afflicti,

a) Catal. Flug. *b*) Cod. prob. N. CXLVII.

legationem ad ſenatum Mediolanenſem decreverunt: fatigarunt quoque identidem episcopum, ut e ſuis quemquam legationi adiungeret; miſit is *Georgium Belinum*, qui, quod paulo benignius a *Petro Azevedo* Fuentano tunc comite haberetur, illam benevolentiam haud diu poſt capite luere debuit *a*).

II. Habentur adhucdum IOANNIS constitutiones et decreta anno 1605. typis Constantienſibus excuſa, inſigne ſolicitudinis paſtoralis monumentum. In præfixa ad clerum epiſtola: *Quum videamus*, inquit, *multa in noſtro episcopatu reformatione ac correctione indigere, multosque ſacerdotes, quæ ad mores tum ſuos tum aliorum reformandos, pietatem inducendam, eccleſiæque libertatem tuendam pertinent, vel ob ignorantiam negligere, vel ob malitiam deſpicere etc.* Eum in finem in mente habuit, totam diœceſin luſtrare, vulnera, quæ medicamine indigerent, detecturus; dein ſynodum diœceſanam celebrare, ut ea curaret; ſed ob continuos tumultus neutrum, uti videtur, fieri potuit.

In dictis vero constitutionibus præſcribit ſacerdotibus, quo modo horas canonicas recitare, ac miſſam celebrare debeant: iubet ut ſingulis menſibus confiteantur deputandis ab illo confeſſariis; hortatur, ut omnem luxuriæ et ebrietatis ſpeciem averſentur: *Quum in plerisque*, ait, *execrabilis is vivendi modus ſit, ut publicas tabernas, aliaque loca inſueta ingrediantur, vino indulgeant, et poſt commeſſationes, et frequentata pocula rixari, canere, inepta effutire, ſcurras agere, populo graviſſima ſcandala parere, ac ea, quæ eorum officium concernunt, vel omnino negligere, vel ineptiſſime exercere ſoleant: his opportunis remediis obviare cupientes, volumus, et ſtricte mandamus, ut univerſus noſter clerus hoſpitia publica, tabernas, et omnia conventicula, ebrietatemque ac commeſſationes fugiant. Si qui vero reprehenſibiles in hoc genere fuerint reperti, gravem noſtram animadverſionem experientur.* Ideo etiam præcipit, ut exequiarum aliorumve negotiorum ergo convenientes menſam ſacra lectione condiant, et ſumta honeſta refectione quisque ad ſuum locum ſe recipiant: prohibet, ne in ſuæ vocationis contemtum negotiis illiberalibus operam navent, *audimus enim*, pergit, *aliquos chirurgos, medicos, tabernarios, mercatores, laniones, venatores, coniuratores, divinatores, veridicos proh pudor! agere.* Vacent clerici piis et honeſtis ſtudiis et precibus, quem in finem optimos ſibi quosque libros comparent, quorum aliquos præſcribit episcopus. Clericorum arma ſunt orationes lacrymis iunctæ: veſtitus ſimplex, niger, ad talos usque defluat, criſpata induſia abiiciantur: ſit tonſura conveniens; quivis in ædibus ſui beneficii reſideat, nec ultra diem abeſſe præſumat.

Subiungit præſtantiſſimus præſul piiſſimas monitiones primum generales ad omnes clericos, dein ſpeciales ad parochos, quos ſolerter inſtruit, qua ratione

a) Roſ. a Porta loc. cit. p. 220. ſeq. Fortunat. a Iuvalt. cap. 2.

ſingulis dominicis feſtisque diebus concione et catecheſi populum doceant, abolendis abusibus invigilent, omniaque in templis decenter peragant. Monſtrat dehinc qua methodo capitula ruralia celebranda, quæve inibi peragenda ſint, *ut omni ſtudio ac diligentia fidelium animarum auxilia, eccleſiarum neceſſitates, et totius cleri ſtatus in iis facilius exquiri, et proponi poſſint.* Potiſſimam autem in iſtis conventibus rationem haberi vult adminiſtrandi pœnitentiæ ſacramenti, de quo varias quæſtiones proponit in capitulis ventilandas; mandatque, ut ſingulis menſibus *congregatio caſuum conſcientiæ* inſtituatur. Hunc in finem Ioannes ſuis conſtitutionibus addidit amplam inſtructionem de adminiſtratione ſacramentorum in genere et in ſpecie, præſtantiſſimis regulis refertam, ita, ut hæc epiſtola paſtoralis omnia ferme contineat, quæ alias in libris eadem de re inveniuntur. Subnectitur elenchus feſtorum et ieiuniorum, quæ celebrari per annum debent, ſuasque hortationes epiſcopus demum ita concludit: *Ut autem hæc noſtra decreta eam, quam optamus, habeant executionem, vobis vicariis, decanis et officialibus noſtris, tanquam eorundem a nobis deputatis executoribus ſerio mandamus, ut ea annuatim in veſtro capitulo prælegi ac ſtricte obſervari faciatis: eorum enim transgreſſores noſtram indignationem ac ſeveram animadverſionem nequaquam effugient.*

Qui Ioannis conſtitutiones integras perlegere cupit, adeat Lunigii ſpicilegium eccleſiaſticum *a*). Exinde vero diſpicimus, quam miſero in ſtatu clerus Curienſis ſqualluerit, ut mirum neutiquam ſit, hæreſin in Rhætia tam profundas radices egiſſe.

III. Nondum acatholicorum animis exceſſerat catholicæ religionis penitus ex Rhætia eliminandæ propoſitum; horum miniſtri anno 1604. die 1. Iulii Curiæ in publico procerum conventu poſtulaverunt, ut organorum uſum, ſupplicationes ad ædes ſacras, aliasque catholicas conſuetudines penitus abolitas ac prohibitas decernerent. Aſt Ioannes epiſcopus re comperta in prætorium advolans pravæ ſugeſtionis executioni magno animo ſe oppoſuit. Eodem tempore quum *Paulus V.* papa bello cum Venetis implicitus, eorum rempublicam interdicto afficeret; epiſcopus Curienſis impedimento fuit, ne illorum copiis tranſitus per Rhætiam concederetur; imo præſente Venetorum legato ſacris ad aram tamdiu operari noluit, donec is templo egrederetur. Rhæti hac agendi ratione acti in furias epiſcopum quaſi patriæ hoſtem habebant. Armis igitur inſtructi die 17. Aprilis anno 1607. aulam epiſcopalem ingreſſi, *Caſparum Baſelgam* Fürſtenburgi capitaneum, et die ſequenti *Georgium Belinum a Bellfort* Auſtriacum Rhætigoiæ prætorem captivos abſtraxerunt in æde

a) Continuat. II. p. 441.

ſenatoria interim cuſtodiendos. Dein de IOANNE in vincula coniiciendo deliberatum fuit, diesque facinori exequendo 23. Maii conſtituta. Verum is de præſenti periculo opportune admonitus nocturna fuga Ragatium, indeque Feldkirchium clam diſceſſit. Ruſtici vulgata præſulis fuga ingentes tumultus excitarunt, neſcii præ furore, quid agerent; quumque auriga quidam plauſtrum ſtramine onuſtum præterveheret, bipennibus illud ſtudioſe aliquis rimatus eſt, exiſtimans epiſcopum ſtramine occultari: verum hic iam Feldkirchii agens neceſſariam veſtium librorumque ſuppellectilem Curia ad ſe transvehi iuſſerat; ſed auriga ad pontem Langari intercepto, epiſcopi ſuppellex in prætorium Curienſe transportata eſt; ruſtici autem undecim ex ſuis quaſi aulæ præfectos in arcem epiſcopalem deſtinarunt, qui dies noctesque comeſſando ibi tranſegerunt tanta inſolentia, ut ſæpius 400. circiter convivas habuerint.

IV. Poſitus in hiſce anguſtiis IOANNES ſuæ tum adverſitatis tum obedientiæ nuntium Romam ablegavit *Zachariam* eccleſiæ Auguſtanæ canonicum et vicarium, qui *Pauli V.* pontificis epiſtolam Feldkirchium retulit die 15. Iulii anno 1607. datam. Condolens tot ærumnis papa IOANNEM ſolatiis erigit, eius zelum et patientiam dillaudat, iubet demum, ut in unionis ac ſubiectionis ſignum Romanæ eccleſiæ calendarium et breviarium a clero ſuo acceptari curet, iuxta Sedunenſis epiſcopi exemplum, qui ſuperioris Valeſiæ populos ad idem permoverit *a*).

V. Interea ruſtici furorem ſuum in captivos *Baſelgam* et *Belinum* converterunt, quos crudeliter tortos illum 14. hunc 16. Iulii capite truncarunt. Poſtulaverat *Baſelga*, ut ſibi pro noxis eluendis ſacerdotem ſubmitterent, cuius loco miniſtrum acatholicum adiunxerunt. *Belini* vero ſupplicium referre iuvat verbis *Iacobi Hugeli*, qui epiſcopi ſacellanus tragœdiam ad dominum ſuum perſcripſit in hunc modum.

„Infelix ſtatus nobilis ac ſtrenui prætoris provincialis domini *Belii a Bellfort etc.* veſtræ celſitudini iam innotuerit, quanta ſcilicet tyrannide, violentia, tumultu, rabie, ianuarumque effractione honeſtiſſimus optimusque vir ab hoſtibus ſuis captus, atque in mercatorias ædes hic Curiæ deductus fuerit. Calamitas eius incrementa quotidie cœpit; nam fontium carceri iniectus, atque ad torturam condemnatus eſt. Illuc ergo per contumelioſiſſima ludibria deductus adeo immaniter quæſtioni ſubiiciebatur, ut mihi ipſi teſtatus ſit, ſe multoties exiſtimaſſe, nullam membrorum ſuorum partem propter incredibiles eorum fragores cum altera cohæſuram. Quum ante carcerem e fune tortorio penderet, inſana plebs ad tympana et fiſtulas

a) Cod. prob. N. CXLVIII.

vociferationibus exultatione plenissimis choreas egit. Decimo ſexto tandem Iulii ad mercatorias ædes reductus mihi illuc accersito dixit: *O mi domine Iacobe! an ego unquam apud Dominum Deum meum commeritus ſum, ut mihi tantam in meo martyrio extremaque calamitate tolerantiam præstet, mihique concedat, ab hostibus meis ſuppliciis affici, ſicque noxas meas, earumque pœnas delere? etc.* Milites quidem mihi ſoli cum ipso colloqui permiserunt, ideoque inter ſumendum iusculum de peccatis ſuis apud me se accusavit, multumque conquestus est, quod argenteam cruciculam, cui cera agni Dei, aliaque ſacra lipsana inclusa erant, de collo eius detraxissent: præbui ego, quod habebam, numisma benedictum, lucrandis in agone indulgentiis insigne, quod cum gaudio a me accepit, colloque ſuo appendi permisit; manus enim illius adeo intumuerant, ut iis uti non posset. Delicatissima illius brachia multiplici torsione vulnerata, et humeri tam male habiti, ut vestis ipsis ſuperindui non potuerit. Idem mihi dixit: hesterna die, quæ dominica fuit, bis acerbissime tortus ſum, atque una quidem vice per integram mediam horam in tormentis, appensa maxima ponderum mole, pependi adeo, ut omnia mea membra loco mota fuerint: universis tredecim vicibus, quater ſine ponderibus, novies vero cum ponderibus tortus fui; ſæpissime mihi ſuæ celsitudinis côncio recurrit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* „

„ Denique dominum *Georgium a Monte* meque rogavit, ut dom. *Georgium ab Altmannshausen* conveniremus, rogaturi eius nomine, ut tam ſuæ Serenitati, quam laudatissimo regimini ex se valediceremus, gratiasque pro magnis ſua causa factis impensis ageremus. Questus insuper est, tortorem magistrum Ludovicum pridie temulentum fuisse, ideoque membra restituere neglexisse, ea causa maximos ſibi dolores cieri. Quis non optimum dominum miseratus fuisset, cui nemo hominum quidquam edulii vel potus ſubministrabat? Tandem iudicii assessores liberaliter pasti ac refecti prodierunt, et mox incredibili ſublato clamore populi dominus *Belii* in ſubiectam planitiem deductus est; illic processus capitisque ſententia germanice italiceque perlecta universa multitudo e medio tollendum iteratis vocibus agite! agite! ingeminavit. Per urbem eundo alternatim psalmum *Miserere etc.* ternis vicibus recitavimus, aliquot prædicantibus pone ſequentibus. Horum unus quum vetuisset ſalutationem angelicam recitari, a domino *Belii* ſuaviter ac mansuete increpatus est. Facta in loco ſupplicii corona medium eum ſtitit Ludovicus carnifex, eiusque indusium tam profunde discidit, ut ad lumbos usque dependeret. Animadversum est multicolor eius corpus ob interfusum per tormenta ſanguinem fuisse. In hoc theatro generosus athleta, quamvis nudus, attamen animi plenus

ad circumfuſam multitudinem italice et germanice prolixe dixit, multorumque lacrimas excivit, populum ad quietem hortatus est, ſingilatim Rhætigoienses; innocentiam ſuam testatus ab omnibus ſibi condonari rogavit, ipseque pro ſuis hostibus ex animo Deum precatus, tandem in hæc verba prorupit: *In vera orthodoxa catholicaque fide ut honestus vir morior.* Tum ſcabello, quod ad eum finem paratum erat, insedit, invocatoque ſanctiſſimo Iesu nomine capite plexus est; cadaver in cathedralis templi, prout ipse postulaverat, terra conditum est. „

VI. Perpetrato parricidio causam absentis episcopi ventilandam ſusceperunt, eumque tam Curiæ quam Ilantii ad mulctam pecuniariam ipsumque exilium condemnarunt. Paulo post IOANNES Lucernam profectus, mense Augusto ad consulem Curiensem *Raserium* litteras dedit, vel ut quid agendum consuleret, vel ut se purgaret; accusabatur enim, quod episcopatum ſuum in tutelam alienigenæ principis tradiderit, et quædam feuda absque fœderatorum consensu alienarit. Eadem de causa ad papam perscripsiſſe videtur, ſiquidem is eodem anno 29. Septembris per litteras episcopatum Curiensem *Rudolpho* imperatori maximopere commendavit *a*). Rhæti dehinc datis 1. Decembris litteris IOANNEM in ius Ilantium vocarunt ad accusationes responsurum: „Nos, inquiunt, quando iuxta instructionem nobis a 3. ligis datam cum plena potestate iudices ac causarum decisores ſumus, adeoque obligati dominis accusatoribus ius non negare; ideo vi præsentium ſuam Celsitudinem citamus, ut coram nobis Ilantii compareat, idque proximo die Lunæ, contra actiones se defensura. „

Canonicorum quidam veriti, ne ultimum episcopatui exitium immineret, si ista provocatio penitus contemneretur; ſui episcopi loco coram prædicto tribunali comparuerunt, audituri, quidnam delicti adversus illum accusatores proferrent: dicebant autem, episcopum in eo deliquiſſe, 1. quod litteras repertas Mediolanum transmiserit: 2. fœdus Mediolanense ambierit: 3. transitum Venetis negaverit, atque cum *Belino* conspiraverit: 4. quod absque licentia Rhætiam reliquerit demum quod ſeminarium erigere pro indigenis conatus fuerit. IOANNES nuntio eorum, quæ gerebantur, accepto, catholicos Helvetios in ſubsidium vocavit, quos lugubrem ecclesiæ ſuæ ſtatum edocuerat: hi ſeriis et minacibus litteris Rhætos a ſeditione diroque iudicandi modo abducere, et Curiensem episcopatum in tuto collocare conati nil aliud effecerunt, nisi ut alii iudices constituti fuerint. Episcopus interea Feldkirchii morabatur, unde tertio licet evocatus a Rhætis prudens discedere

a) Cod. prob. N. CXLIX.

noluit, quum illis necquidquam in eum iuris competeret, ipſemet vero cauſam timendi haberet, ſe nonniſi cum graviſſimo vitæ periculo reverſurum.

Quocirca iudices Ilantini trium ligarum nomine die 27. Iulii ann. 1608. in Ioannem ſententiam tulerunt in hunc ferme ſenſum: „ Parati ſumus epiſcopum in gratiam recipere, ſi profiteatur, tres ligas ſuum legitimum, naturalem verumque magiſtratum eſſe, qui iuriſdictionem in illum habeat, ſeque illi nunc, et in futurum ſubiicere velit, quin ſe ullo modo rationi regiminis immiſcere præſumat: ad proximum menſem Septembrem declaret, utrum hanc deciſionem acceptare velit, nec ne; quod ſi fecerit, in gratiam receptus rurſum in arcem epiſcopalem inducetur; ſin minus, tota Rhætia exul dignitate ſua privabitur: tandem obſtrictus ſit, præter expenſarum partem 600. coronatos in pœnam ſolvere. „ Imprudens hæc ſententia nullum ſortita effectum fuit. Ut interim aliquam dominii in epiſcopum ſpeciem præſeferrent, eundem ad rationes de adminiſtratione bonorum reddendas adegerunt, Helvetiis ulteriorem furorem cohibentibus.

VII. Non deerant fideles amici, imo ipſemet ſummus pontifex, qui Ioannem ad reditum hortabantur, ſalvumque, ut aiunt, conductum impetrabant. Igitur, postquam a *Maximiliano* archiduce duo cœnobia Capucinorum extruendi unum Meranii, alterum in *Mals*, facultatem impetraſſet; ad eccleſiam ſuam reverti conſtituit: iamque anno 1610. die 10. Novemb. ad clivum S. Lucii ſupra Maiævillam pervenerat, quum ecce Rhætigoius quidam furenti animo horrendæ molis ſaxum adverſus illum detruſit, quod tamen ſine ulla corporis læſione feliciter præterlapſum eſt; alius immani fuſte reducem percutere volebat, illo ictum celeriter devitante. Pavore correptus Ioannes iter relegere deſtinaverat, comitum vero precibus devictus cœptum iter proſequens in pace Curiam advenit.

Dudum iam obſtetricante miniſtrorum verſutia ſenatus conſulto civibus Curienſibus vetitum erat, ne quis ſacrorum cauſa cathedrale templum ſubiret; hinc factum ut natali Chriſti nocte, dum divina inibi agebantur, vigiles et apparitores bipennibus armati templum intrarent ſcrutaturi, num forte inter fœminas etiam civium aliquæ adeſſent, et ne fallerentur, paſſim mulieribus vela ſubtraxerunt.

VIII. Erant Vatii inferioris incolarum aliqui acatholicorum ſectæ addictiſſimi, in id unum intenti, qua ratione amoto paſtore catholico novatorem ſubſtituerent, tradita eidem æde parochiali: quumque variæ technæ ac fraudes nil proficerent, ventum ad violentias fuit; nam anno 1612. Ianuario menſe a fœdere

cathedrali impetraverunt, ut 800. armatorum ope cœptum consilium executioni mandaretur: verum catholici et ipsi arma capientes in cœmeterium se contulerunt ſuum templum defensuri, ut, si occumbendum esset, in patrum ſuorum ſepulcra corruerent, ad exemplum patroni ſui S. Laurentii aientes se potius torreri se passuros, quam e ſuo templo ritus catholicos eiici. Prohibere tamen non potuere, ne præco acatholicus induceretur. Res demum die 22. Maii per arbitros eum in modum decisa est, ut religionis utriusque exercitium ſine alteriusutrius præiudicio in eodem templo permitteretur. Idem postea Zizerii et in Trimis contigit.

Difficultas, quam hæretici in isto conatu ob fidelium constantiam experiebantur, alteram Ioanni episcopo tempestatem accivit, utpote cuius hortatu et exemplo catholici tam firmi perstarent. Inito igitur consilio decreverunt, via vi facta illum ex arce cathedrali captum abstrahere, optime gnari, pastore percusso oves facile dispersum iri. Grandem hanc procellam Ioannes die 27. Maii celeri fuga antevertens Ragatium, inde Feldkirchium tandemque in arcem Fürstenburgicam profectus est.

Haud diu post Curiæ in comitiis publicis Iesuitæ, qui in Valletelina et comitatu Clavennæ ſedem figere inceperant, proscripti in perpetuum fuerunt, ne ſcilicet eorum industria hæresis quidpiam detrimenti pateretur.

IX. Sequenti anno 1613. imperii comitia Ratisbonæ habebantur, ad quæ vocatus Ioannes *Ludovicum Mollartum* baronem de *Rheineg* et *Rosendorf* eo ablegavit mandans, ut ſuo nomine ab imperatore *Matthia* regalia ſuſciperet: in litteris 1. Augusti hac de re ſcriptis ſuæ absentiæ causas profert itineris difficultatem, ſenectam, pauperiem, et inauditas Rhætorum infestationes, quibus in exilio miseram vitam trahere compellatur. Aerumnis ecclesiæ ſuæ vehementer tactus in ſequentis anni 1614. autumno intrepidus ad pericula Curiam reversus est. Incredibile dictu, quantas fidelis hic pastor assidue molestias et insectationes ab acatholicis forti animo pertulerit: ipsa ſuæ diœceseos visitatio ei prohibita fuit, quod Rhæti catholicos per eam magis a novatione alienos experti essent; *Philippus Archinti* episcopus Comensis hoc anno facultatem visitandi provincias Rhætis ſubiectas 600. florenorum largitione ægre a ſenatu rhætico obtinuit *a*).

X. Hoc ministrorum acatholicorum opus, hic labor fuit, cuiusvis crudelitatis ope episcopatum funditus delere. Vidi fragmentum epistolæ ad *Nicolaum Antonium*

a) Ros. a Porta Hist. reform. T. II. p. 250.

apud Scanficenses ad S. Petri præconem datæ, quæ anno 1619. in catholicorum manus devenit; manifestatur ea ſanguinolentum consilium in hæc verba: *Patria eiiciamus, occidamus, cautiſſime tamen id fiat, ne per nos, ſed per oratores Rhætiæ id factum appareat: ſpicas eminentes decutiamus, et primo episcopum, abbates, prælatos, ministros contradicentes, deinde politicos hispanizantes: alios permittamus, ut se invicem consumant; hos extollamus, illos opprimamus, et ſic facile et caute conterentur. Nisi enim ſecemus, ſecabimur: oppreſſis illis nil mali timendum. Senatus erit noster, rusticos popularesque nemine advertente in nostra habebimus potestate, et ut uno verbo dicam:* EXILIO ET MORTE TRECENTORUM VIRORUM RES NOSTRA IN TUTO ERIT; *nostro nutu domi forisque divina et humana pendent, modo hanc præclaram occasionem non negligamus. Simus blandi rusticis, bibamus, ludamus cum illis, mores eorum discamus imitari, ſicut volucrum voces aucupes etc.* Huius epistolæ etiam meminit *Augustinus Stæcklinus* in antiquitatibus Fabarienſibus Msc. et integra habetur in archivo episcopali Curienſi in *historia religionis* cum hoc postscripto: *Quum patria nostra nullâ alia ratione ſalva esse poſſit, quam ut ſemel reluctantes e medio tollantur, conclusum est inter nos et politicos, tandem coniunctis viribus episcopatum et civitatem Curienſem funditus delere; deinde omnes in Rhætia papistas, si nolint nostram religionem profiteri. Habetis, quæ ſcire voluistis. Vos interim viriliter agite! Deus aderit piis conatibus. Vester, quem nostis etc.* Quæ ſequuntur, demonstrant, consilium istud neutiquam fictitium, ſed ſtudio initum, et quoad licuit, gnaviter executioni mandatum fuiſſe; portas vero inferorum adversus ecclesiam Christi nunquam prævalere.

XI. Anno 1617. adhuc Curiæ morabatur IOANNES episcopus, quumque in ipso S. Pentecostes die divinis in templo operaretur, constitutum fuit, illum ſede ſua abstractum in vincula coniicere. In tempore catholicis ſuboluit horrendum facinus, qui probe instructi et armati templi fores muniverunt; quo apparatu perterrefacti parricidæ nil ultra tentare ſunt ausi. Succreſcentibus vero identidem novis insidiis ac periculis IOANNES hostium furori cedendum ratus die 21. Augusti iterum Curiam reliquit.

Elapsa principe hac præda ministri novatores anno ſequenti mense Aprili conventum Burgunii ad consilia capeſſenda condixerunt, quibus Hispanizantes, eo nomine catholicos intelligebant, reprimerent: patriam, religionem peſſumdari clamitabant, ni isti pereant, ſui proin officii esse, tum proceres tum communitates de periculo monere, et illis hispanizantes detegere. Res eo deducta fuit, ut *Thosanæ* in Domestica valle tribunal censorium, ſeu criminale iudicium erigeretur, a quo de hispanismo convicti punirentur: constabat id ex 66. iudicibus, quorum pri-

mores erant novem miniſtri, ſeu prædicantes *a*), de quibus *Fortunatus a Iuvalta* teſtis oculatus ita ſcribit in ſua biographia: „Nemo in iudicum admiſsus numerum fuit, qui miniſtris non probaretur, illiſque addictus, et obnoxius eſset. Cuilibet iudici numerus ſatellitum ſeu Gomerorum adiunctus fuit. Præterea decreverunt, ut in poſterum omnibus comitiis ſeu conventibus publicis intereſsent ſumtu publico trium fœderum tres miniſtri evangelici, idque ad communitates ab illis ratificandum perſcriberetur; ſed contrarium evenit, et communitates contra multorum opinionem approbare penitus recuſarunt. Inter miniſtros illos erant nonnulli iuvenes vitæ diſsolutæ, temerarii, impudentes, et ad quodvis audendum præcipites. Miniſtri etiam plures erant, qui se in officio continuerant, nec se SEDITIONI immiſcuerant, nec etiam probabant; ſed hi contra alios ſatellitio ſtipatos ne hiſcere quidem audebant. Cæterum modus in iudicio procedendi hic ſervabatur: miniſtri ſcripto comprehendebant, de quibus eos, qui in iudicium vocabantur, accuſari volebant, id ſcriptum accuſatoribus ſeu fiſci procuratoribus dabant, illi iudicibus proponebant; miniſtri proceſsus inſtruebant, teſtes examinabant, eorumque dicta ſcribebant, ſententiis ferendis interveniebant, omnia prope ad eorum nutum fiebant. Ideo si quid boni ibi actum fuit, miniſtris gratiæ debetur, si quid ſecus, ab illis proceſsit. „

Ergo miniſtri acatholici non ſolius inſpectionis cauſa aderant, ut Roſius de Porta ſcribit *b*), ſed tanquam iudicii capita, a quibus cæteri dependebant. Idem *Fortunatus* poſtquam retulit, quid ſibimet coram iſto tribunali acciderit, narrat, quam enormiter innocentes ob rem nihili mulctati fuerint, pergitque: „Quosdam ex ſubditis pontificiis primariis acriter inſectari et exagitare cœperunt: aliqui aſsumtis aliquot ſicariis per communitates iverunt, et aliquot viros abſque aliqua figura iudicii trucidarunt. Carnifex Curienſis querebatur, ſibi dehinc in Rhætia locum non eſse, Rhætos enim tot carnificibus abundare, ut opera ipſius amplius non uterentur, ſibi itaque cedendum, et alio demigrandum eſse. — Paſsim dicebatur, miniſtrina illa tyrannide nullam unquam crudeliorem, intolerabiliorem, aut magis deteſtandam poſt hominum memoriam unquam tyrannidem extitiſse. „

XII. Ad ſcelestum hoc tribunal rapiebantur ſacerdotes, nobiles, conſtituti in dignitatibus, et quicunque miniſtris in odio fuere: alii capite, alii exilio, alii multo ære mulctati. Hic etiam IOANNES epiſcopus quaſi variorum criminum reus adeſse iuſsus, et actio in abſentem inſtituta fuit. Accuſationis hæc erant capita: licet proſcriptus ut proditor patriæ tres ligas ut dominos et ſuperiores ſuos agnoſcere

a) Ros. a Porta loc. cit. T. II. cap. XI. *b*) Ibid. p. 263.

noluit, atque ſine illarum permiſsione in patriam regreſſus eſt: hiſpanorum conſiliorum conſcius et auctor ſemper extitit: evangelicis diſpenſationem conſanguinitatis pro ineundo matrimonio, imo alicui ipſam ſepulturam negavit: novum calendarium recepit, fratrem ſuum *Andream Flugium* de Asperomonte arci Fürstenburgicæ præfecit: feudum episcopale 200. flor. ſine fœderis conſenſu alienavit: in quatuor pagis publice pro concione dixit de materia ſtatus: inſciis communitatibus cum Gallis fœdus prenſavit: anno præterito litteras ad Atheſinos dedit rogans, ut in omnibus templis pro ſe ad Deum preces funderentur, ſe enim inter medios hæreticos agere nullibi ſecurum. — Hiſce perceptis iudices ſententiam tulerunt huius tenoris: IOANNES episcopi dignitate privatus in perpetuum trium ligarum regionibus exulet, ac proſcriptus eſto: bona ipſius fisco addicta ſunto: nemo ipſum hoſpitio ſuſcipiat, nemo apud ſe detineat: quodsi Rhætiam intraverit, confeſtim carnifici tradatur capite plectendus: novus in eius locum ſubrogatus præſul iureiurando tres ligas ſupremos ſuos dominos agnoſcat, ſicut Rhætus quivis, et protectioni regis Galliarum aliorumque principum renuntiet. —

XIII. Plurimi in hac crudeli laniena Thoſanenſi atrociſſima ſupplicia ſubierunt, quos inter eminet B. NICOLAUS RUSCA Sondrienſis in Valletelina archipresbyter, cuius vitam et mortem hoc loco dare ſuſcepti operis ratio poſtulat: illam ſcripſit aliquoties iam laudatus *Auguſtinus Stæcklinus* Murenſis hoc eodem tempore Fabariæ decanus, teſtis proin coævus et minime ſuſpectus. Quæ fuſe collegit, hauſit ex ore *Colonelli Ienatſchii* olim prædicantis, qui rei interfuit, et teſtimonio *Michaelis* abbatis Fabarienſis, qui ea ab ipſo carnifice Curienſi didicit, aliorumque multorum teſtium conſenſu. En ſynopſin!

Natus eſt B. NICOLAUS RUSCA anno 1562. Bedani arce quondam munitiſſima comitum Luganenſium in duodecim cantonum Helvetiæ præfectura inter lacum Verbanum et Luganenſem. Patrem habuit D. *Ioann. Antonium de Rusca* virum prænobilem et ſtrenuum, matrem vero D. *Dariam* ex Quadriorum familia pervetere, a quibus pie educatus puer *Dominico Tarillo* Comani (pagus eſt Bedano haud longe diſtans) parocho erudiendus traditur, verecundiæ, modeſtiæ, gravitatis et obedientiæ ſpecimen inſigne, cultor B. V. Mariæ præcipuus. Poëſin Romæ, rhetoricam, philoſophiam et ſacras ſcientias Mediolani in collegio Helvetico mira cum laude hauſit, etiam linguis orientalibus operam ſuam addicens. De *S. Carolo Borromæo* tunc adhuc ſuperſtite id ſingulare referunt, quod, quoties *Nicolaum* obvium caſu vel induſtria haberet, impoſita iuveni manu, formatoque crucis ſigno dixerit: *Fili!*

certa bonum certamen, *consumma cursum*, *reposita est tibi corona iustitiæ.* Sacerdotio postmodum inauguratus abs *Ioanne Ulpio* Comensi episcopo parœciam Sessæ in tractu Luganensi regendam ſuscepit, quam biennio magno animarum fœnore tenuit. Interea Sondrienses ammisso ſuo archipresbytero virum postulabant, qui ingruentem hæresin compesceret, veriti ne ſectarii ſuorum quempiam obtruderent. *Simon Cabusus* Tirani parochus opportune NICOLAUM ſibi a pueritia notum ſuggessit, qui reluctans et invitus hortante *Feliciano Ninguarda* Comensi episcopo oblatam archipresbyteri dignitatem ſuscepit. Pro concione tam gnaviter, perspicue et graviter ad motum æque ac persuasionem dixit, ut toti in illum amore raperentur fideles, ſibi vero timerent heterodoxi aientes, NICOLAUM magnum diabolum, ſuæque ſectæ fortissimum oppugnatorem esse. Templum Sondriense ſquallidum exornavit, ecclesiæ redditus distractos recuperavit, bibliothecam optimis quibusve libris instruxit ſacræ lectioni se totum impendens. Scipionem Calandrinum, eiusque ſocios bis publica disputatione devicit, multis reditum ad fidem avitam persuasit, varios abusus ſustulit, v. g. matrimonia et parentelas catholicos inter et hæreticos, quorum technas ſæpissime detexit et consilia elusit.

His aliisque non paucis, quæ NICOLAUS pro religione gessit, in rabiem acti reformatores innumeras eidem persecutiones moverunt, continuas ad tria Rhætorum fœdera querelas deferentes, ut quoquo modo terribilem hunc virum Sondrio dimoverent. Occasionem præbebat *Michaelis Ciapini* ſupplicium anno 1608. mense Septembri, quem morti vicinum *Rusca* invisit, eiusque confessionem excepit, cui Vallistelinæ capitaneus interesse voluit, id a NICOLAO ira minisque ſpumans incassum extorquere conatus *a)*. Capite truncati præterea tres nautæ, quod *Calandrinum* iussu Ciapini Mediolanum abducere voluerint. Omnibus ex officio adfuit *Rusca*, id quod ſuspicionem movit, eum consilii participem, ducemque fuisse. Delatus igitur ad trium ligarum tribunal, de insidiis præmonitus fuga ſibi consuluit. Tractu temporis duodecim ex Rhætia iudices delegati, qui in causam eius inquirerent, illum 600. aureorum mulcta onerarunt, quam Sondrienses, ne pastore amatissimo diutius carerent, promtissime ſolverunt. Redeunti tota catholicorum civitas obviam effusa patrem ſibi restitutum gratulata est. Extremam denique *Ruscæ* procellam movit gymnasium, quod anno 1617. novatores ad ſeducendos catholicos Sondrii moliebantur. Consilio huic murum se opposuit NICOLAUS, idque effecit, ut se vivo executioni non daretur *b)*. Hæc fere ea ſunt, quæ archipresbytero horrendos cruciatus, mortemque ipsam acciverunt.

a) Ros. a Porta Hist. reform. T. II. p. 88. ſeq. *b)* Ibid. p. 250. etc.

XIV. Tragœdia ſic contigit. Anno 1618. menſe Iulio ducenti ſclopetarii ducibus Alexandro Blasio, et Georgio Genatſchio ſuperatis alpibus bipartito itinere Vallemtelinam improviſo irrumpunt, omnesque, quos ante miniſtri designaverant, comprehendunt, capitaneum *Peverellum*, *Ludovicum Caſtellum*, *Ioannem Zambram*, *Thartsinum Selderum*, aliosque. Sondrium quinquaginta milites venere, qui concubia nocte domum archipresbyteri ſcalis per feneſtras latronum more ingreſſi NICOLAUM RUSCAM unacum fratre eius *Bartholomæo* ſtrato extraxerunt, vix tantundem ſpatii relicto, ut honeste veſtibus se indueret. Plures tam eccleſiaſtici quam ſeculares ad ſtrepitum fuga dilapsi ſunt; archipresbyter vero per reliquum noctis in prætorio Sondrienſi adſervatus eſt. Ad auroram *Bartholomæo* fratre dimiſſo, inverſa facie ſtrigoſo equo impoſitus et crudeliter vinctus per aſperrimas vias Curiam raptatur; quo permoleſto itinere alterum eius genu exulceratum tantopere intumuit, ut Curiæ, quo 21. Iulii advenit, in hoſpitio ad ſignum ſolis curandum fuerit. Ea in cuſtodia tanta dedit pietatis, patientiæ, hilaritatis et humilitatis ſpecimina, ut ſtuperent ipſimet acatholici: certe mulier quædam *Catharina Adakina* nomine ingenue fatebatur, se et quotquot plene efferati non fuiſſent, commiſeratione tactos lachrimas cohibere non potuiſſe, quum NICOLAUS Calendis Auguſti Thosanam deduceretur. Petierat ante ſacerdotem, cui animæ ſuæ piacula panderet, ſed repulſam tulit. Helvetiorum legati, nec non *Ludovicus de Sarego* nuntius pontificius omnia tentarunt, ut archipresbyterum in libertatem adſererent, aſt incaſſum.

Vigeſima ſecunda Auguſti ſiſtitur iudicibus, accuſatur, quod conſilii de capiendo aut obtruncando *Calandrino* conſcius fuerit, magiſtratus iuſſa ſpreverit, populi amorem aucupatus eundem immorigerum reddiderit, factioni hiſpanicæ faverit, mutuum epiſtolarum commercium cum exterorum principum miniſtris habuerit, bisque se Mediolanum contulerit. Nempe quidquid NICOLAUS pro religione egit, id ei crimini dabatur: de quibus vero accuſabatur, ea vel aliena a vero, vel certe laude digna fuiſſe demonſtrabat. Itaque raptus ad tormenta fuit. Rhætis tormenti genus eſt ductorius funis oblongior unco ferreo in ſummitate munitus, et trochleæ ad parietem vel humi immiſſus: huic funi utraque manu a tergo obverſa, et adpenſo pedibus gravi pondere rei ita ſuſpenduntur, ut membra incredibili doloris ſenſu ſumma violentia extendantur, et motis internodiis acerbiſſime luxentur. Hunc in modum NICOLAUS die 24. Aug. fune motu lento in ſublime tractus tribus circiter horis inter acutiſſimos cruciatus pendens relinquebatur. Egerat tunc annum ætatis 56. ramice laborans. Pendentem miniſtrorum aliquis contra ius fasque funem rotando et percutiendo circumegit, aliis martyri barbare ac blaſpheme inſultantibus:

Ecce! iam ſacrificulus noſter in ara patibuli ſui miſſam privatam celebrat! ecce quam devotum ſe exhibet! ut miſſæ ſuæ panem orbiculare idolum ſublatis manibus altiſſime elevat! ut canonem papiſticum et ſecretas tacite demurmurat! etc. Orabat enim vel inter tormenta NICOLAUS, et ridentis interdum ſpeciem præſeferebat. Prædicantes, ut eo liberius athletæ illuderent, per noctem carnificem abesse iusserunt, prout ipsemet anno ſequenti faſſus est Sarganſii; poſtridie redux carnifex archipresbyterum ſeminecem reperit, adeo crudeliter eo abuſi fuerant miniſtelli. Alteram dehinc torturam ſubire cogitur; miſeratione motus carnifex prædicantes monuit, deſiſterent, ſi NICOLAUM diutius ſuperſtitem vellent. De variis interrogatus conversis ad ligæ cancellarium oculis, coram *Sigisberto* de *Runs* consule Deſertinenſi, *inſcribe*, aiebat, *chartæ tuæ, me prorſus innocuum eſſe; pro rota me interim uti licet, huc illuc vertar, quo imperabitis; in fidei catholicæ teſtimonium æquo paratoque animo moriar.*

Confeſſarium inter tormenta petenti prædicantes denegarunt, aientes, publice confiteretur, paratos se eſſe, ad delicta eius excipienda. Tum lictore foras ire iusso, unus post alterum concuſſo fune, illum nunc bipennibus quatiendo, nunc deorſum trahendo, rotando, et pondera appenſa movendo miros viro cruciatus intulerunt, ita ut alta qua potuit voce clamaret: *Deus meus! Deus meus! adiuva me.* Fune tortorio interea nimia vexatione diſrupto NICOLAUS ut erat ligatus, in terram corruit, venisque circum præcordia diſſilientibus copioſum e naribus ſanguinem egurgitat delapſus in animi deliquium. Accurrit tremefactus carnifex, ſemianimem frigida recreat, atque cruore perfuſum in ſtraminum congeriem pertrahit. Ex deliquio redux *Ruſca* condonatis omnibus iniuriis agonem ſuum Deo et B. V. Mariæ commendavit, in fide catholica se mori conteſtatus. Prædicantes crudelitate nondum ſatiati, illum denuo in funem tolli imperarunt patria voce ſubsanñantes: *Far il gattone, far il ſogano!* fac nobis hiſtrionicum quid. Carnifice iuſſa exequente NICOLAUS ruptis præcordiis animam Deo reddidit die 25. Auguſti. Corpus eius iudicum ſententia ſub patibulo humatum fuit, cui facto infami ipſimet acatholici indignabantur.

XV. Catienſis parochus *Thomas Hauslerus* ſequenti anno 1619. NICOLAI effoſſum primo caput, dein et reliquum corpus in monaſterium Fabarienſe tranſtulit, ubi religioſe adſervatur. Oſſa quædam ad abbatiam Murenſem deportata fuere. *Auguſtinus Stæcklinus* plura de eo miracula recenſet, variasque ſanitates ad eius cineres multis collatas.

Scriptores acatholici, quos inter *Roſius a Porta a)*, Nicolaum Ruscam ob reluctantem in dominantes ligas rhæticas animum, varioſque adverſus illarum decreta conatus comprehenſum, atque ut a tormentis liberaretur veneno clanculum infectum perhibent, ut exinde prædicantibus maior invidia conflaretur; quaſi vero quæ ſuſtinuit tormenta ad mortem viro valetudinis infirmæ inferendam non ſuffecerint. Neque dominantibus reſtitit *Ruſca*, neque illorum decreta eluſit, niſi dum in catholicæ religionis perniciem nitebantur, quam utique vi officii tanquam primus Valliſtelinæ paſtor, pro aris et focis defendere tenebatur. Videbant enim miniſtri, eorum ſectam, niſi *Ruſca* ſubmoto, ſalvam in Valletellina conſtare haud poſſe, utpote qui zelo, doctrina, pietate, manſuetudine omnium ſibi animos devinxiſſet, ſectariis ſe murum æneum opponeret, omneſque eorum technas pro virili irritas redderet. Conqueſti ſunt novatores, Valliſtelinenſes ſemper animos magis magisque a reformatione alienos præſetuliſſe, quotieſcunque Nicolaus in canonica Sondrienſi domo ſuos conventus habuiſſet. Cauſa igitur, quam propter tam crudeliter ad mortem usque tortus eſt archipresbyter, ſola religio fuit; præſertim quum miniſtri fixum in animo habuerint, *ſpicas eminentes decutere, omnes in Rhætia papiſtas delere, et 300. virorum morte rem ſuam in tuto collocare b)*; eoque ſolum fine tribunal Thoſanenſe erexerint. Neminem proin catholicorum fore puto, qui Nicolao Ruscæ martyrii lauream denegare auſit *c)*.

Certe ipſimet Rhæti barbarum hunc agendi modum reprobantes anno 1619. Curiæ iudicium conflarunt, a quo acta Thoſanenſia reſciſſa, iudiceſque iudicati fuerunt; verum abſque ſucceſſu, nam obſtetricantibus miniſtris rurſus Davoſii aliud tribunal, ſeu *Strafgerichtum*, Thoſanenſi haud abſimile conſtitutum fuit, et ex æquo crudele; donec Rhætia in ſeipſam crudelior etiam armis alienis perſtreperet *d)*.

XVI. Interea inauditæ Rhætorum crudelitates, et quibus Ioannem epiſcopum onerabant, iniuriæ ad aures *Matthiæ* imperatoris delatæ fuerunt, qui ineunte anno 1619. ad tres ligas litteras dari curavit, graviter queſtus, non ſine graviſſima cæſareæ maieſtatis iniuria tantopere ab illis epiſcopum Curienſem vexari, utpote qui imperii princeps, ſi quid forte etiam deliquiſſet, nonniſi coram tribunali cæſareo iudicandus eſſet. Hinc ſerio mandat imperator, ut epiſcopum omnibus iuribus illico reſtituant, ni vindictam iuſtam experiri malint, querelas vero, ſi quas habeant, ad ſe tanquam ſupremum et legitimum iudicem deferant, ius omne, quod illis competere viſum, certo certius indepturi *e)*. Interim Auſtriacus miles vallem Mo-

a) Loc. cit. T. II. p. 266. ſeq. b) Supra §. X. c) Conf. Quadrio Diſſertaz. T. II. Diſſertaz. III.
d) Ros. a Porta loc. cit. T. II. cap. XII. e) Cod. prob. N. CL.

naſteriensem iam occupaverat, nec non arcem Fürstenburgicam usque ad 15. Iunii huius anni, id quod episcopo ultra 2075. flor. constitit.

XVII. Necdum tamen hæretici catholicorum res tam ſacras quam profanas invadere destiterunt; nam anno 1620. monasterium Deſertinense ſpoliarunt et incenderunt, *Pompeium Plantam* præconum ſuasu crudeliter e medio ſustulerunt, aliaque nefanda perpetrarunt. Accessit laniena in Valletelina, quam narrat *Rosius a Porta a)*. Ligæ Griseæ homines cæteris æquiores visi die 17. Octob. in campo Amisiano articulos quosdam condiderunt reliquis duabus ligis minime probatos. Sanxerunt autem inter alia, ut in quavis communitate publicum religionis exercitium numerum ſequatur maiorem; ubi plures catholici, catholica; ubi plures reformati, reformata religio dominetur: liberum catholicis, licet numero minoribus ſit, ſuos dies festos celebrare, anniversaria, ſcholas etc. instituere: monachi quivis regionem incolere non prohibeantur; bene vero clericis omnibus facultas rebus politicis ſeſe immiscendi denegetur, episcopo Curiensi et Deſertinensi abbate exceptis, quibus ſua iura ſalva ſunto *b)*.

Ministri hisce conatibus ſe oppositurі alium conventum in *Fillisur* coegerunt, nihilo tamen ſecius anno ſequenti tres Iesuitæ duoque Capucini in ligam Griseam accerſebantur. Implorati ab episcopo ſeptem Helvetiorum catholici pagi cum nuntio apostolico *Scapio*, galliæ Hispaniæque regum legatis menſe Iulio anni 1621. Lucernam ad comitia confluxerunt, IOANNI episcopo et religioni catholicæ, quas posſent, ſuppetias laturi: aderat ibi nomine episcopi *Casparus Sainus* Curiensis decanus. Agebatur de adſerenda Rhætis Valletelina ea ſub conditione, ut inibi ſola religio catholica exerceri possit, quæ in tribus etiam ligis ita libera esse debeat, ut episcopo Curiensi, et monasteriis iura omnia tam politica quam ecclesiastica restituantur. Verum ſenatus rhæticus, quum eidem *Guefferius* Galliarum regis legatus hanc comitiorum deciſionem perſuadere omni modo conaretur, illam laconice eluſit, ſicque negotium effectu caruit.

XVIII. *Gregorio XV.* menſe Febr. anni 1621. ad ſummum pontificatum evecto IOANNES binas epistolas ſubmiſit, altera dignitatem gratulatus, altera maximam eccleſiæ ſuæ calamitatem expoſuit. Reſponſorias dedit papa 25. Augusti et commiſeratione et ſolatio plenas; aitque, ſe nec conſilio nec auctoritate defuturum, ut diſſidia Vallistelinæ felicem exitum ſortiantur, ibique catholica religio ius ſuum recuperet: ea de cauſa ſe iam nuntios ad reges principeſque ablegaſſe, in Val-

a) Loc. cit. T. II. p. 289. ſeq. *b)* Ibid. p. 377. etc.

lemtelinam vero *Alexandrum* episcopum Campaniensem, quocum agere ac deliberare possit *a*).

Insuper IOANNES aliique Austriæ archiducem *Leopoldum*, cuius iram alias Rhæti lacessivissent, interpellarunt, ut catholicæ religionis rationem haberet. Is datis die 20. Octobris Oeniponte ad Grisones litteris ob varias invasiones et violentias eisdem bellum indixit. Statimque milites duce *Baldirono* hinc ex valle Monasteriensi in Oengadinam, illinc ex valle Drusiana in Rhætigoiam irrumpunt. Ad exercitus conspectum hæretici paululum mitescere, et catholici respirare cœperunt, qui hactenus interdicebantur ritus catholici pluribus in locis ultro permissi, passimque ob ſacerdotum penuriam Capucini accersiti fuerunt. Interea episcopus Fürstenburgi ſubsistens, quum Austriaci mense Novembri Curiam occuparent, per *Ioannem Zollerum* præpositum, et *Paulum Belinum* aulæ ſuæ præfectum a Thosanensibus, Heinzelianis et Cepinensibus homagium exegit; utrumque vero ſequenti mense Mediolanum ablegavit tractationi cum duce *Feria* ineundæ adfuturos. Ibi die 15. Ianuarii anno 1622. constitutum, *religionem catholicam ubivis in Rhætia libere exerceri debere: quorumvis ordinum ſacerdotes inibi habitare, monasteria et collegia exstruere et instituere posse: omnes redditus, qui ecclesiis, locisque piis debentur, pendendos, apostatas pellendos, S. Concilii Tridentini decreta, bullam Cœnæ, ſtilum Gregorianum etc. observanda; contraria vero a Rhætis ſancita prorsus abolenda esse.* Rhæti obsistendo hac vice impares Ilantii die 30. Martii per delegatos tractationem acceptarunt.

XIX. IOANNES episcopus compertis, quæ Mediolani prospere agebantur, die 12. Febr. Curiam rediit, atque 20. eiusdem mensis ſequentia capita a ſacerdotibus e ſuggestu promulgari præcepit. 1. Calendarium Gregorianum emendatum observetur. 2. Causæ matrimoniales ad iudices ecclesiasticos Curiæ residentes deferantur. 3. Sponsalia trina vice in templis publicentur. 4. Sponsi publice a ſacerdotibus in ecclesia coniungantur. 5. In posterum nonnisi duo testes ad baptismum adhibeantur. 6. Intra quartum ſimul et quintum gradum nubere illicitum esto. 7. Coniuges, qui intra gradus prohibitos cohabitant, Curiam pro dispensatione obtinenda remittantur. 8. Omnes parochi missale Romanum ſibi comparent, nec alio utantur. 9. Patroni ſeu collatores ecclesias de pastoribus provideant. 10. Parochi vero nonnisi post obtentam ab episcopo confirmationem ullius ecclesiæ curam in se ſuscipere audeant.

XX. Sat feliciter pro religione res geri visa. Quum vero *Baldironus* bellidux Rhætigoios durius habere crederetur, fidem catholicam quasi vi et armis restitutu-

a) Cod. prob. N. CLI.

rus, ſecus negotium ceſſit. Iuſſerat ille, ut pulſis miniſtris Capucini in Rhætigoia prædicarent, eorumque ſermonibus acatholici intereſſent. Sacræ huius miſſionis præfectus S. Fidelis capucinus familiæ Feldkirchenſis Guardianus ſummo fervore munus ſuum exequebatur. Die 24. Aprilis, quæ erat dominica quarta poſt paſcha, Crucii, vulgo *Grüſch*, ſacrificio mane celebrato, cum ſocio ſuo P. *Ioanne Brunnero* Lacupratum, *Seewis* petiit, ad plebem ibi ſacrum ſermonem habiturus. Non diu loquentem ſuſtinuerunt auditores acatholici, eidem alias infenſiſſimi; ſed eorum aliquis auſu ſacrilego globum plumbeum in ſacrum præconem vibravit, quo tamen fallente S. Fidelis fuga ſibi conſulturus templo illæſus exceſſit: vix autem adiacens pratum celeri curſu attigerat, ecce! furibundi ruſtici illum invadunt, uno alterove enſis ictu caput findunt, piumque ſacerdotem ſudibus, quibus oblongiores clavi erant infixi, trucidant. Cadaver ſublatum in cœmeterio ſepultum fuit; menſe vero Septembri denuo exhumatum comitis Sulzii iuſſu caput Feldkirchium ad Patres Capucinos, corpus Curiam tranſlatum eſt. Martyrem dehinc prodigiis conſpicuum eccleſia ſanctorum faſtis adſcripſit.

Interea *Baldironus* urbem Curiam occupavit; ruſtici vero, licet armis ſpoliati fuiſſent, in ſummum acti furorem, ſudibus ac bipennibus armati menſe Iunio agmine denſo urbem obſidere cœperunt: canonici et ſenatores iamiam de diſceſſu deliberabant. Aſt Ioannes ſingulari ſua manſuetudine ac prudentia id effecit, ut miles Auſtriacus indemnis ex urbe dimiſſus, et quatuor Rhæti, qui Oeniponte in vinculis detinebantur, libertatem indepti fuerint.

XXI. Eodem menſe *Alexander Scapius* pontificis nuntius, qui nuper in Rhætiam advenerat, Roma breve apoſtolicum accepit, quo mandat papa, ut epiſcopatum Curienſem adeo attritum et vix non in extremis agentem pro virili reſtituere ſatageret. Scripſerat quoque *Gregorius XV.* ad imperatorem, Galliæ, Hiſpaniæque reges, Leopoldum Auſtriæ archiducem, Mediolani gubernatorem, atque ad Helvetiæ pagos, omnes enixe hortatus, ut *Scapio* in opere tam arduo opem ſubſidiumque ferrent. Qua quidem ratione factum, ut per celebrem tranſactionem menſe Septembri Lindavii initam epiſcopatus Curienſis antiquis iuribus reſtitutus fuerit. Articuli in ea conſtituti circa religionem iidem ferme ſunt, quos ſupra Mediolani Ianuario menſe conditos diximus. Ad ineundam vero pactionem hanc armorum metu ſe adactos poſtmodum Rhæti dicebant; ſe proin illa nullatenus ſtringi.

Alexander Scapius legatus cum auctoritate et imperio omnia eum in ſtatum reſtitui voluit, in quo ante annum 1526. fuerant. Hunc in finem epiſcopus ſua poſtu-

lata edidit, in quæ Rhæti die 13. Decembris anno 1623. ſpecietenus conſenſerunt erecto publico inſtrumento, quo articuli anni 1526. poteſtatem epiſcopi reſtringentes aboliti, cauſarum matrimonialium cognitio foro capituli dimiſſa, epiſcopi præfectis ſeſſio in Rhætorum conventibus conceſſa, ius creandorum iudicum in quibusdam iurisdictionibus ad modum, quo ante dictum annum fuerat, cenſus quoque et anniverſaria eccleſiaſtica, decimæ, feuda, emphitheuſes, laudemiæ, monaſteria et multa alia reſtituta; appellationes in ſpiritualibus epiſcopo relictæ; ſtatutum etiam, non ſolos Rhætos, ſed quemvis alium natione Germanum epiſcopatu dignos ac capaces electionis eſſe. Pactionis huius tabulas exhibet *Roſius a Porta a)*. Acerbe res iſta proteſtantes aduſſit; milite tamen cincti Auſtriaco nil violentiæ tentare ſunt auſi. Quum vero *Sulzius* comes timens, ne animorum motus in apertum tumultum erumperent, mentem ſuam Curienſibus aperuiſſet, ſibi nempe demandatum non eſſe, ut copiis ad pacta iſta exequenda uteretur: omnes iſti conatus, plurimaque poſtulata ferme in irritum cadebant, ita ut dubium ſit, num *Scapii* conſtantia, an *Sulzii* remiſſio magis obfuerit.

XXII. Auſtriaci interim Rhætigoiam, quæ octo conſtabat iudiciis, ſuæ poteſtati ſubiectam penitus ab hæreſi purgare adlaborarunt. Numerabantur ea in regione 36. eccleſiæ, quarum aliquæ exuſtæ, aliquæ tectis, feneſtris, ianuis ac dotibus, omnes vero legitimis paſtoribus deſtitutæ erant. *Leopoldus* archidux ſuum commiſſarium eo ablegaverat *Carolum Stredelium* ex Montanis, IOANNES vero epiſcopus præter præpoſitum *Ioannem Zollerum* etiam *Ioſephum Mohrum* ſcholaſticum et *Leonardum Buzenreiner* parochum in Feldkirch, canonicos; qui eodem in oppido die 21. Martii anno 1624. de mediis cultus catholici reſtituendi deliberaverunt, ſtatuentes ſexdecim ſaltem parochis optimæ notæ opus eſſe, quorum defectum interim RR. patres Capucini ſupplere debeant. His proin adſignata domicilia *Davoſii*, in *Fideris*, *Crucii* et alibi; canonicis etiam Churwaldenſibus aliquis diſtrictus commiſſus; conventumque, quod parochi ſaltem ad proximum feſtum pentecoſtes conſtituendi ſint. Demum conſultarunt, unde ſacra ſuppellex facilius comparari poſſit, quæ ædes parochis adſignandæ, unde redditus hauriendi etc. Nec tamen integer conatui effectus reſpondit.

Anno ſequenti 1625. die 12. Aug. IOANNES epiſcopus ad regem Galliæ miſit R. P. *Ignatium* Bergomatem Capucinum cum litteris, quibus depicta eccleſiæ ſuæ calamitate ſupplicat, ut eidem ſua potentia et pietate ſuccurrere dignetur *b)*.

a) Hiſt. reform. T. II. p. 505. *b)* Cod. prob. N. CLII.

XXIII. Multum quoque de perpurganda Valletelina, eaque Rhætis vel restituenda vel auferenda agebatur, prout fusius abs *Rosio a Porta* narratur. Quum ea de re Solodori in Helvetia anno 1626. conventus haberetur; Curia illuc missus est *Casparus Sainus* decanus, qui in valle ista conferenda ecclesiæ Curiensis rationem haberi petiit.

Tandem Ioannes, postquam per 26. annos incredibili patientia, fortitudine, constantia acerba quæque pro religione pertulisset; mense Augusto anni 1627. senio fractus, erat quippe annorum 78. et morbo correptus coram *Alexandro Scapio* episcopatum resignavit, ipsisque Calendis Septembribus lætissimus in Domino obiit, laborum dolorumque in cœlis præmia accepturus.

LXXIX.
IOSEPHUS MOHRUS.

Ab anno 1627. ad 1635.

XXIV. Postquam ligæ cathedralis oratores comperissent, *Alexandrum Scapium* cum venerabili capitulo post *Ioannis* resignationem de ſufficiendo ſuccessore consilia iniisse; graviter offensi, quod ipsis inconsultis id agerent, die 24. Augusti ſolemnem protestationem interposuere conquesti, magnam ſibi iniuriam fieri, utpote qui centum abhinc annis electioni novi præsulis ſemper interesse consueverint. Postularunt itaque, ne alius, nisi Rhætia oriundus episcopatui præficeretur, quique ſex articulos iam dudum ſancitos iureiurando firmaret; ſecus quemcunque electum se neutiquam pro episcopo agnituros. Respondit *Scapius*, omni iuri contrarium esse, quod fœderati episcoporum electioni se immiscere præsumant, quum ecclesiæ Curiensis nec fundatores, nec patroni aut dotatores existant; regimen ecclesiasticum a politico ſua natura ſeparari, quemadmodum igitur temerarium foret, si canonici de electione magistratus civilis rationem peterent, ſic haud minus iniuriosum esse, dum politici avita et homogenea canonicorum iura lædunt, quæ inter illud præcipuum, ut voce tam activa quam passiva liberrime gaudeant. Eadem capitulum cathedrale in responsis dedit *a)*.

Collecta igitur ſuffragia fuerunt: pars maior ex *Scapii* ſuasu *Georgium Theodoricum* decanum Constantiensem, qui archiduci *Leopoldo* a consiliis erat, episcopum voluit;

a) Archiv. Curiens. Hist. religion.

eo autem id oneris detrectante eadem die 27. Auguſti unanimi calculo electus eſt IOSEPHUS MOHRUS Zernetio in Oengadina oriundus, hactenus ſcholaſtici cathedralis dignitate defunctus. Electum *Alexander Scapius* die 16. Octobris, poſtquam ab *Urbano VIII.* papa die 10. Septembris confirmationis litteras accepiſſet, ſolemniter conſecravit *Georgio* S. Lucii et *Lothario* Augiæminoris abbatibus adsiſtentibus. Ipſorummet hoſtium teſtimonio fuit IOSEPHUS præſul ſolers, mitis, atque a ſeculi curis alienus *a*).

XXV. Apoſtolicæ ſedis legatus eodem menſe ex Rhætia diſceſſurus ſenatum adiit, obſervationem tractatus ante quatuor annos initi poſtulans, quo eccleſiæ Curienſis iura reſtitui iubentur; quod ni fieret, eccleſiaſticis nihil ſupereſſe, aiebat, quam potentiſſimorum principum opem implorare, de quorum ſubſidio certi eſſent. IOSEPHUS vero menſe Decembri unacum *R. P. Ignatio* capucino a papa ad Rhætos miſſo eundem ſenatum interpellavit, ut inferioris Oengadinæ templa ſolis catholicis adiudicaret, ea potiſſimum ex ratione, quod ab iisdem reſtaurata fuiſſent: annuere ſenatores æquitate compulſi, heterodoxis publicum ſuæ religionis exercitium ea in regione interdixerunt *b*). Aſt quum de reſtitutione iurium nihil feliciter cum acatholicis geri poſſe cerneret, querelas ſuas in ſinum *Urbani VIII.* effudit, qui imperatorem, Galliæ, Hiſpaniæque reges per litteras monuit, ut pauperi eccleſiæ Curienſi ſubſidium ferrent, eidem quamdam abbatiam, certosve ex Valletellina redditus concedendo. Supplices quoque dedit IOSEPHUS ad regem catholicum die 8. Auguſti anno 1628. humiliter exponens, quantum eccleſia ſua ob æs alienum hæreticis debitum, eorumque pertinaciam affligatur, eius miſeriam ſublevari aliquo modo poſſe, si annua penſio ex Valletelina, quæ alias veteri et nunquam legitime intermortuo iure debebatur, rurſus exolveretur *c*).

Utrum exauditæ preces fuerint, non conſtat; ſaltem epiſcopus etiam archiducis Auſtriæ opem imploravit, qui Auguſto ſequentis anni menſe Oeniponte hac de re cum Rhætorum deputatis tranſegit, ut in tota Rhætia liber religionis catholicæ uſus adſereretur, nec non quaſcunque ad munia eccleſiaſtica perſonas promovendi facultas abſque ullo nationis reſpectu. IOSEPHUS enim iam Martio menſe ſua gravamina ſenatui Rhætico expoſuerat, antiqua eccleſiæ ſuæ iura repetens, præſertim quæ iuriſdictionem epiſcopalem, decimas et cætera eiusmodi concernunt *d*).

XXVI. Dehinc Oenipontem ſuo nomine ire iuſſit decanum *Caſparum Sainum* pluribus pro eccleſia ſuſceptis itineribus notum, qui in renovatione fœderis hære-

a) Ros. a Porta loc. cit. p. 541. *b*) Ibid. *c*) Cod. prob. N. CLIII. *d*) Ros. a Porta loc. cit. p. 566.

ditarii Auſtriacos inter Rhætosque Curienſis eccleſiæ iura repeteret; in omnem quippe occaſionem ea vindicandi intentus erat IOSEPHUS: poſtulavit igitur, ut imperatore epiſcopatus Curienſis tutore declarato Valliſtelina eidem reſtitueretur; aſt ſine effectu.

Interim milite Auſtriaco Rhætiam occupante acatholici inferioris Oengadinæ nil ſiniſtri moliebantur; illo autem abeunte, et duce *Rohanio* anno 1631. Alpes ingreſſo caput denuo extollere cœperunt: erat namque *Rohanius* reformationi apprime addictus, atque a Galliarum rege copiis Rhæticis præfectus. Hoc duce paſtores acatholici in Oengadinam redibant, quos inter et patres Capucinos parœciis inibi præpoſitos anno 1632. controverſiæ de redditibus oriebantur, quas *Rohanius* ea ratione compoſuit, ut Capucinis Zernetii, Suſii, Ardetii, Remuſii, Senti ac Celini ædes parochiales conceſſæ fuerint.

Eodem anno die 28. Octobris IOSEPHUS ad ſingulas ligæ cathedralis communitates hortatorias dedit poſtulans 1. ut homagium ſuis anteceſſoribus præſtari ſolitum ſibi quoque exhibeatur: 2. articuli ante decennium interveniente *Scapio* conditi acceptentur: 3. cenſus in natura et materia ipſa exſolvantur: 4. feudorum iudices ſeu palatini a ſe conſtituendi ſuſcipiantur, et quod illi iudicaverint, executioni demandetur. Adhæc communitatum oratores die 28. Ianuarii anni ſequentis in comitiis congregati repoſuerunt, debere prius epiſcopum pacta illa adimplere, quibus omnes eius anteceſſores inde a *Lucio Itero*, ſeu ab anno 1541. obſtricti fuiſſent; dein communitates non defuturas, quin omnia præſtent, ad quæ iure teneri viderentur.

Aliquot annis per Rhætiam peſtis graſſari viſa, qua correptus IOSEPHUS pluribus pro religione ſuaque eccleſia incaſſum tentatis die 6. Auguſti anno 1635. animam Deo reddidit.

LXXX.
IOANNES VI.

Ab anno 1636. ad 1661.

XXVII. Exinde canonici cathedrales ſuo vel emolumento vel damno per ſex ferme menſes eccleſiam Curienſem viduam relinquebant, in id interea adniſi, ut

electionis ius a fœderatorum vexationibus liberum vendicarent. Hi enim percepta *Ioſephi* morte per publicas tabulas capitulo ſubmiſſas illico proteſtabantur, ne quid adverſus articulos olim ſtatutos tentaretur. Nec deerant, qui conſiliis canonicos iuvabant; certe regis chriſtianiſſimi legatus eisdem perſuadere nitebatur, ut IOANNEM *Flugium de Asperomonte Ioannis V.* ex fratre nepotem epiſcopum crearent; imo reapſe perſuaſit, nam ipſis calendis Februariis anno 1636. pro eligendo paſtore congregati ſuffragia ſua omnes in prædictum IOANNEM contulerunt, qui præpoſitum hactenus egerat, honoris gratia ſummo pontifici a cubiculis, vir pius et ſolers, atque pro fidei morumque integritate ſollicitus. Hinc ſtatim Auguſto menſe duos e ſocietate Ieſu ſacerdotes Conſtantia Curiam acceſſivit, qui ſelectam iuventutem imbuerent, ex qua ſuo tempore optimi quique ad ſacerdotium poſſent aſſumi. Aſt irritum conſilium fuit, nam ex ſenatus conſulto paucos poſt dies ambo Rhætia excedere iubebantur.

XXVIII. In Oengadina inferiore catholicorum res magis magisque in præceps ibant, heterodoxis ubivis et numero et potentia prævalentibus etiam iis in locis, ubi adhucdum Capucini habitabant. Diverſis in pagis ineunte Decembri imagines cum omni adparatu ſacro noctu e templis eiiciebantur. Catholicis de iniuria facta quærentibus ablata nunquam reſtituebantur *a*). Eiusdem menſis die 24. conſecratus eſt IOANNES in Murenſi monaſterio a nuntio apoſtolico *Ranucio* comite Scotti epiſcopo Burgi S. Domnini, adsiſtentibus principibus abbatibus *Ioanne Iodoco* Murenſi et *Auguſtino* Deſertinate.

Anno 1637. et ſequentibus Mediolani et Madriti de conſignanda Rhætis Valletelina deliberatum, quo in negotio epiſcopi Curienſis vices ſuſtinuit *Bernardus Gaudentius* eccleſiæ cathedralis cuſtos. Reſtituta Griſonibus illa regio ea ſub conditione fuit, ut præter catholicam nulla alia religio inibi admitteretur.

Eodem annorum tractu in Oengadina religionis ergo motus oriebantur, acatholicis patres Capucinos ultra ſuſtinere recuſantibus, quod perpauci catholici ſupereſſe crederentur, qui illorum opera indigerent; quare ædibus ſuis per nefas expulſi fuerunt. Peropportune tum de renovando cum Auſtriacis fœdere hæreditario, ut vocant, tractatum, qua occaſione epiſcopo tum ad cæſarem tum ad archiducem querelas deponente patres Capucini anno 1640. reſtitui iubebantur. IOANNIS porro prudentia factum, ut Præmonſtratenſes in ſuas S. Lucii et Corvantii ædes redierint: imo cœnobium fratrum Prædicatorum, Curiæ iam dudum ſæculo addictum

a) Roſ. a Porta loc. cit. p. 597.

incolere cœpit Dominicanus quidam, qui tamen brevi a civibus ſtatione ſua detruſus fuit.

Sacerdotum penuriam pluribus in locis, ubi vel ſola religio catholica vel mixta ſervabatur, ſupplebant Capucini acatholicorum miniſtris vehementer exoſi, qui proin datis ad comitia litteris poſtularunt, ut e finibus pellerentur. Verum IOANNES ex *Hieronymi Farneſii* Patraſſini archiepiſcopi conſilio repoſuit: catholicos in rebus politicis iuxta patriæ leges vivere quiete; in rebus vero eccleſiaſticis pendere a papa, paratos cæteroquin ad ſanguinem usque ſuos religioſos tueri. Proceres ſenis ex utraque parte ſelectis iudicibus ſanxerunt, ambas religiones in iisdem locis libere ac pacifice exerceri poſſe.

XXIX. Nondum acquievere proteſtantes, patriam nonniſi exciſis catholicis ſecuram ſubſiſtere poſſe clamitabant: varias quoque violentias paſſim exercuiſſe leguntur, præſertim in pago *Zizers* et *Untervaz*. IOANNES clerum ſuum per epiſtolam paſtoralem die 7. Sept. ann. 1642. *a)* de periculo admonuit mandans, ut plebem ſibi commiſſam ad fidem fortiter conſervandam animarent, deputatis ad *dietas* iniungendo, ne quid religioni contrarium decerni paterentur, publicas demum comprecationes in ſingulis parœciis inſtituerent. Præterea ſequenti anno die 3. Ianuarii ad Rhætos catholicos perſcripſit, eorumque legatos ad proximum conventum, *Beytag* vocant, hortatus eſt, ut ſecum de mediis hæreticorum vexationes declinandi deliberarent, paratum ſe eſſe, cum maximis fortunarum vitæque periculis pro conſervanda religione quævis tentare *b)*. Reapſe tentavit multa, quippe non ſolum aliquoties Helvetiorum catholicorum, ſed etiam ipſiusmet imperatoris auctoritatem per litteras imploravit die 28. Febr. anno 1644. eidem exponens, id agere proteſtantes, ut ſublato omni catholicæ religionis exercitio ipſemet epiſcopatus deleatur, eſſe numero catholicis maiores, ac nonniſi altiore potentia in ordinem redigendos *c)*. Certe hi præcedente anno ex Curienſis ſenatus conſulto omnes patres Capucinos tum in aula epiſcopali tum in Oengadina inferiore habitantes intra octiduum diſcedere iuſſerunt, ſecus varia incommoda experturos; id fieri prohibuit IOANNES, vocata in ſubſidium *Claudia* vidua Auſtriæ archiduce, quæ datis ad Rhætos litteris magno animo pro catholicis egit; eadem de cauſa epiſcopus plures ad cardinalem *Franciſcum Barbarinum* epiſtolas miſit.

Anno autem 1645. die 16. Ianuarii cardinali *Cæſari Montio* archiepiſco Mediolanenſi lugubrem rei catholicæ in Rhætia ſtatum fuſe per litteras ob oculos poſuit,

a) Cod. prob. N. CLIV. *b)* Ibid. N. CLV. *c)* Ibid. N. CLVI.

varia ſuggerens media, quibus vindicari ab interitu poſſit *a*). Ac inprimis quidem ſummæ Curienſis eccleſiæ paupertati eſſe ſuccurrendum ait, ſecus ob diſtractos redditus nimiumque æris alieni pondus, ſe ad epiſcopatum deſerendum adactum iri; conſultiſſimum factu fore, ſi aliqua abbatia, vel certi redditus annui aliunde ſibi ſuppeditarentur. Deplorat deinde iuventutis Rhætiæ corruptionem, quæ ſcientias a magiſtris hæreticis Curiæ haurire debeat, incaſſum ſe vetaſſe, ne iuvenes ad ſcholas acatholicorum mitterentur: condendum eſſe ſeminarium pro ſtudioſis Rhætis, illudque patribus ſocietatis Ieſu committendum, qui in habitu ſeculari pro ſua dexteritate plurimum emolumenti afferrent. Poſtea de magna inopia conqueritur, qua plerique parochorum laborent, qui ſubtractis anniverſariis, decimis etc. quaſi ex eleemoſyna ſuſtentari debeant; inde parentes arceri, ne filios ſuos clero adſcribant: optat rurſus, ut hauſto aliunde victu Ieſuitæ in veſtitu ſeculari Rhætiæ immitterentur, qui paſtoribus æque ac gregi puſillo ædificationi forent. Denique imperatori regibusque perſuadendum ſcribit, ut eccleſiæ Curienſis patrocinium in ſe ſuſcipiant.

XXX. Multum porro pro ampliando cultu divino laboravit IOANNES, inter alia *proprium Sanctorum*, ut appellant, conſcripſit, ac typis anno 1646, vulgavit, quo in poſterum clerici uterentur. Congeſſit etiam epiſcoporum Curienſium ſeriem, qua ſub *catalogi Flugiani* nomine frequenter uſi ſumus; ab illa tamen ob certiora monumenta hinc inde recedere coacti. Præterea arcem epiſcopalem reſtauravit, et decenti ſplendori reſtituit. Parthenium Cazienſe in Domeſtica valle recuperavit, eique anno 1647. ſub S. Dominici regula antiſtitem dedit *Ioannam Gawinam*, triennio poſt cœnobii redditus *Ioanni Meiſſeno* adminiſtrandos commiſit. Canonicos Præmonſtratenſes plurimum iuvit, quos datis die 13. Febr. anno 1651. litteris vehementer laudat ob diſciplinæ religioniſque ſtudium, quod in iis advertiſſet; *Fridericum* Roggenburgi abbatem multum coluit æſtimavitque *b*).

Pacis amantiſſimus, variis diſſidiis obviam iturus cum ſedis apoſtolicæ capitulique conſenſu anno 1657. die 13. Octobris dominium feudale in pagis S. Petri et Longoprato divendidit pro mille florenis et binis ſtipendiis, quibus duo alumni in collegio Mediolanenſi ſuſtentari poſſent. Pauciſſimis contentus anno 1641. omnes ex Tyroli proventus ad cenſuum ſolutionem, 8. pro 100. expendit, ſuæ ſuſtentationi alias permodicæ tantillum ex epiſcopatus redditibus reſervans, quantum vix neceſſario per medium annum victui ſufficiebat *c*). Dignus ſane *Ioannis V.*

a) Cod. prob. N. CLVII. *b*) Bayrham. Hiſt. Roggenb. p. 114. ſeq. *c*) Cod. prob. N. CLVII.

nepos, ad cuius conſortium felice morte tranſiit die 24. Ianuarii anno 1661. ætatis 66. primus eo in loco ſepultus, quem defunctis episcopis adsignavit in ecclesia cathedrali, ubi adhuc eius epitaphium legitur.

LXXXI.

UDALRICUS VI.

Ab anno 1661. ad 1692.

XXXI. Iustis *Ioanni* perſolutis, canonici die 23. Febr. absque fœderatorum notitia congregati ſucceſſorem elegerunt Udalricum *de Monte*, virum pietate et prudentia clarum. Iuverat eos hoc in negotio præſens tunc *Fridericus Borromæus* nuntius apoſtolicus, qui etiam recens electum die 7. Maii conſecravit. Confirmatus eſt ab *Alexandro VII.* papa XV. Calend. Ianuarii anno 1661.

Cognita electione fœderati illico datis tam ad *Fridericum* quam capitulum cathedrale litteris adverſus geſta graviter proteſtati ſunt, contra ius faſque electionem ipſis inſciis celebratam fuiſſe conqueſti, huic praxi fortiſſime ſe opponentes. Nec quievissent unquam, niſi comes *Franciſcus Caſati* regis Hiſpaniarum miniſter ſua prudentia rem eo deduxiſſet, ut fœderati litteris reverſalibus, ut aiunt, acquieſcerent, quibus die 10. Aprilis ſequentis anni 1662. declaratum, electionem Udalrici *de Monte* reipublicæ iuribus neutiquam contrariam eſſe cenſendam.

XXXII. Per triginta et unum annos Udalricus ſingulari zelo, pietate, prudentia et tranquillitate diœceſin ſuam adminiſtraſſe perhibetur, ſuis anteceſſoribus eo felicior, quod minus altercandum illi cum heterodoxis fuerit. Variis in locis pro pietatis augmento confraternitatem ſacri roſarii inſtituit; rem œconomicam pariter promovit, ita ut, dum anteceſſores fundos alienare coacti fuere, is alienos coëmere potuerit: ſic in *Cazis* prata quædam 941. flor. pretio anno 1677. acquiſivit; degentes ibidem moniales iisdem iuribus donavit, quibus cives ipſimet gaudebant.

Almenii in Domeſtica valle iam diu utriuſque religionis aſſeclæ de uſu templi contendebant. Tandem ex *Caſati* conſilio in id conventum, ut heterodoxi templum cum cœmeterio pro 100. philippicis cederent catholicis; episcopus vero in

acatholicorum uſus propriis impenſis novum templum erigeret; quod factum anno 1690. Ad ſuperos abiit Udalricus die 28. Febr. anno 1692. quieſcit in templo cathedrali.

SECULUM XVIII.

LXXXII.

UDALRICUS VII.

Ab anno 1692. ad 1728.

I. Eo iam res Curienſes abierant, ut novi epiſcopi electio abſque turbis fieri nunquam poſſet. Mortuo *Udalrico* de Monte canonici quidem pro more convenerunt, præſente *Marcello d'Aſte* nuntio apoſtolico ſucceſſorem creaturi. At fœderati ſtatim ac compererunt, epiſcopum eſſe defunctum, novumque iamiam eligendum, viros quoſdam veſpere ad capitulum miſerunt, cui, ſicuti nuntio *Marcello* ius ſuum, quod in electionibus hactenus prætendebant, in memoriam revocarent; verum canonici illis ingreſſum denegarunt. Die inſecuto, qui erat 28. Aprilis anno 1692. iterum deputati præ foribus aderant, aditu tamdiu prohibiti, donec novus electus eſſet præſul Udalricus *de Federſpiel* ab Amiſio.

Acriter res iſta fœderatos pupugit, qui inſiſtebant, electum eo ſaltem adigendum, ut in ſex articulos iuret, aut ſcripto teſtetur, electionem ſuam ſucceſſoribus non pro norma tradendam. Quum vero neutrum fieret, fœdus cathedrale reliqua duo fœdera in ſubſidium vocans, per publicum notarium binoſque teſtes ſuam proteſtationem ſolemniter oppoſuit, irrito tamen conatu *a)*. Confirmatus eſt Udalricus Calendis Decembribus ab *Innocentio XII.* pontifice, et 1. Martii anno 1693. inſequente publice inauguratus. Sub anteceſſore ſuo cancellarii munere functus negotiis dextre gerundis aſſuevit; aptiſſimus proin cui diœceſis regenda committeretur.

II. Sageni et Faleræ, qui ligæ ſuperioris pagi ſunt, inter utriusque religionis homines diſſidia naſcebantur, iurgiorum flammas alente *Caſparo* quodam *Iagmeto* parocho. Eo erupit incendium, ut ventum ad arma fuerit. Procerum prudentiores

a) Ausführ. der Gerechtsam. des Gottshausb. p. 26. etc.

cum episcopo convenerunt, ut quidam ex utraque parte ſelecti in oppido Ilantino per arbitria incendium ſapienter restinguerent. Udalricus ſuo et capituli nomine ablegavit *Udalricum Caddufum* a Marmore decanum, et *Ulyssem a Salis*; ex altera vero parte ſubmiſſi fuerunt *Ioann. Gaudentius Capaulius* capitaneus, *Otto Swarzius* prætor et *Carolus Gubertus a Salis.* Hi omnes die 9. Octobris anno 1701. constituerunt, ut *Iagmeto*, qui potiſſima diſſidii causa habebatur, ſubmoto dignior ac pacis amantior parœciæ præficeretur: dein in tota regione Ilantina et Foveana acatholici rursus catholicis unirentur, ita, ut liberum religionis exercitium in ſuis tantum ædibus haberent, communis interim cœmeterii iure et usu gaudentes: demum ſiquid in posterum diſſidii Sageni oriretur, id arbitrio duorum ex qualibet iudicum decidendum esset. Huic ſententiæ episcopus lubentiſſime ſubſcripsit *a*), qui anno 1709. die 13. Maii cum pontificis consensu iura in *Thusis*, *Heinzenberg* et *Tschapina* vendidiſſe legitur, reservatis tamen iis, quæ ſibi in *Cazis* competebant *b*).

Anno 1716. die 29. Aprilis *Carolus VI.* imperator per diploma adſeruit, ſibi in ecclesia Curienſi ius primarum precum competere, utpote quæ immediatum imperii membrum existat *c*); qua ratione commonstravit cæsar, episcopum Curienſem imperii Romani principem Rhætorum reipublicæ non ſubiacere, quod tamen Rhæti ſemper urgebant.

III. Cæterum Udalrici virtutes et obitum recenset lapis ſepulchri in ecclesia cathedrali in hæc verba: „Hic requiescit celſiſſimus et reverendiſſimus S. R. I. princeps ac D. D. Udalricus episcopus, dominus in Fürstenburg et Fürstenau etc. qui 36. glorioſiſſimi regiminis ſui annis ſingulari, qua omnibus præfulsit, pietate, ardentiſſimo divini cultus et animarum ſalutis qua procurandæ qua propagandæ zelo, profusa in pauperes liberalitate, et in omnes, hostes æque ac amicos mirabili beneficentia, cæterisque actionibus ſuis omnibus numeris absoluti episcopi, et optimi mitiſſimique principis exemplum extitit; donec tandem ad tantorum meritorum æterna præmia avocatus, universali omnium dolore pia morte mundo valedixerit die 11. Octobris anno 1728. ætatis vero anno 71."

a) Cod. prob. N. CLX. b) Leu Helvet. Lexic. T. V. p. 294. c) Archiv. Curiens.

LXXXIII.
IOSEPHUS BENEDICTUS.
Ab anno 1728. ad 1754.

IV. Paululum a dolore morte *Udalrici* ſibi inflicto respirantes canonici advocarunt nuntium apostolicum comitem de *Passionei* archiepiscopum Ephesinum, atque die 13. Decembris congregati episcopum elegerunt Iosephum Benedictum liberum baronem de *Rost* Tyrolensem. Natus is erat 7. Febr. anno 1696. ſcholastici et vicarii generalis dignitate hactenus in ecclesia Curiensi defunctus. Inde a *Paulo Zieglero* primus fuit alienigena, qui posthabitis Grisonum imaginariis iuribus infulam Curiensem adeptus est. Fœderati domus Dei plurimas rationes contra moventes reliquas etiam ligas in ſua ſtudia pertrahere conati ſunt, quin tamen aliud profecerint, nisi ut 10. iudiciorum fœdus protestationi ſigillum adponeret. Plurimi quidem tam Curiæ quam Ilantii conventus habiti, multum deliberatum disceptatumque; episcopus tamen cum ſuis canonicis in avito ſuo iure inconcussus perstitit, nec se unquam fœderatum nominari passus est, utpote immediatum Romani imperii membrum. Fulciebatur auctoritate *Caroli VI.* imperatoris, qui per ſuum ministrum liberum baronem de *Risenfels* ecclesiæ Curiensi omne imperii ſubsidium pollicitus est *a*).

V. Id tamen non obstabat, quin fœderati varia molirentur, quibus ſuccrescentem episcopatus auctoritatem minuerent, atque in priorem ſervitutem redigerent. Inter alia cives Curienses anno 1753. in fundo episcopali ad arcis latus, quod urbem respicit, portam erigere, totamque arcem includere attentarunt; ut hac ratione templum cathedrale, episcopi, canonicorumque ædes eo facilius in ſua potestate haberent, exitum ac reditum pro ſuo arbitrio permissuri vel interdicturi. Episcopus nocivum hoc consilium ad *Caroli VI.* imp. tribunal detulit, qui die 25. Augusti Curiensibus eiusmodi tentamina graviter inhibuit *b*). Dicta porta quasi medius paries, ac dissensionis ſignum adhucdum extat. Offensioni huic ansam, forte dedit præstitum furi cuidam asylum in templo cathedrali, qui hoc anno die 15. Iulii ex carcere Curiensi male custodito erumpens illuc confugerat. Urbis magistratus illico petiit, ut reus ſine mora extra daretur; mandatum ab episcopo,

a) Ausführ. der Gerechtsam. des Gottshausb. p. 27. etc. *b*) Archiv. Curiens.

qui tum Fürstenovii morabatur, ſatisfieret poſtulatis, quam primum ſur extra templum conſpiceretur, eo autem inibi remanente ius aſyli ad amuſſim obſervaretur. Factum ad fœderis præſidem defertur, qui die 17. Iulii epiſcopum per litteras hortabatur, ne iſta tergiverſatione reipublicæ iura læderet; repoſuit Iosephus Benedictus, uſu receptum penes catholicos eſſe, ut reis ad loca ſacra profugis aſylum concedatur, ſe proin abſque ſuperioris poteſtatis permiſſione decernere nil poſſe, quod vero hactenus actum fuiſſet, nulla ratione diſſidiis anſam dediſſe, ſiquid tamen ſiniſtri exinde naſceretur, ſe pro ſuo epiſcopali munere ac in eccleſiam fide ad omnia perferenda paratum. Rem dehinc omnem die 27. dicti menſis Rhætis catholicis manifeſtavit monens, ne in comitiis proxime celebrandis quidpiam in catholicæ religionis præiudicium definiri permittant, ſi forte de iure aſyli ſermo ibi recurrat, liberum utique Rhætis eſſe religionis ſuæ exercitium.

VI. Præterea Iosephus Benedictus palatium epiſcopale reparavit, arcemque Fürſtenovienſem quaſi e fundo reſtituit, alias magni præſulis dotibus maxime clarus. Naturæ debitum ſolvit die 12. Novembris anno 1754. Hoc annorum tractu eccleſia Curienſis, quaſi hyeme paulatim diſcedente rurſus vireſcere, avitisque iuribus, aliquot ſaltem, uti cœpit.

LXXXIV.

IOANNES ANTONIUS.

Ab anno 1755. ad 1777.

VII. Iisdem contentionibus electio Ioannis Antonii liberi baronis de *Federſpiel* natione Rhæti obnoxia fuit, ac illa præcedentium epiſcoporum: facta eſt demum die 6. Febr. anno 1755. Interfuit commiſſarius cæſareus comes de *Wellſperg.* Biduo poſt fœderati novam epiſcopo dignitatem gratulantes petiverunt, ut in articulos iuret, queſti, ſibi admiſſione legati cæſarei factam iniuriam fuiſſe. Repoſuit epiſcopus, ſui iuris non eſſe, petitum iuſiurandum præſtare, partim quod proximi ſui anteceſſores id pariter omiſerint, partim quod abſque pontificis conſenſu præſtari non poſſit. Canonici vero non eos ſe eſſe aiebant, qui prohibere imperatorem poſſint, quin commiſſarium electionibus ſubmittat.

VIII. Confirmatus a Benedicto XIV. die 21. Iulii eodem anno consecrationem accepit Brixiæ ab eiusdem urbis episcopo *Leopoldo Maria* de *Spaur*. Sapientissime præfuit annis viginti duobus. Eius laudes in monumento hæ leguntur:

Rhætorum heu! fulcrum iacet. En miracula mortis!
Excepit tantum tantulà foſſa virum.
Templorum clerique decor, populique voluptas,
Familiæ ſplendor, pauperis ara iacet.
Mors fera! redde virum! Non reddam, latro reponit,
Terra gemat, populus ploret; olympus habet.

Anno ætatis 62. die 27. Ianuarii anno 1777. vivere ſimul et orare deſiit.

LXXXV.

DIONYSIUS.

Ab anno 1777. ad 1793.

IX. Tertio ab anteceſſoris obitu menſe electus est DIONYSIUS comes de *Rost* in *Aufhofen* Tyrolenſis die 16. Aprilis, confirmatus a *Pio VI.* papa die 28. Iulii, conſecratus Curiæ in eccleſia cathedrali die 14. Sept. a *Ioanne Bapt. Caprara* archiepiſcopo Iconii nuntio apoſtolico, aſſiſtentibus *Benedicto* Fabarienſi et *Columbano* Deſertinenſi principibus abbatibus. Præſul erat pietate, prudentia, manſuetudine et zelo maxime conſpicuus; licet iam ſeptuagenario maior, ſtatutis tamen temporibus diœceſin ſuam per vias non aſperas modo et difficiles, ſed periculoſas etiam ſedulo perluſtravit. Facilis omnibus ad eum aditus, et iucunda converſatio: multus illi in bonas litteras amor, et librorum ſuppellex, quibus maligni huius ævi tædia vincebat. Contigit mihi fauſta ſors, principem hunc epiſcopum ex facie noſcendi, quum anno 1787. monumentorum colligendorum cauſa in Rhætiam proficiſcendi copiam nanciſcerer. Me advenam quinque diebus in ſua epiſcopali aula detinuit, et ſingulari prorſus clementia fovit, data ampliſſima facultate, monumenta quævis meos in uſus convertendi. Domum reverſus ab eodem hortatorias accepi 13. Sept. datas, ut ſtrenue in opere cœpto pergerem *a*). Optimum ac venerabilem ſenem mors abſtulit die 31. Octobris anno 1793. corpus eius die 4. Nov. terræ mandatum.

a) Cod. prob. N. CLXI.

LXXXVI.

CAROLUS RUDOLPHUS.

Anno 1794.

X. Sat longam epiſcoporum ſeriem claudit reverendiſſimus ac celſiſſimus S. R. I. princeps D. D. CAROLUS RUDOLPHUS liber baro de *Buol* a *Reichenau*, *Schauenſtein* etc. inde ab anno 1781. cantor eccleſiæ cathedralis. Summo omnium gaudio electus eſt die 22. Ianuarii anno 1794. præſente commiſſario cæſareo, conſecratus Brixiæ die 5. Octobris eiusdem anni ab urbis iſtius epiſcopo comite de *Lodron*. Primus ſtatim glorioſi regiminis annus non abſque vexatione fuit, Rhætis quibusdam Gallicam revolutionem imitari cupientibus. Moverat eos in Rhætiæ confiniis nupero anno Semonvillæ facta interceptio, qua ius territoriale a miniſterio Mediolanenſi læſum putabant; quum tamen Rhæti vi fœderis hæreditarii cum Auſtria toties initi Anſtriæ hoſtes pro viribus impedire teneantur. Certe eo iam proceſſerant, ut peterent ab epiſcopo, quemadmodum ab amico accepi, clerum ſuum coerceret, ne adverſus æqualitatem libertatemve pro concionibus declamaretur. Reſpondit CAROLUS, verbum Dei non eſſe alligatum, ſe proinde, quod petebatur, nunquam facturum. Acta hæc ſunt tempore verno anni 1794.

XI. Menſe Iunio permodico comitatu ſtipatus Feldkirchium profectus, pia iſtius regionis loca inviſit: ſacrificanti excellentiſſimus eius parens ad aram miniſter fuit. Septembri menſe Brixiam petiit, ab urbis iſtius epiſcopo conſecrationem percepturus, quod 5. Octobris contigit: redux Tyrolenſem ſuæ diœceſis partem epiſcopali viſitatione luſtravit. Faxint ſuperi! plurimos ut annos præſit, vigeatque.

PARS II.

STATUS ECCLESIASTICUS SECULARIS EPISCOPATUS CURIENSIS.

CAPUT I.

ECCLESIA CATHEDRALIS CURIENSIS.

Ne a ſodalium methodo recedam, clerum ſecularem in altera parte recenſere adgredior, licet is adeo ſit tenuis, ut vix utramque paginam implere poſſit: unicam enim episcopatus Curienſis eccleſiam collegiatam habet, ut proin præter reverendiſſimum capitulum cathedrale, quæ conſcribam, perpauca ſuperſint.

Primus eccleſiæ cathedralis fundator neſcitur, credibile tamen eſt, illam haud ita longe a S. Lucii prædicatione conſtrui cœpiſſe: inficiari enim nulla ratione poſſumus, plures forſan ante *S. Aſimonem* Curiæ episcopos fuiſſe. Unde ſi episcopale templum urbem, a qua omnino ſeiunctum eſt, ætate non ſuperat, certe eiusdem cum illa antiquitatis eſt. Hodierna eius ſtructura *Tellonem*, qui medio VIII. ſeculo vixit, auctorem habere creditur, duplici, altero alteri incumbente, presbyterio inſtructa: ſuperius in uſum canonicorum eſt, inferius eccleſiam parochialem conſtituit. Verſus occidentem palatium episcopale eminet, et circum ædificia canonicorum ſubſidunt. Tota moles cincta muro ab urbe ſubiecta ſeiungitur, quam ſitu ſuperat; vulgo aula, *Hof*, vocatur, medio ævo *Civida a)*.

Paulo ſuperius *S. Lucii* ædes viſuntur, quas initio a clero Curienſi incultas fuiſſe opinio eſt; conſtructæ fuerunt a *S. Valentiano* episcopo ſeculo VI. ubi clerum ſuum ſub vitæ communis vinculo congregavit, prout in parte I. non vane augurati ſumus. Loco dehinc monachis Fabarienſibus conceſſo *b)* canonici in alia

a) Cod. prob. N. CXVIII. b) Ibid. N. XXIX. not. *d*.

domicilia commigrarunt, quod ſeculo IX. factum existimamus, post cuius initium ecclesia Curiensis *Roderico* comiti Langari prædæ cesserat. Certe hoc infortunio ſacerdotes etiam vitæ necessaria amiserunt *a*), quorum defectum forsan Fabarienses ſupplebant. Porro ex *Victoris*, *Vigilii*, *Ursicini etc.* episcoporum historia patet, iuniores clericos ſeculo VIII. ab episcopis educari consuevisse, quod pro temporis ratione commune quoddam canonicorum collegium, ſeu quasi ſeminarium arguit, quos deinceps in vitæ communis observatione perseverasse ostendunt *Conradi* episcopi constitutiones ann. 1273 *b*). Occurrit ſeculo X. magni nominis presbyter *Hartbertus* ad S. Florinum Eremusii pastor *c*), qui ecclesiam ſuam factus episcopus capitulo cathedrali donasse creditur, quam ſeculo ſequenti *Udalricus I.* ep. ſibi usurpare cœpit. Part. I. ſec. XI. n. II. Erant eo tempore in comitatu Clavennensi, cui Rudolphus præerat, quidam nobiles germani Wilhelmus et Rogerius, qui, nescio quid, graviter in imperatorem Conradum peccaverant, ita ut illorum bona fisco addicerentur. Credibile est, illos coniurationi Heriberti archiepiscopi Mediolanensis adhæsisse, quam Hermannus contractus ad annum 1037. recenset. Dicta vero bona Conradus imp. die 8. Iunii ann. 1038. Beneventi Curiensis ecclesiæ canonicis dono dedit. Haud diu post ab episcopo *Dietmaro* partem redditaum ex montanis confluentium impetrarunt, quod testatur *Henricus I. Dietmari* ſuccessor apud Tschudium *d*): *Decem libras de decima cameræ, et episcopalem partem de precario, quæ in Montanis episcopali acquiruntur placito, quæ beatæ memoriæ* Thietmarus *noster prædecessor episcopus eisdem ad ſupplementum præbendæ dedit fratribus*, quibus idem *Henricus* anno 1070. etiam ecclesiam S. Florini restituit *e*). Subsecuto ſchismate Henriciano in electionis iure præpediti episcopum intrusum pati cogebantur, donec ſubsidio *Gebhardi* Constantiensis anno 1089. recuperato iure *Udalricum II.* eligerent.

Conflictandum illis cum inopia fuit, qua forsan urgente, tum etiam decoris gratia anno 1282. ſanciverunt, nullum posthac in capitulum ſuſcipiendum nisi prius *Cappam*, ſeu vestem ecclesiasticam, eiusve pretium persolveret *f*). Seculo XIV. eo adigebantur, ut huc illucque officio divino intermisso ad amicos excurrentes necessarium victum quærerent, quibus eapropter *Ioannes I.* et *Udalricus V.* episcopi ſacellum S. Valentini in *Mals* unacum hospitio largiti ſunt. Illorum posterior donationis causam in charta d. d. 16. Mart. ann. 1344. hanc ſubiungit: *Quum propter graves ingruentes guerras longo tempore in diœcesi perdurantes redditus et proventus canonicorum adeo ſint distracti, ut canonici commode ſustentari non possint, imo multi ex eis neces-*

a) Cod. prob. N. VI. *b*) Ibid. N. LXXXII. *c*) Ibid. N. XV. *d*) Chron. Helv. P. I. L. I. p. 23.
e) Ibidem. *f*) Cod. prob. N. LXXXV.

ſaria vitæ ſuæ pro aliqua parte anni apud amicos ſuos requirere penuria compellente coguntur: ex quorum abſentia cultus divinus ſubtrahitur aliquando in tantum, ut per menſem et amplius in maiore altari eccleſiæ Curienſis propter defectum miniſtrorum una miſſa non cantetur. Malo quoque mederi conatus eſt *Petrus I.* qui anno 1357. pro anniverſario celebrando ius patronatus parœciarum in *Schams* et *Zuz* canonicis conceſſit, propriamque in urbe Curienſi domum adquiſivit. Nec minus beneficum ſe exhibuit *Rudolphus* comes de Monteforti, qui anno 1378. die 29. Iulii Curienſi capitulo donavit eccleſias B. V. Mariæ in *Rankweil*, et S. Udalrici in *Götzis*, urgente hoc motivo adactus: *Cum certitudinaliter*, inquit, *nobis conſtet, quod dilecti nobis in Chriſto canonici et capitulum eccleſiæ Curienſis, in quo nos aliquando ſub ſtatu canonici et præpoſiti duximus dies noſtros, præbendas habeant adeo tenues et exiles, ut propter ipſarum defectum divinæ laudis organa quandoque neceſſario ſuſpendantur.*

Pauperies tamen non obſtabat, quin ius ſuum pro occaſione quavis tuiti ſint canonici, quod rurſus exeunte ſeculo XIV. in electione *Hartmanni II.* adverſus varios demonſtrarunt; quemadmodum et ſequenti ſeculo, quod continuis ferme contentionibus ac vexationibus ſordeſcebat, prout in parte I. retulimus.

Maximam vero ſibi laudem compararunt ſeculo XVI. quod ingruente Zwinglianiſmo pro eccleſia Curienſi poſtremum poterat videri. *Ioannem Ponſiſcellam* archidiaconum ſi excipias, reliqui omnes inter innumeras perſecutiones et violentias immoti in fide perſtabant, magna prudentia, et ſingulari magnanimitate dura quæque perpeſſi. Suo epiſcopo *Paulo Zieglero* fideliſſimi anno 1525. ſuppellectilem eccleſiaſticam et monumenta potiora ruſticorum rapacitati in tempore ſubduxerunt. Annis ſequentibus plurimi canonicorum tum propter inopiam, tum propter Rhætorum iniurias Curia diſcedere coacti partim Feldkirchii, partim in Sargans et Wallenſtadii morabantur, perpaucis in eccleſia cathedrali remanentibus.

Anno 1529. Februario menſe eorum ſex Feldkirchii adverſus Rhætorum violentias ſolemnem proteſtationem oppoſuerunt: erant *Chriſtophorus Mezlerus* ſcholaſticus, *Michael Schmidt* cantor, *Nicolaus Brendlinus*, *Diepoldus Schmidt*, *Antonius Richlichius* et *Caſparus Iæcklinus.* Eodem anno regimen Oenipontanum ad diem 12. Iulii *dietam* pro cauſa epiſcopum Curienſem inter Rhætosque diſcutienda indixit. Moniti a *Paulo* canonici Oenipontem ablegarunt *Chriſtophorum Mezlerum* et *Antonium Richlichium*, *ut intelligerent*, ſic loquuntur litteræ, *ac explorarent, quid in conſtituto conventu proponendum, tractandum ac decidendum ſit, atque in omnibus quam commodiſſime rem gererent, prout ipſis videretur, gratioſo domino noſtro, epiſcopatui, capituloque univerſo utiliſ-*

ſimum atque maxime ſalutare futurum. In eandem rem conſenſerant decanus, paucique alii canonici Curiæ adhucdum commorantes, quos cæteri tumultuum ergo accedere non poterant; hinc etiam *capitulum generale* in feſto S. Galli haberi ſolitum Curiæ hoc anno 1529. intermitti debuit. Convenere tamen quotquot poterant præter ſex ſupra nominatos *Ioannes Kolerus* præpoſitus, *Pelagius Alber*, *Adam Heimbrich* et *Antonius Poglich*, in oppido Feldkirchenſi capitulum celebraturi. *Nihilominus*, prout in erecto deſuper inſtrumento legitur, *in feſto S. Galli in eccleſia parochiali oppidi Feldkirch noſtram obedientiam exhibuimus, et ſequentibus diebus in domo parochiali ea, quæ pro divino cultu honore, commodo et utilitate eccleſiæ Curienſis et omnium noſtrum, et aliorum confratrum ac ſucceſſorum noſtrorum facere videbuntur, mature tractare intendimus. Et inſuper quod congruo tempore, et cum auctoritate ſuperiorum noſtrorum locum eligere velimus, in quo penſum ſervitutis noſtræ perſolvamus, et debitam reſidentiam faciamus; donec ad eccleſiam Curienſem tuto redire, et apud eam deſervire valeamus.* Conteſtantur demum, ſe a ſuis confratribus Cutiæ reſidentibus nunquam ſeparandos, quamdiu iſti ſe catholicos exhibuerint.

Extant eorundem ſupplices hoc anno ad *Ferdinandum* Rom. regem datæ, quibus expoſita Griſonum violentia petiverunt, ut ſibi ex terris hæreditariis Tyrolenſi, ſeu Feldkirchenſi, ſeu Walgoviana, quamdiu in exilio eſſent futuri, congrua ſuſtentatio adſignaretur. Perculſum tot procellis capitulum nunquam penitus reſtitui ſuo nec ſplendori, nec numero potuit; libera electionis facultas tantopere ultra ſeculum reſtricta Rhætorum dominio fuit, ut potius ablata cenſeri debeat; donec ſeculo demum XVIII. per commiſſarios, ut aiunt, cæſareos priſtino ſuo iure liberius uti occiperent, quod ſuis in locis oſtendimus. Adiuti quidem antehac ſæpius a nuntiis apoſtolicis eo in negotio fuerunt; eligi tamen vix ullus epiſcopus abſque fœderatorum vexationibus poterat.

Anno 1690. quidam *Ioannes Schgierus* obtenta quoquo modo bulla pontificia dignitatem ſcholaſtici Curienſis contra avitum capituli ius arripuit; verum *Leopoldus* imp. per litteras canonicis iniunxit, ut pulſo *Ioanne* ſcholaſticum pro ſuo arbitrio conſtituerent *a*).

Numerus canonicorum ante reformationem longe maior reddituum ſubtractione adeo diminutus eſt, ut poſtmodum nonniſi ſex Curiæ reſidere atque ex præbendis canonicalibus ſuſtentari potuerint, reliquis alibi viventibus, quod et hodie obſervatur. Hodierni canonici, qui voce tam activa quam paſſiva gaudent, ſunt ſequentes:

a) Archiv. Curienſ.

Reverendiſsimi ac Illuſtriſsimi DD. Canonici

I. Chriſtianus Iacobus FLIRI SS. Theol. doctor, *præpoſitus.*

II. Lucius Antonius SCARPATETI ab Unterwegen, *decanus.*

III. Ioannes Antonius BATTAGLIA SS. Th. D. *ſcholaſticus.*

IV. *Cantoris* dignitas inde ab electo episcopo *Carolo Rudolpho* de BUOL vacat.

V. Franciscus Xav. Leander L. Baro de RÜPPLIN de Keffikon, *cuſtos.*

VI. Antonius L. Baro de BUOL in Wiſchenau, *ſextarius.*

Hi Curiæ prope eccleſiam cathedralem habitare, ac divinum quotidie officium peragere ſolent. Qui vero ſequuntur alia beneficia poſſident.

VII. Ios. Franc. Xaverius Ant. de MERIS et HAUSEN, decanus eccleſiæ collegiatæ in *Baden-Baden.*

VIII. Georg. Antonius HOFMANN de *Leuchtenſtern* SS. Th. D. canon. collegiatæ ad S. Stephanum et Nicolaum *Conſtantiæ.*

IX. Ios. Bartholom. Ioannes Nepom. comes de WICKA in *Wickaburg* et *Rheinegg* parochus in *Tſchengels* in Tyroli.

X. Petrus TÆSCHER olim regius eleemoſynarius *Pariſiis*, vicarius generalis Matiſconenſis, et abbas commendatarius Selincurtenſis. Incertum, utrum adhuc in vivis.

XI. Ioannes Iacobus de CABALZAR SS. Th. D. parochus in *Faellers* in Rhætia.

XII. Ioel Antonius ORSI de *Reichenberg* parochus in *Schan.*

XIII. Franc. Xaverius de FREWIS SS. Th. D. *vicarius foraneus*, decanus et parochus in *Feldkirch.*

XIV. Petrus PANNIER SS. Th. D. canonicus collegiatæ *Morbennii* in Valletelina.

XV. Ioſephus Antonius MAYER SS. Th. D. parochus in *Altenſtat* prope *Feldkirch.*

XVI. Rudolphus Ludovicus de BLUMENTHAL parochus *Pleiffii* in Rhætia.

XVII. Franc. Dismas S. R. I. comes de MOHR L. B. de *Landſtein etc.* dominus in *Montani* et *Neuhaus*, parochus *Merani.*

XVIII. Ioann. Baptiſta ORSI de *Reichenberg Viennæ* in Auſtria.

XIX. Iacobus BALLETTA SS. Th. D. *vicarius foraneus* et parochus in *Brigels.*

XX. Lucius Ant. Leonardus de BERGAMIN *Obervazii* in Rhætia.

XXI. Ioann. Antonius SCARPATETTI ab Unterwegen parochus in *Mals* in Tyroli.

XXII. Franc. Nicolaus TOSCHINI SS. Th. D. *vicarius foraneus* et præpoſitus collegiatæ ad *S. Victorem* in valle Meſaucina.

XXIII. Ios. Ant. Liberatus HUONDER SS. Th. D. parochus in *Bonaduz.*

Subnectere iuvat munia, ut vocant, hæreditaria, nec non officiales episcopi Curiensis:

Pincerna archidux Austriæ, qua comes Tyrolis.
Dapifer liber baro de *Monte Lewenberg.*
Cubicularius liber baro *Flugi* de *Aspermont.*

Flugiorum familia, dum hæc ſcribebamus, paucos ante menses extincta fuit; quænam in munere ſucceſſerit, nos latet.

Marescallus Planta de *Wildenberg* et *Zuz.*
Castellanus in *Fürstenburg* D. Ios. Ant. baro de *Federspiel.*
Prætor in *Obervaz* D. Remigius de *Scarpatetto.*
Castellanus Eremusii D. Petrus Conradinus a *Planta.*
Cancellarius Plur. Rev. D. D. Georgius *Schlechtleutner.*
Sacellanus Pl. Rev. D. Franc. Xav. *Adelgold.*
Registrator Pl. Rev. D. Iosephus *Baal.*
Consiliarii aulici D. *Godt* de *Greplang*, et D. *Haüsler* de *Rosenhaus.*

PRÆPOSITI MAIORES ECCLESIÆ CATHEDRALIS CURIENSIS.

Initia dignitatis huius in ecclesia Curiensi detegere non potuimus. Quos variis in monumentis reperiebamus præpositos, hic ſiſtimus.

UDALRICUS comes de *Monteforti* præpositus usque ad ann. 1089. quo evasit episcopus. Exin nullus reperitur usque ad medium ſeculi ſequentis, quo legitur
EGINO tempore *S. Adalgotti* ann. 1156. *a)* factus episcopus ann. 1160.
UDALRICUS de *Sacco* legitur anno 1210. *b)* et 1212. in charta transactionis inter abbatissam *Turicensem*, et *Rudolphum* de *Raperswil c)*.
BERTHOLDUS ann. 1249 *d)*.
BURCHARDUS ann. 1265 *e)*.
FRIDERICUS occurrit anno 1273. *f)* et 1282 *g)*, hinc fallitur *Gulerus h)*, qui hoc anno *Henricum* Friderici ep. fratrem præpositum fuisse ait.

a) Cod. prob. N. XLVII. et Annal. Præmonstr. T. II. p. LXVI. *b)* Ibid. N. LXIV. *c)* Zapf. Monument. anecdot. Vol. I. p. 111. *d)* Cod. prob. N. LXXIV. *e)* Ibid. N. LXXIX. *f)* Ibid. N. LXXXII. *g)* Ibid. N. LXXXV. *h)* Rhæt. alp. p. 143.

Henricus de *Monteforti* exeunte ſeculo XIII.

Rudolphus præpoſitus ann. 1310. die 1. Maii in Thurego, ubi *Henricus VIII.* R. rex oppidum Wyla S. Galli monaſterio iterum vindicat *a*).

Rudolphus alius de *Monteforti*, cuius pater nomine pariter *Rudolphus* anno 1352. inito prælio cum *Walthero* de Bellomonte die 12. Maii prope Ilantium captus, pro redemtione obſides dedit ambos filios ſuos *Udalricum* et *Rudolphum*. Hic voto ad S. Leonardum facto in libertatem reſtitutus illud exſolvit, ſtructo prope Feldkirchium S. Leonardi templo. Ad præpoſituram Curienſem promotus eſt nondum maioribus ordinibus initiatus circa ann. 1365. legitur in chartis Fabarienſibus ann. 1372. et 1374. Relicta dehinc dignitate uxorem duxit *Agnetem* de Amatia in capitulum cathedrale beneficus *b*).

Rudolphus comes de *Werdenberg-Sargans* præpoſitus ann. 1399 *c*).

Conradus de *Rechberg* usque ad ann. 1440. quo in epiſcopum lectus eſt.

Ioannes de *Brandiſio* ann. 1509. Vid. P. I. ſec. XVI. n. II.

Ioannes *Cholerus* præpoſitus ann. 1510. et ſequentibus *d*).

Lucius *Iter* præpoſitus usque ad ann. 1541.

Nicolaus *Venuſtus* ann. 1578.

Ioannes *Zoller* ab anno 1622. usque ad d. 20. Nov. ann. 1628. quo obiit.

Christophorus de *Mohr*.

Bernardinus de *Gaudentiis*, antea cuſtos.

Conradinus de *Mohr*, Chriſtophori nepos, obiit 17. Febr. ann. 1690.

Rudolphus comes de *Salis* die 11. Decemb. ann. 1739. defunctus.

Ioſephus de *Mengotti*.

Ioannes Heinricus comes de *Salis* mort. 9. Octobr. 1775.

Christianus Iacobus *Fliri* hodiernus ſucceſſit die 20. Decembr. dicti anni.

DECANI CATHEDRALES.

Egino anno 1154. et 1156 *e*).

Conradus ann. 1215.

Udalricus ann. 1257. et 1265 *f*).

Eberhardus ann. 1273 *g*).

Conradus ann. 1282. occurrit cum littera initiali *h*).

a) Herrgott. Geneal. dipl. Habsb. T. II. P. II. p. 597. *b*) Conf. Guler. loc. cit. p. 151. *c*) Tſchud. Chron. Helvet. p. 597. *d*) Mencken. Script. rer. Germ. T. I. p. 1761. *e*) Cod. prob. N. XLVII. *f*) Ibid. N. LXXIX. *g*) Ibid. N. LXXXII. *h*) Ibid. N. LXXXV.

FRIDERICUS a *Nenzingen* postea episcopus, occurrit ann. 1327. et 1330 *a*).
HENRICUS a *Nenzingen* ann. 1368.
HENRICUS ab *Hewen* ann. 1371.
IOANNES de *Bunstrils* ann. 1383.
RUDOLPHUS de *Trostberg* frequenter in chartis legitur ab anno 1396. ad 1418.
RUDOLPHUS *Bellazun* ann. 1420.
HERMANNUS *Bürserus* occurrit ſæpe in litteris variis ab a. 1430. usque ad a. 1450.
RUDOLPHUS de *Brandisio* ann. 1466.
CONRADUS de *Marmore* ann. 1502. Conf. Part. I. ſec. XV. n. XXXV.
DONATUS *Iter* ab anno 1525. Interfuit disputationi Ilantinæ ann. 1526. tempore quadragesimæ accusavit Blasium pastorem in Malans de missa abrogata, atque ut exilio mulctaretur, obtinuit. Paulo post vivis excessit *b*).
BARTHOLOMÆUS a *Castromuro* ann. 1549.
CONRADUS *Planta* legitur ann. 1569. exulare pro fide coactus est ann. 1572.
IOANNES *Flugius* ab Asperomonte ann. 1579. factus postea episcopus.
CHRISTIANUS *Capittel* ann. 1601.
CASPARUS *Saynus* ann. 1623. plurimis legationibus ſub *Ioanne V.* et *Iosepho Mohr* episcopis religionis causa clarus.
MICHAEL *Hummelbergius* ann. 1636.
BERNARDINUS de *Gaudentiis* ann. 1655.
MATTHIAS *Schgier* ann. 1664.
IOANN. DAMIANUS ab *Hummelberg* in Sulzhofen ann. 1687.
UDALRICUS *Caduff* de Marmore 1699.
UDALRICUS liber baro de Vincentiis a *Fridberg* ann. 1722.
IOANN. ANTONIUS L. B. de *Federspiel* in Lichtenegg ann. 1743.
IOANN. FRANC. DIONYSIUS comes de *Rost* ann. 1755. postea episcopus.
IOANNES PETRUS de la *Tour* ann. 1777.
LUCIUS *Scarpatetti* ab Unterwegen decanus hodiernus.

CAPUT II.
ECCLESIA COLLEGIATA S. VICTORIS.

Unica est in toto episcopatu Curiensi ecclesia collegiata, illa *S. Victoris* in valle Mesaucina, *Misox*. Fundata est anno 1219. a comite *Henrico* de *Sacco Alberti* filio,

a) Cod. prob. N. XCIX. *b*) Ros. a Porta Hist. reform. T. I. p. 143.

eo fine, ut canonici iuxta voluntatem præpositi curam animarum in Mesaucina et Calanca vallibus exercerent, ubi etiam iure decimarum gaudent. Qui in ſacerdotum hocce collegium ſuscipiuntur, ex alterutra dictarum vallium oriundi esse debent: possunt ipsimet ex gremio eligere præpositum; canonicorum vero ſusceptio pertinet ad præpositum et canonicos ſimul, si inter se consenserint, ſecus ſolummodo ad præpositum.

Collegium hoc ſalvo iure episcopi Curiensis in ſpiritualibus, immediate ſubiectum est S. ſedi Romanæ. Canonicorum quatuor residere tenentur in ecclesia *S. Victoris*, ubi curam animarum exercent; bini autem in *Mesauco*, qui princeps vallis locus est, ut ibi pastorum munere fungantur.

Unica nobis charta est ex archivo episcopi Curiensis depromta, qua anno 1287. HEINRICUS *Dei gratia præpositus S. Victoris in Mesaco* ſacellum S. Petri ad Rhenum *Friderico* ep. Curiensi et *Udalrico* Rietbergio pro mutuata pecunia in pignus tradidit *a*). Non potuimus plura nancisci, ne ſeriem quidem præpositorum; domus enim, quam præpositus incolere ſolet, aliquoties conflagravit, quo fato monumenta dicuntur periisse.

Antepenultimus præpositorum anno 1786. erat PETRUS de *Zoppis*, hodiernus vero est FRANCISCUS NICOLAUS *Toschini*, ſimul vicarius foraneus et canonicus Curiensis.

PRÆPOSITURÆ.

In charta quadam *Henrici* episcopi Curiensis de anno 1259. occurrunt HERMANNUS præpositus S. VALENTINI, et IOANNES præpositus MONASTERII *b*). Unde concludi potest, duas olim in valle Venusta præposituras extitisse; illam S. VALENTINI in *Mals* fuisse putem, alteram vero MONASTERII in valle Monasteriensi, prout colligitur ex *Nicolai IV.* papæ litteris ann. 1289. quæ tamen fuit tantum præpositura regularis *c*).

a) Cod. prob. N. LXXXVI. *b*) Ibid. N. LXXVII. *c*) Ibid. N. LXXXVII.

CAPUT III.

EQUITES HOSPITALIS S. IOANNIS IN FELDKIRCH.

Domus S. Ioannis Baptiſtæ in Feldkirchenſi oppido primitus equitum Melitenſium fuit, donec variam ſortem experta ad monaſterium Ottoburanum devolveretur, atque in prioratum reſurgeret. Quæ ex antiquis monumentis colligere licuit, brevi calamo hic tradimus: videri aliqua poſſunt in Pruggeri deſcriptione Feldkirchenſi *a)* atque in Wendtenthal Auſtria ſacra *b)*.

In ipſius domus urbario, ut vocant, habetur charta fundationis, qua *Hugo* comes de Monteforti equitibus S. Ioannis tradidit eccleſiam in propria ſua civitate *Feldkirch* unacum pluribus bonis et redditibus ea conditione, ut pauperibus exinde inſerviatur, et clericus aliquis pro celebrandis divinis officiis ſuſtentetur, parte reliqua in uſus equitum reſervata. Confectæ donationis litteræ anno 1219 *c)*.

Commendatorum, prout appellantur, qui domum hanc rexerunt, exactam ſeriem detegere non licuit.

Hugo comes de *Werdenberg* primus eſt, quem invenire potuimus circa ann. 1320. is anno ſequenti in quadrageſima agrum aliquem elocavit.

Udalricus de *Asperomonte* anno 1347. a ſuis conſanguineis *Eberhardo* et altero *Udalrico* de Asperomente villam in *Schan* obtinuit.

Ioannes de *Hegi* anno 1366. a *Rudolpho* de Monteforti facultatem extruendi molendini accepit; acquiſivit præterea ſilvam *Nanzigast*.

Hartmannus de *Werdenberg-Sargans* anno 1382. pro 550. flor. Martio menſe emit eccleſiam in *Mauren*.

Henricus *Lutfrid* anno 1430. domum in *Widnau* comparavit.

Conradus de *Wähingen* ab anno 1474. uſque ad 1490. frequenter occurrit. Is anno 1484. Stephano Schnezero et Ludovico Lutschero civibus Feldkirchenſibus copiam dedit extruendi ſacellum S. Annæ iuxta eccleſiam S. Ioannis pro familiarum ſuarum ſepultura.

a) Pag. 16. *b)* T. II. P. I. p. 61. *c)* Cod. prob. N. LXVIII.

Conradus de *Schwalbach* invenitur annis 1505. et 1529.

Adamus de *Schwalbach* commendator domorum Tobel, Feldkirch, et Herbipolis, nec non receptor Germaniæ ſuperioris anno 1553. in ſacello S. Annæ ius ſepulturæ conceſſit Henrico *Widnauero* prætori Feldkirchenſi. Controverſiam habuit cum civibus in *Fraſtenz*, quæ anno 1563. compoſita fuit.

Arbogastus de *Andlau* legitur anno 1594. poſtmodum in principem et magiſtrum electus.

Ioannes Wernerus de *Raitnau* anno 1608. comparet: ultimus is commendatorum hac in domo fuit, quæ die 10. Maii anno 1615. ab ordine equeſtri divendita eſt *Georgio* abbati ad Vineas, ab hoc in cœnobium commutata.

Permanſit penes iſtam abbatiam uſque ad annum 1695. quo a *Willibaldo* abbate pro 21000. flor. ad urbem Feldkirchenſem tranſlata eſt; hic tamen corpora SS. *Martialis* et *Gaudentii* martyrum inde ad ſuum monaſterium tranſportari curavit: verum *Udalricus* Curienſis epiſcopus eadem in priſtinum locum reſtitui voluit.

Tandem Feldkirchenſes domum ſibi minus utilem rati, eam ſequenti mox anno 1696. die 24. Februarii monachis Ottoburanis ſub *Gordiano* abbate pro 22000. flor. ceſſerunt, penes quos viget adhucdum. Incolitur a tribus quatuorve monachis curæ animarum intentis, quorum primus nomen prioris habet. Munere hoc diu perfunctus eſt, quum adhuc ad Vineas locus pertineret, famoſus ille *Gabriel Bucelinus* hiſtoricis lucubrationibus inſignis.

PARS III.

STATUS ECCLESIASTICUS REGULARIS EPISCOPATUS CURIENSIS.

SECTIO I.

ABBATIÆ VIRORUM.

CAPUT I.

MONASTERIUM PRINCIPALE DESERTINENSE ORDINIS S. BENEDICTI.

Monaſterium Desertinense ſeu Desertina, cui ab horrida et deſerta regione nomen, unde medio ævo cella in speluca vel *ſpelunca* vocabatur, apud Aetuatios anteriores ſitum est in ſiniſtro Rheni ſuperioris latere, haud procul ab eiusdem ſcaturigine, ad Crispaltæ montis radices ac orientalem Urſariæ plagam. Hodie cum ſua ditione, quæ olim ſat ampla fuit, ligæ Griſeæ partem conficit, et in diœceſi Curienſi ad occidentem iacet.

Abbatia hæc S. Gallenſi in Helvetia et Bobienſi in Italia coæva eſt, ortumque ſuum debet S. Columbano, qui quum a Brigantio anno 613. in Italiam pergeret, uti in parte prima oſtendimus, quemadmodum S. Gallum ad lacum Brigantinum, ſic S. Sigisbertum apud Urſarios et Gothardi montem diſcipulos reliquit. Unius circiter anni ſpatio ibi eremita vixit S. Sigisbertus, qui natione Hibernus in monaſterio *Benchor* educatus S. Columbanum Gallias peragrantem hucusque ſequutus fuerat, uti monumenta Deſertinenſia tradunt. Dehinc vero arctioris ſolitudinis deſiderio captus, ſuperatis Criſpaltæ iugis ad orientales montis radices in loco Rhætiæ deſerto conſedit, populoque circumiacenti evangelium prædicavit.

Non caruit ſucceſſu pius novi huius apoſtoli labor, cum aliis enim, qui eius hortatu Chriſto dedere nomen, adfuit vir nobilis et potens PLACIDUS, Rhætiæ ſuperioris primoribus adnumeratus, ac regionis toparcha, qui non ſolum fidem chriſtianam, ſed monaſticen quoque colendam ſuſcepit. Eius igitur opibus adiutus S. SIGISBERTUS eodem in loco oratorium et cellas conſtruxit ſub B. V. Mariæ et S. Martini Turonum epiſcopi patrociniis. S. PLACIDI exemplum plures diſcipulos allexit, qui S. SIGISBERTI magiſterio ad S. Columbani regulam poſtmodum regebantur. Hæcque Deſertinenſis abbatiæ origo eſt. Regulam autem S. Columbani primitus apud Deſertinates viguiſſe, exinde patet, quod eadem in omnibus monaſteriis ab ipſo vel eius diſcipulis conſtructis obſervari conſueverit *a*). Brevi tamen poſt tempore cum illa S. Benedicti coniungi cœpit, a qua parum diſcrepat, donec demum in deſuetudinem abiret *b*).

Huius igitur antiquiſſimi monaſterii hiſtoriam hic ſiſtimus ex pereruditis obſervationibus collectam, quas ſagaciter conſcripſit, nobiſque tranſmiſit vir clariſſimus R. D. Auguſtinus a Porta Deſertinenſis monachus, qui antiqua monaſterii ſui monumenta, quæ plura poſt fata adhucdum ſuperſunt, ſolertiſſime luſtravit, atque in ſeriem chronologicam redegit, favente eidem celſiſſimo principe abbate D. Columbano Sozzio ab Olivone.

ABBATUM SERIES ET GESTA.

I. S. SIGISBERTUS. Vix in incunabulis florere cœperat Deſertina, quum novellam plantam vi dolove opprimere attentaret Rhætiæ tunc temporis præſes *Victor*, homo non tam libidini quam avaritiæ deditus. Viri huius animum præprimis uſſit S. PLACIDI in recens monaſterium liberalitas, cuius proin bona ſibi vendicare adlaboravit. Sedem forte tunc fixerat in vicino caſtro *Wilinga*, unde novos incolas ſagacius obſervare ac certius affligere poſſet. Pius abbas tyrannum ſaniora edocturus, S. PLACIDUM eidem ſanguine iunctum ablegavit, qui eum velut Baptiſta Herodem ab iniuſtitia dehortaretur. Hac libertate in furorem actus *Victor* viro ſancto necem decrevit, reducemque PLACIDUM a ſatellitibus intercipi et capite truncari iuſſit V. idus Iulii anno 632. eo in loco, ubi hodiedum elegans eccleſia, paſſi martyrii monumentum, haud procul a monaſterio viſitur. SIGISBERTUS abbas filium amiſſum lugens ſacrum illius cadaver

a) Calmet. Comment. in reg. S. Bened. in præfat. §. XVII. *b*) Mart. Gerbert. Silv. nig. T. I. p. 38.

penes S. Martini oratorium recondidit, quod adhucdum unacum prodigioſo linteo, cui abſciſſum caput involutum fuerat, ſumma religione adſervatur. Paulo poſt *Victor* parricida in ſceleris vindictam ponte ſub pedibus dehiſcente aquis Rheni hauſtus interiit. Factum hoc referunt Gulerus, Sprecherus, Tſchudius, Bruſchius aliique; de eo etiam agunt hagiographi Antverpienſes *a*), qui tamen monumentis deſtituti decipi ſe paſſi ſunt legenda quadam *Tellonem* Curienſem epiſcopum *Victoris* parricidæ filium adſerente, cuius erat atnepos; hinc eſt, quod S. SIGISBERTUM verum et coævum S. Columbani diſcipulum fuiſſe, perperam negare videantur.

Anno 1786. menſe Ianuario ſupra iam laudatus P. R. D. Auguſtinus a Porta feliciter detexit perditum S. martyris ſarcophagum, quem laminæ cupreæ auro multo bene obductæ tegunt; præter varii argumenti figuras S. PLACIDI quoque martyrium iiſdem inſculptum viſitur. Primum occurrit vir ſanctus cucullam indutus ſtans coram præſide, cuius vitia redarguit; dein comparet monachus duplici cum capite alterum in collo, alterum manibus geſtans: poſtea cernitur famulorum quidam S. SIGISBERTO occiſi PLACIDI veſtem monſtrare: demum S. PLACIDUS ſola interula tectus, brachium ſiniſtrum cruraque vulneribus ſaucia oſtendens ſe verſus abbatem inclinat, et exanime caput, ſiniſtra gena collo impoſitum eidem exhibet.

Antiquiſſimum hoc monumentum eſt, ſeculo, ut videtur, octavo conſtructum; et quamvis integrum amplius iam non ſit, incorruptum tamen adhuc viderat *Auguſtinus* Stœklinus abbas anno 1634. qui teſtatur, dictum ſarcophagum ſub rege Pippino confectum fuiſſe, quod fortaſſe ex quibuſdam inſcriptionibus modo perditis hauſerat; certe medio ſeculo XI. ſub abbate *Udalrico* de Monteforti iam in terram defoſſus, et anno 1497. a *Ioanne* Brukero abbate unacum SS. reliquiis denuo feliciter erutus fuit. Theſaurus hic nupero ſeculo a naſutulo quodam deſtructus hucusque latuit, donec eum fauſta R. P. Auguſtini a Porta tunc Decani ſagacitas denuo, ut dixi reſuſcitaret. Non abs ratione ſarcophagi auctor *Tello* epiſcopus et abbas creditur, utpote qui omnia egerit, ut iniuriam monaſterio S. PLACIDI nece ab atavo ſuo *Victore* illatam reſarciret *b*), quod teneriore erga ſanctum martyrem cultu facilius fieri potuit.

Diſcipulum ad aſtra ſublatum quadriennio poſt ſecutus eſt S. SIGISBERTUS anno 636. eidemque tumulo illatus miraculorum ſocius evaſit. Colitur utriusque memoria die 11. Iulii. Modicæ quædam eorum reliquiæ ante aliquot annos in noſtro S. Blaſii templo recens poſt cineres extructo reconditæ fuerunt.

a) T. III. Iulii die XI. p. 238. *b*) Cod. prob. N. II.

II. S. Adalbero martyr, vir præstans virtute et *S. Sigisberti* ſpiritu plenus. Diutinum illi regimen, ſed et plenum luctu fuit. Clareſcere iam miraculis *SS. Placidi* et *Sigisberti* cadavera cœperunt, quæ Adalbero anno 663. in S. Martini templum, prope quod erant humata, tranſtuliſſe ac loco digniore recondidiſſe dicitur. Cætera præclare ab eo geſta latent usque ad fatalem Hunnorum irruptionem, qui circa annum 670. ex Foroiulienſi prælio in Rhætiam hoſtiliter ſe effuderunt. Quorum adventum quum comperiſſet Adalbero, ſanctorum reliquias, ſacramque ſuppellectilem Turegum, ceu locum tutiorem, per ſuorum quosdam mature transportari curavit, quemadmodum teſtatur vetuſtus codex citatus a Mabillonio *a)*, cuius tamen ætatem non determinat vel ipſus Auguſtinus a Porta in obſervationibus ad nos transmiſſis. Ex huius porro ſuppellectilis deſcriptione *b)* patet, quanta incrementa Deſertinenſe monaſterium intra 50. annos cœperit, utpote tam amplo pro illius temporis ratione eccleſiaſtico theſauro inſtructum: plures iam tum ſacerdotes inibi habitaſſe oportet, quum numero ſat magno calices et reliquus ſacerdotalis apparatus in dicto codice recenſeantur, nec vero ſit ſimile omnem prorſus ſuppellectilem, ſed tantum pretioſiora quæque, ut fieri ſolet, ſecuritatis ergo alio tranſlata fuiſſe.

Nec vana erat providentia iſthæc; nam Hunni ædes Deſertinenſes cæde flammisque penitus devaſtarunt: monachi plerique hac illac dilapſi, pars montibus ſemet abdiderunt, pars convaſatis rebus ad Turegum urbem confugerunt, pars domi unacum abbate remanentes ad unum omnes trucidati ſunt. Refert quidem Mabillonius *c)* Adalberonem poſt ſuorum ſtragem cum paucis Turego reverſum Deſertinam paulatim reſtaurare cœpiſſe; aſt Deſertinenſes antiquiſſimæ traditioni innixi, dictum abbatem cum ſuorum plurimis martyrio ab Hunnis affectum fuiſſe adſeverant, ipſumque monaſterium per 60. ferme annos ſqualidum et acephalum iacuiſſe, quamvis monachi diſperſi, ut primum licuit, ad illud redierint. Paucis ab exciſa Deſertina diebus Rhæti ex fuga collecti latrocinantes Hunnos in campo *Disla*, qui dimidia hora diſtat, quum nihil ſiniſtri opinarentur, adorſi ferme omnes trucidarunt, paucis fuga elapſis. Non ita pridem ruſtici dictum campum fodientes lancearum cuſpides, tela enſiumque fragmenta commiſſæ olim pugnæ teſtes, eruerunt. Purgata hoc modo a barbaris regione, monachi e latebris ad monaſterii locum reverſi primum occiſorum fratrum corpora ſepulturæ mandaverunt; dein extructis circumcirca cellulis vitam ſolitariam exercuere, quippe quibus tantum non erat virium, ut templa ædesque e cineribus ſuſcitarent. Quocirca ſeorſim viventes, ſubinde aliis

a) Annal. Benedict. Lib. XVI. p. 504. *b)* Cod. prob. N. I. *c)* Loc. cit.

quoque hanc vitæ normam eligentibus, 60. omnio annis abſque præſule permanſerunt.

Interea Carolus Martellus adverſus Alemannos exercitum ire iuſſit, ſuperatoque eorum duce Lantfrido ſeu Luitfrido quum militum pars per Deſertinam rediret, nocte præventi equos ſuos in B. V. Mariæ templi ruinis incluſerunt, quos mane exinde recepturi omnes ſolo ſtratos atque extinctos repererunt. Militibus inſolita hac iactura perculſis damnique cauſam percontantibus monachi retuliſſe feruntur, locum illum Deo, magnæque matri virgini quondam fuiſſe ſacrum, quem proin in equorum ſtabulum convertere nefas foret. Re comperta Carolus Martellus religione adeo tactus fuiſſe perhibetur, ut templum reſtaurare decreverit. Si chronotaxi Hepidanni apud Goldaſtum fidere liceret, factum iſtud qualicumque fide dignum ſit, ad annum 715. referri poſſet, quo *Karolus Alemanniam rebellantem Luitfrido duce eorum ſuperato domasse* legitur, quod tamen probabilius circa annum 725. contigit.

III. S. URSICINUS ex præſidum Rhætiæ familia natus ſub *Victoris* et *Vigilii* epiſcoporum Curienſium magiſterio adolevit. Perfectionis deſiderio motus apud Deſertinenſes circa ann. 721. cucullam induit. Eius exemplum plures ſecuti tandem circa ann. 730. eligendi rurſus abbatis conſilium cœperunt. Omnium calculo electus eſt URSICINUS, qui primas curas pro reſtaurandis templis ac ædibus impendit, adiutus eo in opere tum Caroli Martelli liberalitate, tum *Vigilii* Curienſis epiſcopi et *Victoris II.* Rhætiæ præſidis benignitate; quid autem unusquiſque contulerit, monumenta non produnt. Cæterum opus cœptum tam ſtrenue urgebat URSICINUS, ut anno 739. tota ædificiorum moles iam abſoluta ſteterit: trina templa, primum B. V. Mariæ et alterum S. Martini a *S. Sigisberto* olim ſtructa e cineribus reſtituit, quibus tertium S. Petri apoſtoli honori ſacrum adiunxit, quorum omnium expreſſa et ſæpius iterata mentio occurrit in percelebri *Tellonis* teſtamento de anno 766. *a*) qui *Victoris II.* Rhætiæ præſidis ex Teuſinda filius cum pluribus aliis vitam monaſticam Deſertinæ amplexus eſt anno 748.

Piiſſimus interim abbas nihil intermiſit, quo commiſſum ſibi monachorum gregem ad arctioris diſciplinæ præcepta ſplendidiſſimum effingeret, ita ut toti Rhætiæ ſanctitatis exemplo eſſet. Cedenti *Baldeberto* anno 754. ſedi Curienſi impoſitus unacum abbatia totam diœceſin per quatuor annos ſummo cum fervore adminiſtravit. Eo tempore Francorum rex Pippinus a Stephano III. P. evocatus Aiſtulphum Longobardorum regem bello petiit, ac Ravenna eccleſiæ

a) Cod. prob. N. II.

Romanæ adserta, obtentisque ab Aistulpho obsidibus in Gallias reversus est *a)*. Iam hac occasione, uti Desertinenses credunt, *Wido* quidam comes de *Lomello* et *Sparweira* alpes transiens Desertinæ gravi morbo correptus S. Ursicini ad fundatorum reliquias precibus ſanitati pristinæ restitutus fuit; qui gratitudinis ergo plura prædia in Insubribus ſita monasterio donavit duodecimo post Adelheidis uxoris ſuæ decessum anno. Donationis charta non extat, habetur tamen eiusdem confirmatio postmodum a Rom. rege Friderico anno 1154. facta, ubi omnia narrantur, quæ in primævo instrumento contenta esse poterant *b)*. Illud præ ceteris notatu dignum, quod dictus *Wido S. Galli capellam in prædio iuxta Vareia ſitam* ea conditione monasterio concesserit, *ut monachi ibidem prædicarent, fratres docerent, communicarent, absolverent pœnitentes, baptizarent, ſepelirent — omnes qui ſacra inibi quærerent.* En antiquissimum testimonium! monachos curæ animarum admotos fuisse. Aiunt porro Desertinenses *Widonem* istum bis monasterium ſuum invisisse, ibidem anno 756. defunctum; idem porro ſemel ab ipsomet Pippino factum, quum altera vice adversus Aistulphum arma moveret, qua occasione Desertinam pertransiens *SS. Placidi* et *Sigisberti* reliquias veneratus, locum amplis donis et privilegiis, quorum monumenta amplius non extent, cumulaverit. Non repugnant ista; nam annales Hepidanni in manuscripto codice S. Gallensi num. 915, editis multo magis accurati, referunt, Pippinum regem bis in Italiam cum exercitu profectum: ſemel anno 754. *Dnus* Pippinus *cum exercitu Franchorum Italiam ingreditur, et receptis rebus ſcti Petri reversus est ad ſedem ſuam;* altera vice mox anno ſequenti 755. *Franci iterum in Langobardiam cum exercitu.* Igitur *Wido* comes, quem in Pippini comitatu fuisse ſupponimus, in prima expeditione Italica Desertinæ ex morbo restitutus, donationem ſuam anno 754. perficere; in altera vero graviore infirmitate detentus in eodem monasterio ſubſiſtere potuit.

In parte prima ſec. VIII. n. X. et XI. iam ostendimus, S. Ursicinum anno 758. tam episcopatum, quam abbatiam, morte vel resignatione factum id fuerit, dimisisse.

IV. Tello ſuum magistrum *S. Ursicinum* in utraque dignitate excepit, vir vere illustris, de quo pleraque in parte I. iam ſumus prosecuti; quæ Desertinam magis tangunt, pauca, hic addimus. Sanctorum fundatorum ſacrophagus, quem *Adalbero* abbas confici iusserat, vel per translationem iam erat detritus, vel certe minus ſplendidus; Tello, ut debitum ss. exuviis honorem haberet, pretiosiorem fieri curavit ex cupro inaurato, ac figuris, quæ Sanctorum gesta referunt, dis-

a) Daniels Geschichte von Frankreich, erster Th. Seite 206. und 207. *b)* Cod. prob. N. XLVI.

tincto. Illum ſupra in *S. Sigisberto* descripsimus; illustrissimus D. Augustinus Stœcklinus in manuscriptis, quæ anno 1641. defunctus Desertinensibus reliquit, de eo ita loquitur: „Extat in monasterio nostro Desertinensi ſarcophagus ingens, ſacris plenus imaginibus ex inaurato cupro ſpectabilis, ſub Pippino Francorum rege genitore Caroli M. imperatoris fabrefactus, qui omnium absolutissime *SS. Placidi* et *Sigisberti* vitam, mortem, inventionem, transpositionem et miracula commonstrat. Quamquam frequentius, quod angit, ſcriptura desit; et alibi, quod recreat, ſubinde adsit, et figuras dilucidet. — — Rursum monachili veste, et regulari tonsura in vetustissimo hoc feretro S. PLACIDUM expressum invenimus.„ Exinde palam fit, monumentum hoc post *S. Ursicinum* nemini, præterquam TELLONI in acceptis posse referri. Utinam Stœcklinus quos vidit caracteres fideliter depinxisset, plura forsan pro ſeculo VIII. eruere liceret; legit procul dubio, quod tam dilucide, et ſine ambagibus adserit, ſarcophagum ſub Pippino fuisse fabrefactum.

Cæterum æternam apud Desertinenses memoriam TELLO promeritus est ſuo insigni et amplissimo testamento, quo omnia vix non bona ſua anno 766. eidem largissime contulit *a*). Comprehenduntur ea donatione omnes illi districtus, qui hodie communitatis Desertinensis nomine censentur, quique ad ipsos Rheni fontes pertingunt. Possedit quidem iam ab initio Desertina maximam bonorum illorum partem vi collationis a S. PLACIDO factæ, quæ tamen a *Victore I.* Rhætiæ præside ablata, et ab eiusdem posteris per TELLONEM restituta fuerunt. Adiiciebantur insuper complura alia, quæ antehac nondum possederat. Vixit TELLO a condito testamento ut plurimum annos ſeptem.

V. ADALBERO II. Desertinam restitutam et dotatam rexit ultra annos ſeptemdecim: eius gesta antiquitas nulla prodit. Cum laude præfuisse creditur usque ad Calendas Februarias anni 791. quo eius obitus in tabulis parentalibus refertur.

VI. AZO, cuius acta pariter ignorantur, *Adalberoni* mox ſuffectus est. Referunt tabulæ mortuales, Carolum Magnum imp. Roma reducem ſub hoc abbate adventasse Desertinam, ibique ſanctorum reliquias veneratum varia monasterio privilegia, ac præprimis liberam eligendi abbatis potestatem concessisse. Nulla quidem huius concessionis ſynchrona testimonia extant; fieri tamen facile potuit, ut imperator, postquam mense Aprili anno 801. Roma relicta Paviæ per aliquod tempus commoratus fuisset, ac prope Vercellas Persiæ legatos excepisset, per Rhætiam et Desertinam Aquisgranum in Germaniam petierit *b*). Porro ne locus, qui *S. Placidi* martyrio famosus erat, oblivioni traderetur; Azo ſplen-

a) Cod. prob. N. II. *b*) Conf. Daniels Geschichte von Frankr. zweyter Th. Seite 331. u. ſ. w.

didum ibi templum ſtruxiſſe perhibetur, quod usque ad medium ſec. XV. perſtitit, quo vasta nivium mole ex valle vicina erumpente dirutum fuit. Abbatis huius mors ad III. non. Febr. anno 808. consignatur.

VII. Præstans ſeu Præstantius optimæ ſpei iuvenis iam ſub *Tellone* claruit, uti testatur *Adalbertus* de *Fluns* priori ſeculo abbas, qui Desertinæ chronotaxin concinnavit. Erat ſub Præstante monasterium in florentissimo ſtatu: crebra, quæ ad SS. Placidi et Sigisberti tumulum prodigia patrabantur, regularis obſervantiæ nitor, et magnus monachorum ad ſanctimoniam eluctantium numerus Desertinensium gloriam indies auxerunt. Referunt monumenta domestica, Præstantem, quum lues viciniam vastaret, indictis vigiliis, ieiuniis, et publicis comprecationibus iustam Numinis iram placasse. Teste necrologio mortales reliquit VI. idus Febr. anno 818.

VIII. Agnellus a Fortunato Sprechero aliisque omittitur; reperitur vero in necrologio Augiensi, et in indice monasteriorum, quibuscum Augienses confœderati fuerunt. Indicis huius partem edidit Mabillonius *a*), integrum habent Desertinenses, eiusdem nobis apographum est: ingenti numero ibi Desertinenses recensentur 221, interque eos Agnellus abbas ante finem, primus legitur *Ursicinus* episcopus. Iam quum index iste Augiensis ſub Erlebaldo abbate post initium ſeculi IX. conſcriptus ſit, ſaltem post ann. 822. *b*) colligi facile potest, Agnellum circa hoc tempus magnæ monachorum catervæ in Desertina præfuiſſe. Primus forsan is fuit, qui cum alio monasterio precum pro defunctis communionem iniit. E vivis exceſſiſſe creditur nonis Aprilis ann. 836.

IX. Ogo legitur in antiquissimo codice Fabariensi *viventium* dicto, in fronte plurimorum nominum: *Hæc ſunt nomina confratrum ex mnrio Desertino:* Ogo *abbas*, *Prunic abbas*, *Reichard abbas*, *Hereman abbas; Præstantius*, *Orsicinus presbyter*, *Iustinus diaconus*, universim personæ 233. Cum pluribus monasteriis precum fœdus Ogo inivisse perhibetur, ac præprimis cum Fabariensi; nam dictus codex teste Augustino Stœcklino mutuas fœderis obligationes ita recenset: *Quod datæ ex debito et acceptæ fraternitatis vobis promisimus, domino volente devotissime adimplebimus. Quando alicuius vestrum obitus nobis erit notificatus, ſtatim in ecclesia compulsantur omnia ſigna, et cantatur vigilia, et postea communiter per ſeptem dies et vigilias et missas pro commemoratione eius Deo persolvimus. Singulariter autem quilibet presbyterorum privatim missam cantat pro eo; cæteri autem L. psalmos, vel qui psalmos ig-*

a) Annal. Benedict. T. IV. p. 426. *b*) Grandidier T. I. Pieces iustificat. p. CXCIII. not. *x*.

norant, toties dominicam orationem fideliter percantant. Hæc ſcripta vobis fratres cariſſimi! debemus; eadem a vobis humillime exigimus. Hic obiter adverto, ſeculo nono iam diſcrimen quoddam obſervari ſolitum inter monachos litteratos, et litterarum ignaros, qui pſalmorum loco orationem dominicam certo numero perſolvere tenebantur: ii poſtmodum fratrum *laicorum* ſeu *converſorum* nomenclatione inſigniti fuere.

Altera ſub OGONE inita confœderatio a Deſertinenſibus fuit cum S. Gallenſi, Bobienſi et Schinenſi cœnobiis, et quidem anno 840. ſicut ex pervetuſto S. Gallenſi codice colligitur, qui ſic habet: *Anno ab incarnatione dominica DCCCXL. regnante Ludovico glorioſiſſimo rege ſub Grimoaldo abbate S. Galli facta eſt conventio inter iſtud cœnobium et alia tria, unum S. Columbani Bobii fluminis glorioſi nomen tenens, alterum Deſertinenſe a vicinitate alpium Deſerti vocabulum tenens, tertium Schinenſe claro vocabulo lucens: ita videlicet, ut nunc et deinceps omni tempore ſeries precum ſuperius ex charitate vera compoſitarum ratam in hæc ſanctiſſima loca teneant connexionem, ſed neque finem habeant, niſi charitatem ſolam.* Hæc conventio fortaſſis eadem pacta continet, quæ illa anni 800. cum Divitaugienſibus inita, quam recenſet Goldaſtus *a*), quaque ſancitum, ut „quandocunque frater aliquis obierit, et loco vel ſenioribus ibidem commorantibus adnuntiatum fuerit, eo die presbyteri tres miſſas, et cæteri fratres pro eo pſalterium ac celebrationem vigiliæ decantent, communisque oblatio ab omnibus fiat. Item in die ſeptimo XXX. pſalmos; triceſimo autem presbyteri omnes pro eo unam miſſam, et cæteri L. pſalmos impleant. Cæterum vigilias pro defunctis in capite ſingulorum menſium ex more iugiter celebremus; in quibus vigiliis omnium ſimul defunctorum fratrum, qui in noſtro conſortio coadunati ſunt, commemoratio fiet, eoque die commemoretur et nomen nuper defuncti, fiatque oblatio omnium fratrum ſimul, tam pro illo, quam et generaliter pro omnibus. Et poſt hæc unusquisque presbyter cantet unam miſſam cæteri fratres L. pſalmos. Præter hæc quoque ſemel in anno ſub die XVII. Decembris commemoratio omnium ſimul fiat pro annuali ſingulorum videlicet defunctorum memoria, ipſomet die presbyter ternas miſſas, et cæteri fratres pſalterium decantent, ac celebratio vigiliæ communisque oblatio ab omnibus fratribus fiat.„ Ex ſat oneroſa hac precum ſtipulatione duo colligere licet: alterum, totum vix non tempus ab antiquis monachis pſalmodiæ fuiſſe conſecrandum: alterum vero, precum ſuffragiorumque pro defunctis conſuetudinem avitæ religioni ſemper ſociatam fuiſſe. Tantum enim abeſt, ut eccleſia devotos monachos propterea ſuperſtitionis

a) Rer. Alem. T. II. P. II. p. 140. edit. a. 1661.

cuiusdam, quod novatores faciunt, arguerit, ut potius eorum laudabilem fervorem adprobarit.

Cæterum Ogo de fratribus bene meritus ad ſuperos abiit IX. Calend. Sept. anno 850. teste necrologio.

X. Prunitius, quem liber Viventium Fabarienſis ſecundo loco inter Desertinenses exhibet, iuxta pervetustum monasterii necrologium defunctus est IV. idus Februarii anno 875.

XI. Richardus in laudato codice tertio loco ponitur. Præfuit per annos octodecim, mortuus IV. Calendas Maii anno 893.

XII. Hermannum ibidem quartum legimus, qui varias calamitates expertus est. Deplorant historici omnes lugendum ſeculi X. ſtatum ſub Ludovici regis infantia et barbarorum undique perrumpentium rabie. Præprimis motus Italici Desertinæ funesti acciderant, quum bona, quæ inter Insubres ex *Widonis* comitis de Lomello et Sparweira largitate possederat, damnis gravissimis afficerentur. Indefessa nihilominus Hermanni vigilantia id effecit, ut ferreo illo tempore regularis disciplina apud ſuos ſana et incolumis conservata fuerit. Vitam ærumnis confectam posuit pridie Calend. Maii anno 915.

XIII. Waldo priore iam anno episcopus Curiensis, abbatiam Desertinensem vel auctoritate Conradi regis, vel monachorum precibus permotus regendam ſuscepit: Sprecher *a)* cum Gulero *b)* affirmat, dono regio eam illi collatam fuisse. Fieri potuit, ut Waldo Salomonem Constantiensem episcopum, cuius erat ex ſorore nepos, imitatus abbatias aucupari ſtuduerit; certum quippe est, Hartbertum eiusdem in episcopatu ſuccessorem omni vi adnisum fuisse, ut ad ſui antecessoris exemplum abbatiam retinere posset. Waldonis gesta et obitum retulimus in parte I. ſec. X.

XIV. Victor post exactum contentionibus cum episcopo Curiensi biennium electus a Desertinensibus, ex antiquorum comitum Curiensium prosapia oriundus creditur. Multus fuit in conservandis monasterii ſui iuribus, cui liberam abbatis electionem ab Ottone I. imp. vindicavit, a quo ecclesiam in Pfäffikon, reipublicæ Tigurinæ locus est, anno 960. die 16. Maii dono impetravit *c)*; adiecta quoque donationi, ſeu potius confirmata est curtis prædives in Amisio; qua quidem re tantum refloruit Desertina, quantum Victoris probitate et vigilantia in disciplinæ regularis ſtudio ſtabilita fuit: is enim erat hic abbas, ut alter *Tello* a ſuis diceretur. Vivere desiit VIII. Calend. Iulii anno 980.

XV. Erchenbertus perperam ab aliquibus cum Erenbrechto Fabariensium abbate

a) Pall. rhæt. p. 67. *b)* Rhæt. alp. p. 104. *c)* Cod. prob. N. XXIII.

confunditur, utpote iam ante 30. annos defuncto. Iſte ut obtenta hactenus privilegia in tuto collocaret, eorumdem confirmationem ab Ottone III. imp. obtinuit die 8. Febr. anno 993 *a*). Eius obitus refertur in necrologio ad III. Calend. Iul. ann. 995.

XVI. OKERUS monachus Einsidlenſis ex comitibus de Wandelburg, Virando abbati eiusdem monaſterii ſanguine iunctus, poſt *Erchenberti* mortem a Deſertinenſibus abbas poſtulatus eſt. Magnam calamitatem ſub eo Deſertina paſſa eſt: quum enim is Hermanni Alemanniæ ducis partes adverſus Heinricum imp. ſequeretur, inductus procul dubio *Udalrici* Curienſis epiſcopi exemplo; tantopere offenſus fuit imperator, ut circa annum 1002. abbatiam Deſertinenſem ad menſam Brixinenſis epiſcopi traderet *b*); ſub cuius regimine 46. annis manſit. Defunctus creditur OKERUS VIII. Calend. Iunii ann. 1012.

XVII. ADALGOTTUS I. pariter ex monaſterio Einſidlenſi evocatus fuit. Unde opinari licet, Deſertinenſes tunc temporis forte minus æqua uſos fuiſſe, ut qui coacti fuerint, aliunde ſibi abbates vel acceſſere, vel acceptare. De ADALGOTTO præter nomen nihil ſupereſt; deceſſit IX. Cal. Iunii anno 1031.

XVIII. UDALRICUS I. comes de Monteforti, ne epiſcopi Brixinenſis conatibus electionis libertas turbaretur, bono omine a Deſertinenſibus ex gremio abbas denominatus eſt. Omnia tentavit hic præſul, ut ſuum monaſterium e ſervitute vindicaret. Anno 1048. Spiram profectus Henrico III. imp. Deſertinæ miſeriam ſub pedo Brixinenſi multis lamentis expoſuit, ſupplex, ut illam regia auctoritate in avitum ſuum ius et priſtinam libertatem reſtitueret, utpote quæ *iniuſtæ ſervitutis preſſura, et epiſcoporum incuria pene ad nihilum redacta ſit.* Precum æquitate motus imperator die 19. Novembris eiusdem anni 1048. Deſertinenſes e poteſtate Brixinenſis epiſcopi penitus exemit *c*). Quo factum, ut abbas Deſertinenſis tanquam imperii membrum, ſeu princeps agnoſceretur.

Eodem tempore UDALRICUS SS. Placidi et Sigisberti corpora pretioſo ſarcophago incluſa terræ cuſtodienda tradidit, forte ne ſacer theſaurus iniquorum rapacitati tam facile pateret. Præfuit ſingulari cum pietate et prudentia annis 27. carnemque poſuit VIII. Auguſti anno 1058.

XIX. ATAMES natione Italus anteceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens, tum iura tum diſciplinam monaſterii ſui, præſertim ſchiſmatis tempore, pro viribus tuebatur. Ex antiquis membranis eruitur, illo præſidente Deſertinam multis fidelium largitionibus, agris, vineis ac cenſibus auctam fuiſſe; quamvis quid ſingillatim collatum fuerit, ignoretur. Illud certum, quod ab imperatore Henrico IV.

a) Cod. prob. N. XXVIII. *b*) Ibid. N. XXXIII. *c*) Ibid.

anno 1073. confirmationis diploma acceperit ATAMES, qui fatis cessit V. Calend. Aug. anno 1083.

XX. UDALRICUS II. Eberhardi Taraspensis frater ſub *Udalrico* Montfortio primo huius nominis abbate in Desertina a puerili ætate pietatem et litteras didicerat, in quibus tantos progressus fecit, ut primum Desertinæ præpositus, dehinc anno 1068. post *Burchardi* abbatis mortem præsul Murensis crearetur. Eo munere per quatuordecim annos defunctus, Muris ſponte relictis, Desertinam repetiit, cui anno 1083. unanimi calculo abbas præfectus est.

Fertur, UDALRICUM hunc eodem tempore canonicum et præpositum Curiensem fuisse, quod quidem a ratione alienum non est; ſæpe enim viri natalibus insignes, ac prudentia conspicui pluribus ſimul dignitatibus ornari consueverunt. Accedit, quod defuncto *Norberto* Curiensi episcopo, quum in electione ſuccessoris dissidia orirentur, necnon Heribertus et Burchardus citius vel mortui vel extrusi fuissent; UDALRICUS noster legitime abbatia dimissa in totius Rhætiæ pastorem electus fuerit anno 1089. prout in parte prima ostensum.

XXI. ADAMUS vel ADA eodem anno in abbatem lectus tuendis iuribus ſedulo invigilavit, quorum confirmationem ab Henrico IV. imperatore anno 1112. die 6. Octobris Spiræ impetravit, plurium præsulum precibus ſuffultus, qui in diplomate recensentur *a*). Inde arguitur Bucelinus, qui ADAMUM iam anno 1110. defunctum ſcribit; nam, ut tabulæ parentales testantur, obiit demum pridie Calend. Augusti ann. 1121.

XXII. WALTHERUS I. vir pietate ſingulari et prudentia præditus; qui quum ſacra profanaque turbidis istis temporibus ſus deque verti cerneret, ſuo monasterio bene consulturus ad Honorium II. papam ſupplices dedit, ut Desertinensia iura auctoritate apostolica ſtabiliret: fecit id pontifex data Laterani bulla die 23. Ian. ann. 1127 *b*). Præterea WALTHERUS cuncta monasterii bona, iura et consuetudines in membranis describi, redigi in indicem, atque anno 1136. cæsareo diplomate confirmari curavit. Membranæ interiisse videntur; licet ſupersit libellus quidam, cui monasterii redditus inscripti leguntur ordine ſat longo et barbaro. Occurrunt ea in descriptione pleraque loca, quæ Tellonis testamentum *c*) recenset.

Aiunt Desertinenses, WALTHERUM dignitate episcopali præfulsisse, quod minime negavero, præsertim quum ſolertissimo Augustino Stœcklino visa fuerit huius præsulis pontificalis imago cum truncata hac inscriptione: WALTHERUS G--- EPS ET ABBAS DI-- Exinde vero non conficitur, illum Curiensi ec-

a) Cod. prob. N. XXXIX. *b*) Ibid. N. XLII. *c*) Ibid. N. II.

cleſiæ præfuiſſe; nam præterquam quod in nullo epiſcoporum catalogo, quantum novi, compareat, certe *Conradus* a Biberegg ſedem Curienſem tunc occupavit uſque ad annum 1150. ſicut diximus parte I. ſec. XII. n. IX. quo etiam WALTHERUS obiit necrologio teſte XIII. Cal. Septembris. Nec iuvat Bucelini in ſua Rhætia teſtimonium, WALTHERUM anno 1110. epiſcopum Curienſem adſerentis, quo tempore præfuit *Guido* ſeu *Wito*. Demum in citata epigraphe littera initialis G. aliam profecto, non Curienſem, eccleſiam ſignificare debet.

XXIII. S. ADALGOTTUS II. anno 1150. unacum Curienſi etiam Deſertinenſem eccleſiam ſanctiſſime regere cœpit. Eius geſta in parte prima recenſuimus ſec. XII. n. X. et ſeq. quæ hic addamus, non habemus, niſi Friderici I. regis Rom. diploma, quo anno 1154. donatio comitis de Lomello rata habetur, aliaque beneficia conferuntur *a*). Honori cedit Deſertinenſibus, quod ſanctus hic præſul in eorum gremio diem ſupremum clauſerit V. nonas Octob. anno 1160. ibidem ſepultus. Sacrum eius corpus primum communi cœmeterio illatum, creſcentibus vero ad tumulum prodigiis elevatum, et iuxta portam baſilicæ S. Martini honorificentius repoſitum fuit, quod Deſertinenſes ipſi ad nos perſcripſere. Aſt ut fieri ſolet, ſeculorum iniuria accidit, ut S. ADALGOTTI ſepulchrum penitus ignoraretur, donec anno 1671. denuo feliciter repertum fuerit, ſicut ſuo loco dicemus.

XXIV. HUGO de Werdenberg S. *Adalgotto* in abbatia ſuffectus eſt. Præfuit ferme annis viginti, inter venerabiles recenſitus. Nulla geſtorum ab eo memoria ad poſteros pervenit; quievit, ut habet necrologium IX. Cal. Sept. ann. 1180.

XXV. WALTHERUS II. anno 1186. a Lucio III. papa bullam accepit, qua bona inter Inſubres ſita iterum ſtabiliuntur, ac præter alia templum parochiale Brigelianum monaſterio unitur *b*). Ad ſuperos abiit hic abbas VI. Calend. Sept. anno 1203.

XXVI. ALBERTUS de Novozano Valeſianus ſolo nomine notus. Extant quidem litteræ permutationis cum Alberto Ludrino initæ, ſed minoris momenti, quam ut narrationem mererentur *c*). Id porro infortunii paſſa eſt ſub hoc abbate Deſertina, quod ab advocatis, qui pinguioribus paſſim fundis inhiabant, pene emuncta fuerit. Fatis ceſſit ALBERTUS anno 1212. necrologio inſcriptus ad Calendas Septembres.

XXVII. BURCHARDUS I. pariter in Valeſia natus, aliquot annis in Summovico, *Sonvix*, ſacellanum egerat, lectus ſub finem anni 1212. in abbatem Deſertinæ peſſime conſuluit, quod anno mox ſequenti die 23. Maii bona monaſterii apud

a) Cod. prob. N. XLVI. *b*) Archiv. Deſertinens. *c*) Ibidem.

Inſubres Gothofredo nobili cuidam Comenſi oppignoraverit. Excuſari forſan poterit Henrici de Sacco advocati rapacitate, qui redditus, quos defendendos ſuſceperat, gnaviter in proprios uſus convertit. Devixit BURCHARDUS anno 1224. XVIII. Calend. Octobris.

XXVIII. GUALFREDUS de Rorano ex Valeſia multum vituperatur ob ſegnitiem et inſcitiam, qua non ſolum fortunas, ſed diſciplinam quoque monaſticam propemodum interire paſſus eſt. Dum ægrotat caput, corpus impulſum a lapſu vix cohibetur. Superſunt præter GUALFREDI vituperia eiusdem litteræ, quibus Ambroſio municipi Ambiaſcæ vinea in valle Breunia in emphitheuſin conceſſa eſt die 3. Mart. anno 1225. Aeternitatem adiit anno 1235. iuxta necrologium XVI. Calend. Octobris.

XXIX. CONRADUS de Lumerino caſuram propediem Deſertinam ſua dexteritate, zelo ac probitate fortiter ſuffulſit: diſciplinam regularem, cui a iuventute addictiſſimus fuerat, ſuperioribus annis multum labefactatam feliciter reſtituit: advocatorum voracitatem coercuit: redditus antiquos monaſterio vindicavit; creditumque ſibi gregem cum omnibus iuribus apoſtolicæ ſedis patrocinio concredidit teſte Gregorii IX. bulla Interamnis idibus Novembris a. 1237. expedita *a*).

Porro ut SS. Placidi et Sigisberti patronorum cultum promoveret, et ſuffragia efficacius mereretur; ſub illorum honore in templo cathedrali Curienſi Deo aram conſtruxit, atque ad proprii ſacerdotis ſuſtentationem annuos redditus adſignavit. Fundationis huius teſtimonium extat in libro anniverſariorum Curienſi in hunc modum: *Anno* 1247. *obiit* CONRADUS *abbas Deſertinenſis*, *qui altare in noſtra eccleſia in honorem SS. Placidi et Sigisberti conſtruxit*, *quod et dotavit decem ſolidis mercedis*, *de decimis Emedes quinque*, *et de decima in Meils quinque*; *cuius altaris præſentatio ſpectat ad theſaurarium*, *quicunque fuerit*; *et quemcunque ſacerdotem theſaurarius abbati Deſertinenſi*, *qui pro tempore fuerit*, *præſentaverit*, *illum abbas ſine contradictione inveſtire tenetur.* Cæterum mortuis adſcribitur CONRADUS XI. Calend. Octobris.

XXX. IOANNES I. de Malderon loci monachus abbatiæ admotus id ſua vigilantia effecit, ut advocatia a nobilibus de Sacco, qui a rapinis deſiſtere nolebant, ad comites de Werdenberg devolveretur. Menſibus ſex in regimine exactis ad vitam feliciorem tranſiit XV. Calend. Aprilis anno 1248.

XXXI. BURCHARDUS II. ab Hoewen vir ſagax et induſtrius omnes curas eo impendit, ut bona advocatorum fraudibus alienata recuperaret. Eapropter ad Antonium de Carmiſio clericum Mediolanenſem, qui tum Innocentii IV. papæ

a) Archiv. Deſertinens.

ſacellanum agebat, humaniter perſcripſit rogans, ut pro ea, qua apud pontificem gratia polleret, afflicti monaſterii patrocinium in ſe ſuſciperet. Aſt hac agendi ratione extremam vix non perniciem Deſertinæ accerſiit BURCHARDUS; erat enim Antonius homo verſipellis et auri percupidus, qui ſpecietenus omnia pollicitus, poſſeſſiones in agro Mediolanenſi ſitas verſute ſibi attraxit, quaſi monaſterio eaſdem vindicaturus. Malum auxit ſubitanea BURCHARDI mors, quæ ipſo adhuc anno 1248. contigit; nam percepto hoc caſu pontifex Romanus rebus Deſertinæ conſulturus (eo quippe clandeſtinæ Antonii machinationes Innocentium permoverant) eundem Antonium de Carmiſio monaſterii adminiſtratorem ſequenti mox anno conſtituit, ſicque optimus papa Deſertinam unguibus advocatorum erepturus, illam lupi dentibus tradidit, qui cum ſuo fratre Landfranco, iniquitatis ſocio, monaſterium ferme per triennium oppreſſit.

XXXII. HENRICUS de Werdenberg, quum Deſertinates tyrannidis eſſent pertæſi, communi voto electus eſt abbas anno 1251. Hic potentis et nobilis viri Wilhelmi de Pontaninga ſubſidiis adiutus, iniquum uſurpatorem monaſterio expulit, atque in Lombardiam abire iuſſit. Gratitudinis loco Wilhelmus anno 1252. 20. Decemb. tanquam feudum ab HENRICO accepit arcem *Caſtlium* cum agro adiacente ſupra Summovicum. Non ægre tulit hoc factum pontifex per HENRICI litteras de ſubdola Carmiſii adminiſtratione edoctus; imo ſequenti anno 1253. *Swigero* præpoſito Curwaldenſi in mandatis dedit, ut Deſertinam ſuo nomine ab iniqua vexatione defenderet.

Summovici iam dudum ſteterat S. Benedicti templum a quodam abbate Deſertinenſi ſtructum, quod pedetentim vicinorum animis eam pietatem inſtillavit, ut multi abdicato ſeculo ſub ſancti iſtius patriarchæ legibus vivere decernerent. Non erat monaſterium tanto numero ſuſcipiendo capax; quare homines iſti ſaltem in ſeculo monaſticen imitari cœperunt, et ab omni rerum terrenarum ambitu alieni facultates ſuas ſeque ipſos Deo ſub S. Benedicti patrocinio conſecrarunt. In horum gratiam HENRICUS prope dictam eccleſiam collegium fundavit, quod ſexu ſeparato inhabitare poſſent, circa annum 1267. Cœtus ille *Devotorum* dictus multis poſtea indulgentiis ac privilegiis condecoratus fuit; vitæ vero norma, quam ſequi tenebantur, hæc erat: inprimis ſimplici ac perpetuo caſtitatis voto erant obſtricti, atque abbati Deſertinenſi illiusque loci monachis quoad res ſpirituales penitus ſubiecti; facultates vero ſuas in manus abbatis Deo conſignare, indeque congruam ſuſtentationem haurire iubebantur. Deinde ſingulis diebus miſſæ ſacrificio intereſſe, ſtatis diei horis preces fundere, ſæpiusque ſacra myſteria percipere ſolebant, reliquum temporis ſacrabant labori

manuum. Demum instituti huius consortes utriusque ſexus a Desertinensibus in fraternitatem adsumti plurium precum post mortem fiebant participes. Ex antiquis oblationum formulis *a)* patet, fratres illos devotos ad amussim iuxta mentem S. Benedicti *b)* ſusceptos fuisse; omni enim iure proprietatis ſemet abdicabant, necessaria ſustentatione contenti; ipsis vero defunctis bona penes collegium remanebant. Viguit hic cœtus usque ad medium ſeculi XVI. quo novatorum iniuria ſublatus est. Henricus autem abbas meritis plenus quievit in Domino XIII. Calend. Febr. anno 1273.

XXXIII. Rudolphus de Rinchenstein, forte Richenstein in valle Monasteriensi, ingentis zeli ac patientiæ præsul fuisse perhibetur. Innumera passus est a quibusdam Rhætiæ nobilibus, qui identidem monasterii iura invadebant. Præcipui fuere, prout ex monumentis colligitur, Waltherus de Vare (melius Vaze), Albertus et Heinricus de Grünenfels fratres, Wilhelmus de Pulteninga, eiusque filius Hugo, Gottfridus de Phiesel, Burchardus et Wilhelmus de Fontana. Adversus horum iniurias se ſuosque defensurus abbas ſummi pontificis Nicolai III. imploravit opem, qui exeunte anno 1277. episcopo Comensi iniunxit, ut harpyarum voracitatem compesceret; perscripsit quoque ad præpositum Curiensem mandans pariter, ut auctoritate apostolica iudicium ferret, et censurarum ſubsidio prædones ad restitutionem compelleret. Alia porro bulla ad ipsummet Rudolphum exarata Desertinam in integrum restituendam declarat. Obiter adverto, in bullarum aliqua ex prædictis contineri, *quod monasterium Desertinense nullo medio ad ecclesiam Romanam pertineat*, quod exemtionis argumentum est. Verum omnibus litteris a papa missis nihil effectui datum, ita ut Rudolphus abbas etiam Honorio IV. anno 1285. ſupplex fieri coactus ſit, qui VI. idus Iulii itidem præposito Curiensi præcepit, ut bona ablata Desertinensibus, omni impedimento posthabito, restitui curaret. Cunctæ istæ litteræ apostolicæ in archivo Desertinensi adservantur; quem vero effectum ſortitæ ſint, colligere ex ſequentibus licet. Ad meliora translatus est Rudolphus XVI. Calend. Iunii anno 1289.

XXXIV. Benedictus I. ex familia rhæta de Phiesel ſexennio præfuit. Legitur in quadam abbatum recensione manuscripta pluries ad papam pro ablatorum bonorum recuperatione recursum habuisse. Decessit anno 1295. necrologio insertus XIV. Calend. Iunii.

XXXV. Nicolaus omissus in omnibus catalogis, et Desertinensibus ignotus;

a) Cod. prob. N. LXXX. *b)* S. Reg. cap. 58. et 59.

præfuisse tamen ineunte ſeculo XIV. huius nominis abbatem, patet ex eiusdem charta anno 1300. die 26. Iulii ſcripta, cuius tenore quædam monasterii mancipia ex loco *Thivetsch* ad abbatiam Wettingensem dono transferuntur *a*); ea ſic incipit: NICOLAUS *Dei gratia Disertinensis abbas etc.* clauditur vero his verbis: *Datum et actum ante castrum Bultringen anno Domini MCCC. crastino beati Iacobi apostoli, presentibus fratre Wilhelmo nostro monacho, domino Hugone de Bultringen, Henrico et Walthero de Hospendal, Altmanno de Kilkun, Petro custode, aliisque pluribus fide dignis.* NICOLAUM brevi post obiisse credibile est, quum ſaltem anno ſequenti Waltherus eius ſuccessor iam occurrat.

XXXVI. WALTHERUS III. cognomento *Schlegel* præfuit usque ad annum 1307. Refert Stœcklinus in actis manuscriptis B. Hermanni de Schönstein, quod circa hoc tempus tria monasteria Desertinense, Fabariense et Mariæmontanum in valle Venusta pactum iniverint, ut, si cui illorum persona abbatis muneri fungendo par deesset, non aliunde quam ex his tribus cœnobiis præsul postularetur. Ea tamen conventio postmodum a Desertinensibus neglecta fuit.

Florebat Mediolani potens Turrianorum familia; exinde quidam magis avari bonis Desertinæ cisalpinis vehementer inhiabant: WALTHERUS ſuorum antecessorum more periculum ad Bonifacium VIII. papam detulit, qui litem anno 1301. abbati S. Carpophori extra muros urbis Comensis decidendam commisit *b*). Enata quoque controversia est cum *Sigfrido* episcopo Curiensi, de iure exemtionis; eius arbiter pontificis auctoritate X. Calend. Decemb. anno 1303. constitutus est Albertus S. Abundii Comensis abbas: certior factus ea de re episcopus Desertinenses ultra vexare destitit. Naturæ debitum ſolvit WALTHERUS idibus Maii anno 1307.

XXXVII. HERMANNUS nonnisi cum ſola littera initiali H. aliquoties reperitur, primum anno 1308. in libro anniversariorum, ubi legitur, quod frater Waltherus ex familia *Devotorum* ex licentia domini HERMANNI abbatis Desertinensis bona quædam cum Burchardo de Monte permutaverit. Dein extat Desertinæ eiusdem charta de anno 1313. qua bona inter Insubres ſita colonis in feudum elocat: inique hactenus ea possederant Turriani Mediolanenses, qui ſpretis pontificum monitionibus illa restituere negligebant. Quum autem Henricus VII. imp. anno 1311. in Italiam pergens Brixiæ vel Bresciæ paulisper ſubsisteret, HERMANNUS ad eum rogatum misit, ut liti Turrianæ ſua auctoritate finem imponeret. Iusta petitione motus cæsar Salvum de Pelacano canonicum Parmensem ablegavit, qui Desertinensibus ius diceret, eisque ablata restitui curaret,

a) Fr. Vincent. Schmid allgem. Geschichte des Freystaats Uri T. II. p. 213. *b*) Archiv. Desertinens.

quod et feliciter effectui datum. Vitam reliquit HERMANNUS VI. Calend. Ianuarii anno 1314.

XXXVIII. GUILLIELMUS de Planaterra, vulgo *Planezia*, anno 1315. electus non leves calamitates experiebatur. Helvetia ferme tota dissidiis bellisque vapulabat, Leopoldo Austriaco præsertim adversus Suitenses arma movente; accessit magna lues famesque dira maxime ad tractum ſuperioris Rheni et Aethuatios, ubi plerisque in locis agricultura tamdiu intermissa fuit, ut ſolum ſilvesceret. Interim providus abbas ut commissum ſibi monasterium adversus vim fortius posset tueri, anno 1319. fœdus cum Uraniensibus ſancivit, cuius instrumentum in archivo Desertinensi adservatur. Isti nihilominus brevi post cum incolis Ursariæ et Desertinensibus bello implicabantur ob merces per Gotthardi montem transferendas: Uranienses ab Ursariensibus forte iniuriis affecti ſumtis armis anno 1321. Ursariam invaserunt; verum ab incolis, qui Desertinensium ſuppetiis iuvabantur, fortiter repressi fuerunt. Ne porro bellum protraheretur, GUILLIELMUS tres ſic dictas urbes ſilvestres Suitium, Uraniam et Subsilvaniam datis litteris rogavit, ut ſelectis arbitris absque armorum ſubsidio litem dirimerent, quod et factum *a*).

Isto in tumultu abbas, qua de causa, non constat, monasterii administrationem Aymoni de Turre canonico Sedunensi commiserat, quem dehinc anno 1323. quod bona dillapidaret, iterum a villicatione amovit. Aymo iste postmodum Seduni episcopus evasit. Præterea GUILLIELMUS redemit decimas Felerianas, quas nuper Rudolphus de Richenstein abbas comitibus de Werdenberg ſub redemtionis pacto vendiderat. Demum vexationum ſatur anno 1326. abbatiam ultro resignavit novennio adhuc ſuperstes.

XXXIX. IACOBUS de Buchorn præfuit per annos quatuor. Is Hugonem comitem de Werdenberg advocatum qua precibus qua argumentis eo adegit, ut bona Brigeliana arcemque Frikbergicam, quæ hucusque iniuste detinuerat, die 12. Augusti anno 1327. Desertinæ restitueret, et advocatiæ iuribus moderatius se posthac usurum polliceretur *b*). Ne maiora præstaret, morte fuit prohibitus mense Decembri anno 1330.

XL. MARTINUS ex comitibus de Saccis anno 1331. Ursarienses ſubditos rebelles habuit, quos collecta ex Rhætis manu compescere ſtatuit. Ast infelice Marte pugnatum, quingentis quippe cæsis, dux ipse, quem abbas militibus præfecerat, captus est tempore verno anni 1332. redemtus dehinc lytro mille libra-

a) Tschud. Chron. Helvet. T. I. Lib. V. p. 293. *b*) Archiv. Desertinens.

rum *a*). Nihilominus eodem anno versus hyemem MARTINUS alterum agmen contra ſeditioſos miſit, qui 300. ſuorum occiſis victoris arbitrio ſe ſubmiſerunt. Res paulo aliter narratur a Tſchudio *b*).

Eodem tempore vicini Breuniæ vallis incolæ apud Lepontios Deſertinenſibus infenſi indies plurimas egere prædas, et iniurias intulerunt, paſſique ſunt viciſſim. Abbas, ut erat vir alacer, utrique parti diem dixit 29. Iunii anno 1333. qua per delectos iudices concordia reſtituta fuit *c*). Quadrimeſtri poſt nondum exacto defunctus eſt MARTINUS V. nonas Octobris.

XLI. THURINGUS ab Attinghauſen ex Landamannis Uranienſibus natus, monachus Einſidlenſis poſtulatus eſt a Deſertinenſibus abbas anno 1333. unde in apographo donationum Einſidlenſium, ſeu libri vitæ, male iam anno 1330. in feſto S. Ioannis Baptiſtæ benedictionem abbatialem percepiſſe legitur. Fuit hic abbas ſingularis ſolertiæ ac prudentiæ vir, qua Rhætos conciliare, ſibique devincire adlaboravit, ut hac ratione pericula damnaque a ſuo monaſterio non tam repelleret, quam præverteret: loquuntur adhuc ſuperſtites in ſcriniis tabulæ variarum conventionum teſtes, ex quibus THURINGI providentia elucet. Bona apud Inſubres multis hactenus, diſtantiæ cauſa, difficultatibus obnoxia anno 1334. cum vicinioribus commutavit: dehinc in ordinem redegit decimas eccleſiarum parochialium S. Ioannis in campo Deſertinenſi, S. Martini in Medels, S. Vigilii apud Aethuatios, et S. Ioannis Baptiſtæ in Summovico, prout patet ex libris anniverſariorum, qui in dictis locis viſuntur.

Quum vero pax domeſtica abſque pace publica ſubſiſtere vix poſſit, curavit THURINGUS, ut Rhætos inter ac vicinos Helvetiæ pagos ſtabilis amicitia fundaretur; ſalubre conſilium plurimum iuvit abbatis frater, Ioannes ab Attinghauſen prætor, ſeu Landamannus, Uranienſis. Quare die 11. Novembris anno 1339. Deſertinæ THURINGUS abbas, Ioannes de Bellomonte, Henricus et Simon de Montealto, et Maffeus præfectus Bellentinus, qui ferme toti Rhætiæ ſuperiori præerant, tuta commercia, mutuum ſubſidium, firmamque amicitiam pagis Helvetiorum ſilveſtribus ſancte promiſerunt, et publicis tabulis confirmarunt, quas Tſchudius recitat *d*). Uranienſes viciſſim, nec non Suitenſes ac Subſilvani reciprocam pacem Rhætis per Ioannem ab Attinghauſen ſtipulati ſunt litteris eodem menſe exeunte datis *e*). Porro die 3. Iunii anno 1343. THURINGUS eiuſdem ferme tenoris ſocietatem iniit cum Udalrico de Lenzburg epiſcopo Curienſi et Oſwaldo comite de Werdenberg. Et ne quid firmandæ

a) Sprecher. Pall. rhæt. Lib. III. p. 86. *b*) Loc. cit. p. 327. *c*) Archiv. Deſertinens. *d*) Loc. cit. p. 361. *e*) Ibid. p. 362. Hartm. Annal. Erem. p. 329.

ſecuritati deeſſet, ſequenti anno die 8. Octobris valles Oſcellanam et Formatianam prope Inſubres fœdere ſibi coniunxit *a*).

Externis rebus ita feliciter diſpoſitis ad interiora melius ordinanda pii abbatis ſolertia ſe convertit, ac præ cæteris pro ampliando publico Dei cultu laboravit. Brevis hactenus apud Deſertinenſes defunctorum memoria fuit; celebriorem fieri iuſſit THURINGUS teſte charta de anno 1346. *Noverint*, inquit, *univerſi, quod cum ab olim defunctis abbatibus et fratribus brevis memoria et minus celebris habeatur, ut nec dies anniverſarius celebretur eorum; nos divini cultus providere volentes augmento, et animarum ſaluti, ſic ſcilicet, ut memoria et celebritas patrum ac etiam fratrum noſtri monaſterii diuturna de cætero habeatur, de communi conſilio et conſenſu ſtatuimus pro nobis et noſtris poſteris ordinavimus, fecimus et tenore præſentium ordinamus ſtatutum ſubſcriptum bona fide in perpetuum in poſterum obſervandum.* Longis dein ambagibus anniverſariorum leges rituſque deſcribit, adſignatis tum ex abbatia tum ex vacantibus beneficiis certis penſionibus in uſus illorum, qui vigilias miſſaſque pro defunctis celebrarent. Eandem publicæ pſalmodiæ curam geſſit THURINGUS; multis licet gravibuſque negotiis oneratus, propria tamen ipſemet manu libros, quos chorales vocant, exaravit, qui cantum gravem, ſeu Gregorianum complectuntur. Extat hodiedum in monaſterii bibliotheca vaſtus eiuſmodi codex, grandibus, perſpicuis ac ferme uncialiabus litteris conſcriptus, pretioſa tanti viri memoria.

In Deſertinæ monumentis ad annum 1348. memoratur atrox lues, quæ omnem regionem pervaſit, ipſumque monaſterium propemodum exhauſit, relictis ſolum præter abbatem binis monachis Iacobo de Planaterra, et Ioanne de Maladers: reliqui ad unum omnes extincti ſunt, magnanimæ charitatis victimæ; nam populo lue infecto ſacramenta cæteraque pietatis officia generoſe miniſtrantes glorioſam ſibi mortem conſciverunt: quorumdam nomina nobis antiquitas reliquit, ſunt vero *Udalricus* cuſtos, *Ioannes* de Thano, alter *Ioannes* de Curia, *Henricus* de Altenſtat, *Andreas* de Fabaria, *Iacobus* de Buchorn, *Ioannes* de Alfort et *Nicolaus* Miſſenus. Sequenti anno 1349. THURINGUS conventionem quamdam circa ſubditos cum monaſterio Fabarienſi iniiſſe legitur.

Tanta porro fuit huius abbatis auctoritas, ut diuturnæ litis arbiter ſeligeretur, quæ Suitenſes ab Einſidlenſibus multis annis propter ditionum limites diviſerat. Einſidlenſibus tunc præfuit abbas *Henricus III.* de Brandiſio, *Conradus* vero ab Iberg Suitenſium Landamannus erat. Profectus ergo ineunte anno 1350. in eremum B. V. THURINGUS die 8. Februarii diſcuſſis utriuſque partis rationi-

a) Archiv. Deſertinens.

bus in plurium testium præsentia ſententiam tulit, certosque utrique ditioni terminos adsignavit, qui ſemper postea observati fuerunt. Rem fusius narrat Hartmannus *a)*; tabulas conscriptas exhibet Tschudius *b)*).

Tandem præstantissimus abbas in ſenectute bona plenus meritis quievit in Domino III. nonas Novembris anno 1353. Tschudius anno præcedente defunctum ſcribit, multumque dillaudat *c)*.

XLII. Iacobus II. de Planaterra binorum alter, quos nupera pestis intactos reliquerat, ætate iam provectior ſub anni 1354. initia abbas denominatus est. Diremit is litem inter Petrum episcopum Curiensem, et præpositum S. Victoris in valle Mesaucina; controversias, quas cum eodem episcopo habuit Iacobus in parte prima ſec. XIV. n. XXI. iam tetigimus. Possessiones aliquæ monasterio inique ablatæ, quas inter argentifodina Medelii, iussu Urbani V. papæ per Georgium a Wildenstein S. Galli abbatem recuperatæ fuerunt. Iacobus extremum diem clausit anno 1366.

XLIII. Ioannes II. de *Maladers*, pagus urbi Curiensi vicinus est, alter qui anno 1348. a peste illæsus remansit, ad finem anni 1366. abbatiam obtinuit. Multum commendatur a mansuetudine, et in egenos misericordia; quum enim eo tempore homines monasterio ſubditi multa rerum inopia premerentur, a plurimis eos oneribus alias præstari ſolitis, quamdiu ipse viveret, absolvit, uti videre est in litteris, quas hac de re dedit die 16. Octob. anno 1367 *d)*. Multum hæc indulgentia Desertinæ obfuit; nam Ioanne anno 1370. mense Aprili defuncto ſolitas præstationes reddere constanter recusaverunt.

XLIV. Ioannes III. *Venner* de Freudenberg anno 1371. V. Calend. Decembris argenti penuria adactus alpes in Lucumonis monte hominibus in valle Breunia pro 800. libris oppignoravit; quæ res Desertinæ non mediocri detrimento fuit.

Cæterum perennem ſui memoriam reliquit hic abbas, dum in eodem monte ecclesiam et hospitium pro commodo peregrinantium erexit, ac dotavit, ut viarum asperitate exhausti in vasta illa ſolitudine haberent, unde refocillarentur. Pio huic operi plura bona consecravit, quæ in Lucumone et valle Breunia inter res monasterii numerabantur. Extant in archivo Desertinensi fundationis huius litteræ die 28. Ianuarii anno 1374. exaratæ. Locus hospitale S. Mariæ dicitur, quem Ioannes fratri Thaddæo de Campiro, eiusque ſocio Andreæ curandum commisit. Uno circiter milliari infra dictum hospitale aliud adhuc S. Galli nomine insignitum extat.

a) Loc. cit. p. 332. etc. *b)* Loc. cit. p. 381. *c)* Ibid. Lib. VI. p. 422. *d)* Archiv. Desertinens.

Præterea Ioannes fœderibus anno 1376. initis inquietos ab armis cohibuit *a*); primus fuiſſe creditur, cui inter Desertinenses mitra et pedo uti conceſſum fuit. Mortales reliquit XII. Calend. Decemb. anno 1380.

XLV. Iacobus III. decimo post anteceſſoris mortem die electus post annum et ipse moriturus. Non est, quod de illo in medium proferamus; occurrit nomen eius in charta quadam de anno 1380. Carnem reliquit IV. idus Decembris anno ſequenti.

XLVI. Rudolphus II. anno 1386. a Bertoldo de Lugozano pium aliquot legatum accepit *b*). Annus ſequens 1387. monasterio maxime nefastus erat, omnes namque ædes, tria templa, campanilia, ſacriſtiæ, bibliotheca horribili incendio conflagrarunt. Infortunio acceſſit Rudolphi obitus mense Novembri eiusdem anni.

XLVII. Ioannes IV. cognomento *Zanus* Desertinæ restaurator et alter fundator merito habetur; dum enim exeunte anno 1387. abbatiam ſuscepit, monasterium nonniſi lugubre bustum fuit. Verum is quidquid pecuniarum undique colligere potuit, ad ædes e cineribus ſuscitandas impendit, eoque fine bona censusque aliquot in alpibus Brigelianis anno 1388. pretio vendidit. Maturatis operis paucos intra annos integrum cœnobium unacum eccleſia maiore S. Martini revixit; templa S. Mariæ et S. Petri ſucceſſoribus restauranda dimiſſa.

Securitati publicæ conſulturus anno 1395. cum avunculo ſuo *Ioanne* comite Werdenbergico, et *Alberto* de Saxo aliisque mutuum ſubſidii armorumque fœdus iniit; quale etiam anno 1400. die 24. Maii cum vicinis tum Rhætis tum Helvetiis ſancivit, quod *Augustinus Stæcklinus* ſic narrat. Ioannes *abbas, conventus et communitas Desertinensis, Ulricus, Ioannes et Henricus barones Rhætii fratres cum ſuis ſubditis, Albertus de Sax, Ioannes et Donatus barones Miſaucii cum omnibus ſuis ſubditis perpetuum fœdus, decennio quovis renovandum et iurandum cum Glaronensibus constituerunt, hiſce pactis ad Deum et ſanctos eius conceptis verbis, et ſublatis in cœlum manibus mutuo iuratis. Ut ſit mutua, inviolabilis perpetua pax et amicitia: mutuum quoque contra vim auxilium: vocantis et implorantis ſumtu miles alatur et ſolvatur: generali expeditione ab alterutra parte facta alteri ſuccurrenti nihil perſolvatur ſtipendii: liberum ſit commercium: prædones utrinque, ſi fuerint exteri, detineantur, domeſtici cogantur ſua cuique restituere. Circa hæc pacta abbas et domini Rhætienses reſervarunt fœdus cum Uraniis, Suitiis et Subſilvanis. Miſauci barones excipiunt ducem Mediolani; Glaronæ vero populus cantones Helvetiæ. Actum et ſcriptum die lunæ ante S. Urbani festum.* Non poterat agere conſultius abbas; quum enim ea tempestate rerum ſumma

a) Bucelin. Rhæt. ad ann. 1379. *b*) Archiv. Desertinens.

eſſet penes nobiles, qui nulli ſe capiti ſubiici patiebantur, Rhætiaque in plura dominia dispertiretur: unico vel abbati vel dynaſtæ tot non erat virium, quibus iniquos adgreſſores repulsaret. Eundum ergo in fœdera fuit, tum ne quid foret mali a vicinis timendum, tum ut prædones unitam fortitudinem magis expaveſcerent.

Alterum, quo perennem ſui memoriam apud Deſertinates reliquit IOANNES, illud eſt, quod monaſterium a ferreo advocatorum iugo vindicaverit. Binis iam propemodum ſeculis multas moleſtias damnaque rerum cum iniuriis paſſum fuerat primum a comitibus de Saxo, dein a Montefortiis, demum a Werdenbergicis. Emergentibus diſcordiis potentum quidem implorata fides et auctoritas; ſed modico ſemper ſucceſſu, advocatis et cæſarum diplomata, et pontificum bullas, et ipſas eccleſiæ cenſuras flocci ſemper habentibus. Verum IOANNES anno 1401. coacto ad monaſterium ſuum nobilium conventu ad diem 21. Aprilis omnia Deſertinæ privilegia in apricum produxit, monumentorum fide commonſtrans, monaſterium ſuum ab omni advocatiæ onere liberum eſſe, idque iuris nulli prorſus familiæ adnecti, ſed pro abbatis arbitrio, cuicunque libuerit, concedi poſſe. Aderant ex Werdenbergicis Rudolphus, Hugo et Henricus, qui rationibus a IOANNE productis permoti putatitium advocatiæ ius publice et ſolemniter abdicarunt, receptis pro eo mille auri florenis, adiectoque iureiurando, omnes tabulas, quibus ſibi advocatia adſereretur, nullius roboris habendas eſſe. Plurimi nobiles renuntiationem ſignis ſuis ac nominibus roboraverunt. Proficua quidem at ſera nimis iſthæc IOANNIS ſollicitudo fuit, perditis iam multis monaſterii bonis, quæ trans alpes et in agro Turicenſi ſita erant, quibusve recuperandis fruſtra inſudatum.

Ne vero Deſertinenſium ſecuritati quidpiam deeſſet, omnia antiquitatis monumenta, quæ flammas nuper effugerant, a notario publico Ioanne de Welaſchingen Scaphuſiano deſcribi, atque ne tam facile perirent, innovari curavit. Vitam tandem cum morte commutavit abbas vere magnus, cuius memoria inter ſuos in benedictione eſt, XV. Calend. Iulii anno 1401.

XLVIII. CONRADUS II. *Sigler* tres ſolum menſes præfuit. Debita quædam apud Fabarienſes contracta expunxit, IV. idus Octob. defunctus.

XLIX. PETRUS de *Pontaninga* antiquiſſima apud Aethuatios arce, quam Pultmengam Sprecherus appellat, ubi quondam nobilium ſedes, ex quibus PETRUS ortum traxit. Iuvenis admodum inter Deſertinates piis moribus ac litteris adſuevit. Monachum indutus ibidem per plures annos ſacræ ſuppellectilis cuſtodem egit, creatus abbas anno 1401. Nihil non egit, ut et monaſterii et to-

tius Rhætiæ bono quam maxime conſuleret: populum Deſertinenſem initis pactis ſibi magis obligatum reddidit, ac erat antea: æs alienum nuper a *Ioanne Zano* pro redimenda advocatia contractum quantocius diluit, prout ex litteris videre est per Werdenbergicos comites anno 1402. ea de cauſa erectis.

Pro ſtabilienda ſecuritate pacis articulos cum Breunianis initos die 13. Iulii anno 1406. renovari curavit; anno autem ſequenti die 8. Septembris monaſterii bonis adiecit fundum quemdam unacum domo et turri, quas Altorfii, quod Uraniæ oppidum est, coemerat. Interfuiſſe quoque dicitur Conſtantienſi ſynodo, ubi anno 1417. IV. non. Maii privilegiorum confirmationem a recens electo pontifice *Martino V.* obtinuit. Bina templa B. V. Mariæ et S. Petri apoſtoli, quæ *Ioannes* in cineribus reliquerat, ex integro reſtituit; conſecrata fuerunt anno 1423. per *Wilhelmum* de Rorano epiſcopum Sedunenſem. A fundamentis etiam extruxit S. Agathæ V. et M. ædes uno horæ quadrante a monaſterio diſſitas, quas inſuper dotavit: complures demum eccleſias, quæ monaſterio ſubiiciebantur, reſtauratas decentius exornavit.

Interim Rhætia in lubrico hærebat, regio acephala pœne. Dominabantur quidem nobiles ſuis quiſque ditionibus, ſed iuvenes plerique venationibus et luxuriæ dediti *a*): præfecti vero prædiorum et pecuniarum aucupio ſordeſcebant. Hinc iniuſtæ adgreſſiones, prædæ, rapinæ, ut nec ab uno ad alium locum metu raptorum tutus acceſſus eſſet, nec facile inveniretur, qui flagitanti ius diceret. Malo quidem, quantum poterant, mederi conati ſunt abbates Deſertinenſes per diverſa cum diverſis inita fœdera; aſt minor fuit morbo medicina, præſertim quum ea tempeſtate dux Mediolani occupata Bellicona Breuniam vallem igne ferroque vaſtaret.

Petrus abbas ſummæ probitatis ac prudentiæ vir luctantem patriam miſeratus, vicinos Rhætiæ optimates ad publicum fœdus adverſus vim et iniuſtitiam ineundum excitare cœpit. Res tanta variis primum colloquiis et litteris ſilentio acta, ne propoſitum ſalubre tyrannis et raptoribus innoteſceret: miſſi dein ad magiſtratus nuntii, qui relatis præfectorum iniuriis peterent, ut publicæ calamitati attentius providentes iuris dicundi ſedulos miniſtros conſtituant. Tandem hac præcautione nil proficiente communi conſilio *Tronum*, qui Deſertinenſis dominii pagus eſt, generalis omnium, qui propoſiti conſcii erant, conventus ad diem 16. Martii anno 1424. indicitur. Adſunt orto ſole Petrus abbas cum ſuorum aliquibus pro Deſertinenſi et Vortienſi iuriſdictionibus; fratres

a) Sprecher. Pall. rhæt. Lib. VII. p. 188.

Ioannes, *Henricus* et *Udalricus* de *Brunio*, dominique a *Rhætio*, qui tractibus Rhætienſi, Supraſaxenſi, Stuſſaviæ et Tennæ præerant; comes quoque *Ioannes* a *Sacco* a Miſauco natus, qui Ilantio, Foveæ, Leguntinæ valli, Flemio et valli Petrinæ dominabatur; *Hugo* comes de *Werdenberg*, cui Trimontium altum, Taminium, Leonis mons et Schlevenium ſuberant; barones de Laaxio, ac tandem legati communitatum in valle Rheni, Sexamnio, Thuſcienſi Montana et Cepinenſi iuriſdictionibus. Hi omnes die locoque prædictis prope ſacellum S. Annæ extra vicum ſub ingenti tilia ſacro prius perſoluto conveniunt, fuſis publice precibus ſanctiſſimum unius trinique Dei nomen invocant, et cœlituum ſuffragia implorant, dein capita nudi levatis in cœlum dextris ſolemni ſacramento mutuum fœdus pangunt, abbate iuriſiurandi verba præeunte, cæteris ad apicem ſubſequentibus. Hæc ſunt famoſi illius Grisei Fœderis initia, quod poſtmodum in tabulas publicas relatum, fœderatorumque ſigillis munitum fuit; exhibet illud Tſchudius *a*).

Conſtat autem Liga hæc decem articulis decennio quovis renovandis *b*), quorum iſta eſt ſynopſis. Mutua inter fœderatos ſervetur fides et ſecuritas: defenſio et ſubſidia præſtentur: liberum inter omnes commercium vigeat: itinera a prædonibus purgentur et tuta reddantur: cuiusvis partis iura et privilegia ab omnibus defendantur: nemo niſi ex communi conſenſu in fœdus recipiatur: æqua inter omnes rerum iuſto bello adquiſitarum diviſio fiat: certa iuris forma pro decidendis controverſiis præſcribatur: demum fœderatorum comitia nonniſi *Troni* celebrentur. Interim abbas conceptis verbis reſervavit eccleſiaſticam immunitatem, et exemtionem canonicam; cavit etiam ne quis præter capitulares negotiis monaſticis ſeſe immiſcere præſumat, neve monaſterii iura, conſuetudines ac privilegia negligantur, ſed ſarta tecta ab omnibus fœderatis dolo quovis et fraude remotis ſerventur, id quod adhucdum ſingulis annis recens electus præſes, quem iudicem regionarium *Landrichter* appellant, in comitiis vernalibus *Troni* haberi ſolitis iuramento firmare tenetur. Cæterum fœdere hoc magnum Petrus ſibi nomen immortalemque apud Rhætos memoriam conciliavit; pater patriæ, libertatis vindex ac ligæ Griſonum auctor dictus.

Ut porro monaſterii bona tum iniuria advocatorum tum infortuniorum varietate multum diminuta augeret, complura in Deſertinenſi districtu prædia coemit, aliaque forte longius diſſita colonis elocavit. Diverſa ſubinde, quæ inter vicinos oriebantur, diſſidia amice plerumque compoſuit, et feliciter diremit. Urſarienſes, inquieta tunc temporis plebs, obedientiam et ſubiectionem abbati

a) Chron. Helvet. T. II. p. 153. *b*) Sprecher. loc. cit. p. 190.

debitam excuſſuri, absque illius conſenſu cum Uraniæ incolis iure municipii perpetuo ſemet coniunxerunt, quibus Petrus provide certos quosdam concordiæ articulos utrinque obſervandos propoſuit; qua ratione Urſarienſes non compeſcuit ſolum, ſed etiam benevolos reddidit die 9. Febr. anno 1425 *a*).

Quæ poſtremis vitæ annis præclare geſſerit, monumenta non produnt. Senio tandem et curis exhauſtus, de monaſterio non minus, quam de tota Rhætia optime meritus ad æterna tranſiit XVI. Calendas Ianuarii anno 1438.

L. Nicolaus II. a *Marmore* ſeu *Marmorea* perantiqua et nobili Rhætorum familia benedictionem abbatialem ineunte anno 1439. Belliconæ ſuſcepit in S. Blaſii baſilica ab epiſcopi Comenſis ſuffraganeo. Eius regimen variis adverſitatum ſalebris refertum fuiſſe perhibetur: iam inde a biennio apud Sarganenſes, quibus tunc Heinricus comes Werdenbergicus iura dabat, multa committebantur certamina Rhætos inter et Helvetios *b*). Anno 1440. Vallenſi oppido a Suitiis intercepto, et regione devaſtata magnam Deſertinenſes bonorum ibi iacturam paſſi ſunt. Aliud nobiles de *Rink* Nicolao negotium faceſſiverant, decimas hoſpitii Ruſcheinenſis a Deſertinenſibus erecti uſurpantes: res ultro citroque agitata ad arbitrium epiſcopi Curienſis cum utriusque partis conſenſu anno 1442. delata fuit. Aſt nihil effectui datum protracta lite ultra Nicolai mortem, quæ X. Calendas Ianuarii anno 1448. contigit.

LI. Ioannes V. cognomine *Uſſenportius* patria Auguſtanus ad anni 1449. initia abbas electus, ab epiſcopo Curienſi *Henrico* confirmationem et benedictionem accepit. Vir erat multa rerum experientia et ſolida virtute præditus. Fœdera ab anteceſſoribus inita renovavit; nuntios quoque ad *Franciſcum Sfortiam* Mediolani ducem miſit, quocum fœdus inirent, petita prius privilegiorum confirmatione; actum utrumque fuit Laudæ die 6. Iunii anno 1450 *c*).

Pro conſervanda æque diſciplina regulari, ac re familiari augenda multum laboraſſe fertur, primas inter curas habens ſubditorum commoda et ſalutem animarum. Vallis Medelenſis horrida prius et inculta tunc temporis excoli magis, et hominibus impleri cœpit, qui hactenus longius licet diſtantes eccleſiæ parochiali S. Ioannis in campo Deſertinenſi ſuberant. Quum vero inter utrumque locum perdifficile, hyemis præſertim tempore, commercium eſſet, Ioannes abbas, nequid animarum ſalus detrimenti caperet, eccleſiam S. Martini filialem in dicta valle parochialem eſſe voluit, eique anno 1456. ex Calliſti III. papæ conſenſu proprium ſacerdotem præfecit.

a) Archiv. Deſertinens. *b*) Sprecher. loc. cit. p. 94. *c*) Archiv. Deſertinens.

Narrant monumenta, quod anno 1458. ad IX. Calendas Februarias horribiles nivium globi ex ſummo adiacentis vallis oſtio tanta mole proruperint, ut non ſolum ſubiectas villas, ſed ipſum quoque S. Placidi mart. templum ſolo æquarint, incolis ea procella ſuffocatis. Sacras ædes abbas illico reſtaurari curavit; dehinc anno 1465. Neoſtadii die 26. Auguſti iurium confirmationem obtinuit. Mortalitatem exuit idibus Decemb. anno 1466.

LII. IOANNES VI. a *Schönegg* vulgo *Schnag* appellatus, natus in Suevia, et Friderico a Zollern epiſcopo Auguſtano ſanguine iunctus, vir eximiæ pietatis et indefeſſi laboris. Benedictionis beneficium obtinuit ab *Ortliebo* Brandiſio epiſcopo Curienſi, quocum controverſiam quamdam inter Sigiſmundum Auſtriæ archiducem et Oengadinenſes anno 1467. compoſuiſſe perhibetur. Rhætis auctor fuit, ut tres ligas in unam rempublicam conflarent; nam anno 1471. in *Vazarolo* iuriſdictionis Bellfortenſis pago omnes Rhæti mutuum inter ſe fœdus inive-runt *a*). Eodem anno abbas interfuit comitiis Ratiſbonenſibus.

Cenſus monaſterii multum auxit partim amiſſa recuperando, partim coemendo nova: ſic anno 1472. Sixtus IV. papa S. Galli et S. Lucii abbatibus nec non præpoſito Curienſi per litteras mandavit, ut reſtitutionem inique Deſertinenſibus ablatorum urgerent. Circa idem tempus IOANNES pretio acquiſivit ædes, hortos et pomaria in urbe Curienſi; emit quoque dominium Waltenſpurgenſe a Iodoco Nicolao Zollerenſi comite, qui Rhætio, Supraſaxo et Tennæ præerat; actum id legitur in tabulis ea de re conſcriptis die 6. Iun. anno 1472.

Interea cives Deſertinenſes paulatim ſemet abbatis dominio ſubducere cœperunt: congregati die 19. Iunii hoc anno eidem leges quaſi præſcribere ſunt auſi propoſitis articulis, qui perpetuis monaſterii iuribus adverſari videbantur. Conſtituerunt enim, ut abbas in cauſis criminalibus mediam ſolum partem tam lucri quam iacturæ ferat, captivi et capitis damnati ſumtibus monaſterii cuſtodiantur, iudicium autem a communitate executioni detur: penes communitatis primores ſit, pœnas minores maleficis illatas augere vel minuere: expenſas pro impetrandis regalibus non communitas ſed mediam ſaltim partem monaſterium ferat, fœderis *Miniſtralem*, ut vocant, non ſolus abbas eligat, ſed quotannis in pentecoſte tres proponat, ex quibus cives unum denominare poſſint, cui abbas paſtum, et equo pabulum præbeat, quoties negotiorum ergo Deſertinam acceſſerit; ſcribam inſuper pro uſu civium alat: aparitori, dum a S. Hilarii feſto uſque ad paſcha iudicia exercentur, menſam ſuppeditet: feuda a morte poſſidentium iterum recipiat: ſi quid abbas litigii habuerit, coram ſuo præfecto et

a) Sprecher. loc. cit. p. 154.

iudicio dirimat, ſi vero ſe ab illis gravari ſenſerit, ad præſidem fœderis et quindecem viros appellet, quorum ſententia ſtare teneatur: lites abbatem inter et cives eiusdem præſidis et quindecim virorum iudicio dirimantur: demum hæcce conſtitutio usque ad obitum IOANNIS valeat *a*).

Hac agendi ratione communitas Deſertinenſis, ut legenti patet, abbatem ac monaſterium ſua pedetentim iuriſdictione exuere adlaboravit, eo magis, quod nova quinquennio poſt ineunda fuerit compoſitio priore atrocior. Rem ex monumentis hauſtam narrat aliquoties iam laudatus abbas Auguſtinus Stœcklinus: Amanus, ut vocant, nomine *Luſſer*, Petrus *Muhemius* Uranienſis, et Gaſparus *Schæneglinus* Griſei fœderis tum præſes eo rem cum cæteris provexerunt, ut IOANNES abbas cum officiali, primoribus et tota communitate Deſertinenſi anno 1477. die 20. Iunii ſequentem tranſactionem inire coactus ſit. „Abbati quidem integrum ſit, ad maiorem Dei gloriam et monaſterii utilitatem *pro hac vice* monachos creare, et conventui inſerere, abſque tamen civium impedimento et ſalvo eorum iure, *alia vice*, *ſi libuerit*, *reclamandi*, ita ut ſi communitas abbati nollet permittere novorum monachorum ſuſceptionem, coram competenti iudice lis finienda foret.„ Leges dein præſcriptæ, ſecundum quas abbas feuda conferre vel recipere poſſit; ſtatutum, ut litteræ emtionis bonorum montis S. Georgii, quæ ante 5. annos IOANNES monaſterio acquiſiverat, cum cæteris cœnobii ſcripturis abſque ulla tergiverſatione in loco *Sigenthal* reponantur. Concluſum denique, ut abbas cum civium conſilio ius cudendæ monetæ procuret, quo obtento expenſæ ex communitatis ærario ſolvantur, quodſi propterea lis oriatur, ea fœderatorum interventu terminetur. Conſentiendum in omnia fuit, licet abbas Petrus de Pontaninga fœderis auctor aliquot ante annos conceptis verbis iura monaſterii ſalva et inconcuſſa voluerit, id quod tum fœderati iuramento firmabant.

Altercandum inſuper cum Vortienſibus fuit, qui per emtionem dominii montis S. Georgii monaſterio ſubiiciebantur, cui mulctarum cauſa litem movebant anno tamen 1479. amice ſedatam. Extant litteræ die 8. Ianuarii anni ſequentis datæ, quibus Mediolani duces cum epiſcopo Curienſi et abbate Deſertinenſi reconciliantur, quum antea ob tranſmiſſa Helvetiis ſubſidia graviter offenſi fuiſſent. Etiam ſubditi Urſarienſes optimum abbatem tot immerſum controverſiis conſpicientes piſcari in turbida tentabant, et audacter iura quædam ſoli monaſterio propria ſibi uſurpare præſumebant, nimirum iura patronatus et ſpolii, iura confirmandi amannos, et cenſus colligendi, necnon quotannis cum ſupplica-

a) Archiv. Deſertinens.

tione procedendi Deſertinam ceu eccleſiam matrem. Res anno 1484. in iudicem provinciæ *Friſium* et Petrum *Keſium* Uranienſes compromiſſa et compoſita fuit.

His adverſis dum exercetur IOANNES, parum abfuit, quin horrendo, quod aliqui in illum conflabant, parricidio necaretur. *Duffus* quidam, cui de *Caſchnider* agnomen, homo ferox et audax *Petrum Brügum* miſerandum ſacerdotem in abbatis obtruncandi locum ſubſtituere meditabatur; hunc in finem pactis 400. florenis ſicarium conduxit Fridolinum *Frichum* ſutorem ex Brigelio ditionis Deſertinenſis pago, cui pactæ mercedis partem ſuis manibus obtulit. Verum divino nutu parricida, priusquam facinus perpetraret, detectus et ultimo ſupplicio affectus eſt.

Mirum non eſt, eo tempore, quo agendi quæque libido dominabatur, pluribus in locis defuiſſe paſtores neceſſaria eruditione, ac morum integritate pollentes, unde populus æternæ ſalutis pabulo ſuſtentaretur; plures parœciæ monaſterio quondam coniunctæ annorum iniuria avellebantur, omnibus ad augendam morum corruptelam conſpirare viſis IOANNES abbas tanto malo ingemiſcens, quo loco res ſacræ in ſuperiore Rhætia eſſent, papam Innocentium VIII. edocuit ſupplex, ut quas olim parœcias monaſterio unitas noſſet, illi denuo apoſtolica auctoritate coniungeret, quibus dein eos præficere paſtores tuto poſſet, de quorum vita et moribus conſtaret. Res anno 1490. ex voto ceſſit, pluresque eccleſiæ tam intra quam extra diſtrictum Deſertinenſem monaſterio ita ſubiectæ, ut quoscunque abbas mallet, rectores illis providere poſſet: eas inter primariæ recenſentur eccleſia S. Vigilii in Aethuatiis, S. Ioannis in Campo, S. Martini in Medelio, S. Ioannis Summovici et S. Mariæ Brigelii. His IOANNES partim ſeculares partim monachos ſacerdotes præfecit.

Erant porro aliæ extra Deſertinenſe dominium parœciæ idoneis forſan paſtoribus deſtitutæ Valendauni, Falerii et Ruſceinii. Horum locorum incolæ abbati ſupplicabant, ut ſummi pontificis auctoritate dictas eccleſias pariter monaſterio uniendas ab eoque providendas curaret, quod et factum eſt anno 1491. Templa iſthæc, quorum tam fabricæ, quam ornamenta ſquallebant, priſtino ſplendori reſtituit IOANNES, beneficium etiam anno 1240. a *Conrado* de Lumerino abbate in eccleſia cathedrali Curienſi fundatum, et temporis tractu redditibus orbatum ea lege denuo erexit, ut collatio in poſterum penes abbatem Deſertinenſem eſſet, quæ antea ad cuſtodem eccleſiæ Curienſis pertinebat. Laudavit epiſcopus *Henricus* ab *Hewen* IOANNIS zelum, datis ad eum litteris die

8. Iulii anno 1496 *a*). Magni pretii mitram comparaſſe dicitur hic abbas, qui demum ætate, laboribus, curis et ærumnis exhauſtus ingenti ſui desiderio relicto ad cœlum abiit ipſo SS. patronorum Placidi et Sigisberti feſto V. idus Iulii anno 1497.

LIII. Ioannes VII. *Brugger* Rhætus vir egregius, pius, et ſuo anteceſſore haud minor, disciplinæ monaſticæ tenax, bonorum iuriumque defenſor indefeſſus extitit. Primo ſtatim anno eccleſiam maiorem, ſeu S. Martini in meliorem formam redigere conſtituit, conductisque operariis templi pavimentum profundius effodi iuſſit. Contigit autem, ut eiecta altius terra quidam fornices ſubterranei detegerentur, in quorum uno ſarcophagus ingens comparuit laminis cupreis tectus, quas variæ ſculpturæ et ſcripturæ exornabant; latus unum referebat geſta quædam et miracula Servatoris noſtri, alterum vitam et acta SS. Placidi et Sigisberti. Monetur abbas, qui illico adeſt cum monachis, et re perſpecta dom. Ioannem *Grimmenſtein* eccleſiæ in Campo tunc parochum, Ioannem *Wiblingerum* cancellarium, necnon pleroſque Deſertinæ proceres honeſtosque viros convocari iubet, in quorum omnium præſentia ſarcophagum aperire placuit. Apparuerunt binorum corporum oſſa integra ferme et illæſa; aderat velamen, cui ante novem prope ſecula ſaucium S. Placidi caput involutum fuerat, multo etiamnum cruore reſperſum. Præfatus cancellarius iam dudum contractis nervis magnos brachii dextri dolores paſſus ipſa hora coram omnibus Sanctorum reliquias pio et confidenti oſculo veneratus eorundem patrocinium implorat; et ecce e veſtigio brachium integræ ſanitati reſtitutum narratur: quod beneficium proprio dein chirographo poſteritati teſtatum reliquit. Contigit felix iſta SS. reliquiarum inventio XVI. Calendas Martii anno 1498. et quotannis Deſertinæ peculiari feſto eadem die recolitur.

Insigni hoc eventu lætus Ioannes opus cœptum urſit, brevique tempore et templi et monaſterii ædes ſplendidius nitebant; dictas autem ſanctorum exuvias pro viribus ornare ſtuduit: extat ſtatua S. Sigisberti argentea eiusdem ſumtibus eleganter fabrefacta, prout inſcriptio docet, quæ annum 1502. præſefert: ſupereſt quoque ciſta anno inſequenti elaborata, qua S. Placidi oſſa reconduntur. Haud ita pridem conflagraverat eccleſia S. Mariæ Brigelii, quam reſtituit pius abbas, alia quoque templa Deſertinæ, Medelii, Troni ac alibi aris et imaginibus excoluit; unde conſtat, quantopere decorem domus Dei dilexerit.

Non minor rei domeſticæ cura fuit: anno 1502. a Maximiliano cæſare regalia obtinuit, plura in monaſterii commodum coemit, præſertim quosdam

a) Archiv. Deſertinens.

annuos cenſus perpetuos. Specialiter a ſede apoſtolica anno 1506. ſelectus eſt, qui homines quoſdam ex fœdere cathedrali ob vim epiſcopo illatam excommunicatos abſolveret. Ad laborum præmia abiit IV. Calend. Aprilis anno 1513.

LIV. ANDREAS de *Falera* origine Deſertinas annis ferme poſtremus, regularis diſciplinæ obſervantia cæteriſque boni viri dotibus facile inter primos. In abbatem inauguratus fuit a Paulo Zieglero epiſcopo Curienſi anno 1512. Initia regiminis ſat felicia videbantur, quum ecce infortunium ingens! exortum intra monaſterii officinas anno 1514. derepente incendium ædes omnes maioremque eccleſiam quaſi momento pervaſit, voraxque flamma ſopire conantium labores eluſit, ita ut monaſterium paucas intra horas denuo in fumos abierit, quum tamen vix ante 125. annos idem fatum ſubierit. Sanctorum interim exuviæ, et ſacræ ſuppellectilis potior pars ignis furori ſubtractæ fuerunt. ANDREÆ curis factum, ut ædificiis quamprimum reſurgentibus officia divina rurſus celebrarentur.

Ab omni retro tempore, quod hominum memoriam ſuperabat, abbates Deſertinenſes annuam penſionem 100. aureorum a ducibus Mediolani percipere conſueverant, iure etiam gaudebant conferendi beneficii vacantis, cuius redditus dictam ſummam excederent. Quum vero utrumque per aliquot annos neglectum fuiſſet, id iuris ANDREAS a vicecomite *Ioanne Paulo Sfortia* anno 1515. die 23. Sept. recuperavit *a)*.

Deſertinenſis pagi cives monaſterio quondam iure et ex aſſe ſubiecti plenum eiuſdem dominium ad ſe devolvere, ſuæque plebeiæ auctoritati ſubdere conati ſunt. Teſtes ſunt articuli, quos anno 1517. abbati obtrudere cœperunt, eorum præcipui hi ſunt: 1. Monaſterii bona communibus tributis, ſeu *talliis* ſubiaceant. 2. Feuda nec citra magiſtratus conſenſum, nec ultra decennium aut ſaltem cuiusvis abbatis vitam elocentur. 3. Abbas quidem novitios ſuſcipere et ad vota ſolemnia admittere poſſit, ſed ſolum ex gratia et beneficio ſenatus. 4. Monaſterii œconomus ſeu cellario præfectus nonniſi in præſentia officialis et duorum e ſenatu inſtituatur etc.

Ea tempeſtate ſerpere per Rhætiam Zwinglianiſmus cœperat, prout in prima parte fuſius recenſetur, cum ingenti non Deſertinæ ſolum, ſed omnium eccleſiarum detrimento. Conſtitutiones, quæ anno 1524. et biennio poſt Curiæ emanarunt, decimas eccleſiis ſurripiunt, anniverſaria abolent, et fundationes pias vel ad hæredes, vel communitates refundunt; abbati tamen Deſertinenſi, tanquam præcipuo fœderis Griſei membro ius comitiorum concedunt. Hac

a) Cod. prob. N. CXXX.

diſpoſitione animati ruſtici decimas retinebant, quas etiam Deſertina variis in locis, præſertim Amiſii et Falerii amiſit. Ne vero fatali hac epocha religio catholica Deſertinæ et in vicina regione tota peſſumiret, omnibus viribus pius abbas inhibuit. Ea de re *Adalbertus II.* abbas ſic ſcribit inter monumenta Deſertinenſia mſc.: ANDREAS *zelo ferventiſſimo et labore continuo fidei catholicæ tuendæ conſervandæque incubuit; unde Evangelii novatoribus ſumme inviſus et exoſus fuit. Quo vero fidelium mentes in orthodoxa fide magis firmaret et Dei cultum promoveret, magnis expenſis omnes fere per totam Deſertinenſem iurisdictionem tam eccleſias quam capellas, in melius reſtitui, officia divina maiore cum decore peragi, populumque divini verbi doctrinam accuratius edoceri curavit.* Magna illi fuit cum *Theodoro* S. Lucii abbate familiaritas, cuius conſilia in omnibus ferme negotiis feliciter ſecutus eſt.

Claruerunt præterea Deſertinæ ſub hoc abbate duumviri *Ioannes Siglerus* Feldkirchenſis monaſterii decanus, et *Iodocus Kreyerus*, alias dictus *Ardyser*, quorum uterque pietate, doctrina, et diſciplinæ monaſticæ ſtudio præſtantes abbati in adverſis ſubſidio et ſolatio fuerunt. Horum opera uſus ANDREAS plurimos in fide nutantes ac pœne in præceps abreptos erexit ſolidavitque; hinc multa a novatoribus paſſus multorum iurium ac bonorum iacturam ſubiit, donec anno 1528. XVIII. Calendas Iulii ſubitanea morte ſublatus eſt. Necrologium eius obitum ſic refert: *Anno* 1528. *die* 15. *Iunii obiit venerabilis dominus* ANDREAS *de Falera abbas noster. Hic in magna temporum difficultate plurima propter monaſterii iura perpeſſus, ſanus cum veſperi ad quietem decubuiſſet, mane occubuiſſe repertus eſt; an veneno infectus?* In defuncti cadavere ſigna quædam aparuiſſe dicuntur, quæ veneni ſuſpicionem ingerere poterant.

LV. MARTINUS II. Scanavici ex *Winklerorum* familia natus ſub abbate *Ioanne VII.* Deſertinæ monaſticen profeſſus, vir erat ſpecietenus pius et æmulator diſciplinæ; unde etiam defuncto Ioanne Siglero ab *Andrea* anteceſſore ſuo decanus renuntiabatur, ac tandem anno 1528. die 2. Auguſti iniquiſſimo monaſterii fato abbas electus eſt. Occultum fovit per aliquot annos cum hæreticis commercium, quibus monaſterii ædem Curiæ extructam abſque capituli conſenſu clanculum vendidit anno 1533. Homo effœminatus turpi mulierum amore eo ſe abripi paſſus eſt, ut eiurata fide votis poſthabitis hæreſim amplecteretur. Rem luctuoſam narrat Auguſtinus Stœcklinus in ſuo abbatum catalogo: MARTINUS *vocationis ſuæ miſerum in modum oblitus alicui mulieri adhæſit, quacum aliquando deprehenſus per fœminæ agnatos eam aut in uxorem ducere, aut vitam ipſo momento perdere iniquiſſime compulſus fuit. Inde palam a diſciplina ordinis et fide catholica defecit, amaſia ſibi matrimonio ſacrilego copulata anno* 1536. *Ilantium, ubi nidulabantur tunc apoſ-*

tata et acatholica colluvies, diſceſſit, diu cum muliere illa ruſticationi vacans velut ludibrium proh pudor! ſemper fuit.

Erat ſane lapſus hic maxime horrendus non ſolam ob perniciem, quam monaſterio intulerat, ſed magis etiam ob enorme ſcandalum, quod religio ea in regione perpeſſa eſt; multi enim tanti viri exemplo et auctoritate pellecti fidem deſerentes Zwinglii errores ſectabantur. Eos inter etiam monachi perfidum abbatem ſecuti hæreſin publice docuerunt. Præter MARTINUM infelix tunc Deſertina tres numerat eiusdem furfuris apoſtatas, *Ioannem Schmid*, cui poſtea *Fabritii* nomen et Davoſiana eccleſia obtigit; alterum, qui *Piſcator* vocabatur, et paſtor in *Hochentrims* evaſit, *Donatum* denique hæreſeos miniſtrum in *Milta.* Hi præterquam quod monaſterium turpiſſima apoſtaſiæ infamia conſperſerint, aliud inſuper irreparabile damnum eidem intulerunt; antiquiſſima enim quæque monumenta furtim abſtracta in acatholicorum manus tradiderunt, quæ inter præſtantiora fuerunt diploma Caroli Magni, quo Deſertinæ libera eligendi abbatis facultas conceditur, aliud Henrici III. imp. cuius tenore abbas *Udalricus* de Monteforti anno 1048. peculiare imperii membrum conſtituitur et ius monetæ obtinet: pancharta omnium monaſterii iurium et bonorum index; codex denique membranaceus venerandæ antiquitatis ab anonymo quodam conſcriptus, qui Avarorum anno 670. in Rhætias irruptionem, caſtri in Hochentrims anno 680. ſub rege Pippino extructi primordia, multaque alia Curienſem æque ac Deſertinenſem hiſtoriam illuſtrantia continere dicitur. Sollicite quidem anno 1787. in Curienſi urbe et alibi in dicta monumenta inquiſivimus, ſed irrito prorſus conatu, non quod litterariis amicis animus ea communicandi defuerit, ſed quod, ubi modo lateant, ignoretur. Auguſtinus Stœcklinus ſagaciſſimus antiquitatum indagator illa anno 1635. feliciter detexit in ædibus Georgii Saluzii paſtoris Curienſis, a quo ægerrime facultatem velociter ea excerpendi nactus eſt.

Cæterum perverſo hoc tempore actum de Deſertina fuiſſet, niſi vixiſſent inibi quoque monachi tum fidei conſtantia et morum integritate, tum eruditione ac prudentia conſpicui, præ cæteris *Martinus* de *Valvero* decanus et ſupra iam laudatus *Iodocus Kreyerus*, qui Pariſiis theologiæ lauream meruerat: ab horum ore et conſilio quum omnes penderent, eo MARTINUM apoſtatam adigere conati ſunt, ut reſignata abbatia capitulum ſuæ novum antiſtitem eligendi libertati relinqueret. Cunctatum diu, perfido transfuga, quem acatholici variis rationibus fulciebant, innumeras tricas ſerente. Unde monachi damno quidem ſuo ſenatum Deſertinenſem adire compulſi id tandem impetrarunt, ut MARTINUS hauſta penſione annua abbatis iure penitus cederet.

LVI. Iodocus *Kreyerus* anno 1536. communi voto abbas electus, ſanandis monaſterii plagis natus, ſi vita illi fuiſſet diuturnior. Inter abbates Deſertinæ et dominos Rhætienſes iam dudum controverſia ob ius eligendi præſidis fœderis Griſei gliſcebat, pro qua componenda Ilantii dies 14. Ianuarii anno 1537. indicitur, ubi Iodocus acatholicorum potentia cauſam ſeptem viris ex fœdere delectis committere cogebatur, qui ſententiam tulerunt, ut dominus Rhætii, quovis triennio, dum comitia Troni celebrantur, quatuor poſſit viros proponere, e quibus fœderis præſes nominari debeat. Qua diſpoſitione acatholicis conſulebatur, ut ex ipſis etiam ſupremum fœderis caput hinc inde ſeligi queat.

Iodocus interim arctioris diſciplinæ monaſticæ ſtudio omne ſubverſionis periculum a ſuo monaſterio ſubmovere eique priſtinum ſplendorem conciliare ſategit; aſt præmature mortuus Deſertinam per integrum vix non ſeculum genuino patre deſtitutam in manus alienas dimiſit III. Calend. Ianuarii anno 1537.

LVII. Leonardus Feürer eccleſiæ Curienſis canonicus a civibus Deſertinenſibus ad anni 1538. initia invitis invitus abbas obtruſus fuit. Poſtquam enim cives nuper a monachis rogati Martini apoſtatæ ceſſionem procuraſſent, iam omne in poſterum abbatis eligendi ius capitulo ademtum atque ad ſe devolutum arbitrabantur. Fuit Leonardus vir ſimplex, modici fervoris ac tardioris ingenii, pacis quidem amans, ſed proprii ſtudioſior commodi, negotiis gerendis impar et monaſtices ignarus Deſertinæ per aliquot menſes oneri magis, quam præſidio fuit. Præpingues in monte Lucumonis alpes ad hoſpitium S. Mariæ ſitas pro 560. flor. improvidus divendidit nunquam ad monaſterium redituras; hauſtum inde pretium vix unius anni cenſum ex dictis alias alpibus fluentem adæquaſſe dicitur. Quieti ſuæ conſulturus ſeptem menſibus in abbatia exactis inſuetum onus prudens ultro dimiſit Curiam reverſus, ubi eodem anno pridie Calendarum Ianuarii fatis ceſſit.

LVIII. Paulus *Nicolai* ſacerdos ſecularis et Summovici parochus pariter a civibus intruſus, homo prudens ac pius, ſed temporali monaſterii damno natus, cuius bona pro lubitu permutavit et alienavit. Sic v. g. anno 1539. *Matthiæ* de *Rungs* Vortienſi arcem antiquiſſimam in S. Georgii monte cum horto, nemore, pomariis, agris ad caſtrum *Gyrs* ac iure omni, nec non ædificia agri Roanenſis in *Treſpundo* dedit pro unica parvi momenti villa *Valentinum* in ſolo Deſertinenſi; adiecit quidem Matthias arbitrorum iuſſu 500. flor. ut probroſo contractui quidam æquitatis fucus obduceretur. Laventinis porro hic abbas viliſſimo pretio alienavit hortum domeſticum Troni et *Corneram* alpem apud Aethuatios anno

1540. *a*) Cæſareis ex camera Spirenſi litteris monitus, ut tanquam imperii princeps ſolitas præſtationes conferret, anno 1543. rem conventui Helveticorum in Thermis, ſeu urbe Badenſi habito ipse præsens propoſuit; cantonum legati inhibuerunt PAULO, ne quid ſolveret, se ea de causa cum cæsare acturos. Domum redux abbas anno 1550. monaſterium a præſtanda *Martino Winklero* annua penſione per certam pecuniæ ſummam liberavit, et ſequenti anno 1551. IV. Nonas Martii defunctus eſt.

LIX. LUCIUS *Anrichus* Bonadulcenſis Rhætus primum canonicus Præmonſtratenſis S. Lucii, dein vocatione ſua relicta per fas et nefas anno 1551. abbatiam Deſertinenſem obtinuit; adiunctus illi fuit Petrus *Berchterus* tanquam œconomus ſeu aulæ præfectus. Dubii hæſerant cives Deſertinenſis pagi, quemnam monaſterio uſurpata ſemel auctoritate præficerent: monachorum ſupererant perpauci, iique per parœcias diſperſi; neque in clero ſeculari facile erat invenire virum, cui id oneris imponerent. Unde eo illorum vix non conſilia abiiſſent, ut Deſertinam acephalam relinquerent, et expectata ſuperſtitum monachorum morte extincti monaſterii bona ſibi ſurriperent. Verum quum hac ratione communitatem ſuam multis prærogativis, quibus in fœdere præ cæteris gaudebat, facile ſpoliatam iri augurarenter, relinquebant conſilii violentiam, atque ex angulo protraxerunt LUCIUM.

Vidit Stœcklinus litteras, quibus fœderis cathedralis primores LUCIO iſti antequam abbatia potiretur, facultatem conceſſerunt, monaſterii S. Lucenſis redditus ubique colligendi, unde non immerito proprii cœnobii et deſertor et expilator dicebatur. Dictas litteras obtinuit anno 1538. die 26. Iunii, quibus nomina ſua tanquam fœderis deputati præfixerunt Lucius *Haimus* conſul Curienſis, Iacobus *Traverſius*, quem fœderati œconomiæ epiſcopali præficiebant, Martinus *Vareina*, Zacharias *Nuttus*, Auguſtinus de *Salis*, Iacobus *Bifferon*, et Antonius *Thomaſius*. Attamen commiſſo ſibi œconomico hoc munere non bene functus fuiſſe videtur *Anrichus*; Deſertinenſis enim communitas ne minimam quidem bonorum monaſterii partem illi gubernandam commiſit: totus ſuberat variis aulæ magiſtris, ſeu œconomis, qui eidem, Stœcklino teſte ex ſenatus conſulto nonniſi unicum florenum per ſingulos menſes ſtipendii loco perſolverunt. Interim præfecti abbate tanquam larva et umbra abuſi pro lubitu nummos, proventus, agros, prædia diſtraxerunt; fletu dignum eſt, ut idem ſcribit, quum libros rationum manuſcriptos legimus, ubi tamen peiora, ne poſteri agnoſcerent, ſtudio expuncta et dilacerata fuerunt. Aiunt, id genus œconomiæ

a) Archiv. Deſertinens.

plus pecuniarum pro lucro præfectorum congeſsiſſe, quam pingue officium *Miniſterialis* in communitate.

Deplorandus ſane erat Deſertinæ ſtatus; antiquiſſima hæc et præpotens abbatia, iis, quibus dominabatur, ancillari coacta est. Petrus Berchterus, ut plus pecuniæ corraderet, anno 1552. alpem in Lucumone ad annos 12. pro 700. florenis elocavit. Subditi Vortienses ſeu montis S. Georgii quum Deſertinam omni pæne dominio exutam cernerent, mulctas pecuniarias, aliasque, si forte delinquerent, pœnas detrectarunt. Erecti quidem auctoritate ſenatus Deſertinensis quidam articuli, communitatis marſupio magis, quam monasterii iuribus faventes. Imo eo progreſsi ſunt cives, ut mulctarum partem, quæ monasterio obvenire conſueverant, ſibi vindicare tentarent: id autem LUCIUS abbas nulla ratione ferens negotio ad iudicium Suprasaxense delato causam facile obtinuit. Cives ad comitia Tronana de iniuria questi propoſito abstinere iubebantur anno 1554. Eodem tempore Summovicenses de retinendis decimis novalium litigantes Troni in comitiis anno 1555. easdem monasterio pendere coacti fuerunt.

Id porro laude dignum, quod LUCIUS posthabitis novatorum inhibitionibus anno 1562. ſuo nomine ad ſynodum Tridentinam ablegaverit *Ioannem Florinum* virum fide et prudentia eximium aulæ ſuæ tunc præfectum. Decessit abbas XIII. Calend. Iulias anno 1566.

LX. CHRISTIANUS de *Castelberg* quamvis intrusus a ſenatu Deſertinensi, monasterium tamen ipſamque religionem catholicam in illo tractu vindicaſſe ab interitu dici potest. Origine Deſertinas fuit illustri proſapia natus, ſacerdos ſecularis verbo potens et exemplo rexit annis aliquot parœciam Aethuatianam magno cum animarum lucro, qui virtutum dotumque ſuarum ſplendore omnium ſibi animos devinxit. Regimini admotus est die 26. Iulii anno 1566.

CHRISTIANUS monasterium ferme deſertum, ac in omni rerum confuſione ſquallidum reperit; nam inde ab anno 1526. iuxta articulos Ilantinos nulli admitti poterant ad monasticen tyrones. Hinc nulla pœne priſci cultus et disciplinæ vestigia, nulla obſervantia iurium, ſubditorum plerique excuſſo iugo obedientiam vix non omnem detrectare, quin ipſamet religio ob ſacerdotum penuriam nutare; nec enim hæretici quidquam intactum relinquebant quaquaverſum iam diffuſi, ut novam doctrinam rusticorum animis obtruderent. Rebus tam arctis opus erat omni CASTELBERGII prudentia, pietate, zelo, qui monasticum ordinem restituturus, neglectis anni 1526. articulis aliquot optimæ ſpei iuvenes ſuſcepit, qui ad S. Benedicti regulam informati divinorum curam gere-

rent. Acerbe interim animum lancinabat ſuæ contra canones factæ electionis vitium, quod *Beatus a Porta* episcopus Curienſis adeo exhorruit, ut eidem confirmationis et benedictionis beneficium nullo pacto impertiri vellet. CHRISTIANUS, ut tutus in conſcientia eſſet, rem omnem calamo fideli ad Pium V. papam perſcripſit, eiusdem mandatis, quidquid ſtatueret, lubenter obtemperaturus. Pontifex cauſa mature diſcuſſa reſpondit, ſe illius electionem defectu per poteſtatis plenitudinem ſuppleto ratam validamque habere. Lætus hac gratia et tranquillus abbas anno 1570. ad ſuum monaſterium invitavit *Beatum* episcopum, *Adamum* Heer eremi et *Ioann. Iacobum* Moshemium Fabariæ abbates necnon monaſterii Corvantiani præpoſitum: adventarunt omnes Auguſto menſe, in quorum præſentia CHRISTIANUS publice vota monaſtica emiſit. Secuta eſt ſolemnis inauguratio tota Deſertina inſolito ſpectaculo adplaudente.

Sua igitur dignitate tuto iam potitus monaſterium a poteſtate laica etiam in temporalibus exemit; erat illi ſoror Dominico Buldetto Brigellano fœderis tunc præſidi nupta, cuius gratia ſenatus Deſertinenſis maritum aulæ præfectum ſeu œconomum creaverat, qui episcopi cæterorumque præſulum tum prece tum hortatu facile adduci potuit, ut abdicato ſponte officio facti iuſtitiam populo perſuaderet, qui reapſe uſurpatam hactenus poteſtatam abbati eiusque ſucceſſoribus libere reſtituit. Eodem anno a Maximiliano II. imp. tanquam imperii membrum Spiram ad comitia evocatus ob negotiorum molem hac vice comparere non potuit *a*); ſequenti vero anno ſupplex ab imperatore regalia obtinuit.

Incredibile dictu eſt, quo zelo hic princeps abbas veram fidem in Rhætia, Deſertinenſi præſertim tractu, conſervare ac ſtabilire adlaborarit: nullis pepercit ſumtibus, non expavit ad pericula, nec continuis ſeu laboribus, ſeu adverſitatibus frangi vel a cœpto potuit amoveri. Ipſusmet apoſtolum agens pagos peragravit, clerum ſordide ac negligenter ſacra tractantem meliores ritus docuit, populum concionibus et catecheſibus inſtruxit, utque plus in ſubditorum animos religio valeret, divina officia ubique maiore cum decentia et ſplendore peragi curavit. Eum in finem a *Beato* episcopo pontificalibus etiam in eccleſiis monaſterio non ſubiectis utendi et poteſtatem quaſi episcopalem exercendi facultatem nactus eſt VII. id. Febr. anno 1572 *b*). Auctus hac prærogativa ſæpius in vicinis parœciis in populi gratiam ſacra ſolemni pontificum ritu celebrans mitratus ex cathedra dixit, vir apprime facundus, et ad movenda corda natus; qua certe ſolertia tantum effecit, ut plebs in avita religione immota

a) Bucelin. Rhæt. Sac. ad ann. 1570. *b*) Archiv. Deſertinens.

ſteterit, licet novatorum et exemplis et hortationibus pertinaciter ad defectionem ſollicitata. Erant inter illorum miniſtros, qui clanculum pagos irrepere, et in nocturnis conventiculis errores ſuos ſpargere audebant; quæ res pii abbatis ſollicitudinem vehementer exacuit.

Refert *Adalbertus II.* in ſuo abbatum catalogo, quinque parochos ditionis Deſertinenſis, qui defectionem a fide meditabantur, Tigurum avolaſſe, novis ibi dogmatibus imbuendos, cæteris, qui remanſerant, idem conſilium foventibus; in tanto iam præcipitio apud Deſertinates religio hærebat. Triſtis nuntii acerbitate motus CHRISTIANUS abſque omni mora de parœcia in parœciam anhelus excurrens eadem die quinque in diverſis pagis conciones ad populum habuit, ſcilicet Deſertinæ in Campo, Medelii, Summovici, Troni et Brigelii. Indefeſſo huic labori optatus quoque fructus reſpondit, communitas enim Deſertinenſis, quæ octo parœcias complectitur, ſola et unica in toto fœdere Griſeo eſt, quæ nonniſi catholicis membris, nullo heterodoxo admiſſo vel admittendo conſtat. Illud porro dignum animadverſione eſt, maleferiatos iſtos quinque ſacerdotes Tiguro reduces in lacu Wallenſi, qui ſæpe navigantibus periculoſus eſt, anno 1572. demerſos interiiſſe, quin ulla ratione voti ſui compotes fieri potuerint. Cæterum vix ullam in tota regione iſthac eccleſiam invenies, quæ CHRISTIANI liberalitate ornata non fuerit; deerant aliquibus tecta, aliis altaria, omnibus ferme ſacra ſuppellex, iuvit omnes eximia abbatis pietas. Longius diſtabant ab æde parochiali Brigellana incolæ Aniſienſes, *d'Anis*, proin hæreticis et ſubverſionis periculo viciniores; quorum ruinæ ut occurreret abbas, emto fundo propriam illis ædem in SS. Trinitatis honorem anno 1582. extruxit, quæ hodiedum a PP. Capucinis ceu parochis providetur. Bina quoque hoſpitia S. Mariæ et S. Galli in Lucumone ſolo æquata reſtituit, verbo, nihil omiſit, quod religioni proficuum videri poterat.

Tanta externarum curarum turma preſſus nunquam interea ſuo monaſterio defuit: erexit pro informanda iuventute ſcholas, ornavit altaria, auxit ſacram ſuppellectilem, cultum divinum, qui ſuperiorum annorum iniuria exulare cogebatur, feliciter reſtituit, comparavit organum, adſcivit ex aliis monaſteriis cantus et muſices peritos, qui, donec proprii iuniores inſtruerentur, officia divina cum decore et maieſtate peragerent, et horas canonicas decantarent, quibus ipſemet diu noctuque ferme ſemper, et nudo quidem capite interfuit ob reverentiam erga Auguſtiſſimum altaris ſacramentum. Advertit providus abbas, exteriore ſacrorum pompa decente non ſolum imperitorum animos ad pietatem allici, religioniſque amorem foveri, ſed illa neglecta teporem etiam facile irrepere,

myſteriorumque contemptum; dici vix poteſt, quantum proſint animarum lucro paſtores, qui cordi habent plebem commiſſam extimulare, ut quadam cum lætitia ſacris interſint. Credes lector! populum Deſertinenſem a fide defecturum fuiſſe, ſi CHRISTIANUS abbas templa ſqualIida reliquiſſet, quemadmodum id pluribus in locis contigit, ubi hæreſis non malitiæ populi, ſed magis paſtorum tum ſorditiei tum ignaviæ adſcribenda eſt.

Rei œconomicæ ita erat intentus, quaſi id ſolum negotii haberet; iura, cenſus, redditus præfectorum iniuria diſtractos, quantum licuit, ſtudioſiſſime recuperavit, ſubditos refractarios auctoritate et manſuetudine in ordinem redegit, vicinorum voracitatem fortiter compeſcuit, quemadmodum in pluribus conventionum cartis, quæ ſuperſunt, videre licet; et quamvis cum multis multas controverſias ſuſtineret, nemini tamen, peſſimos ſi excipias, fuit exoſus bonis omnibus gratus. Videri poterat Deſertina, quæ hactenus tot prædonibus patuit, quaſi ad egeſtatem redacta; non tamen defuere CASTELBERGIO copiæ ſat magnæ, quas egenis diſtribuit: ſingulis hebdomatibus bina vice, feria nimirum ſecunda et quarta omnibus pauperibus, quotquot adeſſent, largum panem diſtribui voluit; ſabbathis autem, dum pecora a paſcuis redibant, lac etiam addi iuſſit, ſanxit quoque, ut quotannis in pauperum gratiam vacca mactaretur: multam panni communis, quem Nordlinganum vocant, copiam per ſingulos annos comparavit, unde nudi tegerentur.

Annus 1581. apud Deſertinenſes æterna memoria dignus, quo hoſpitem tectis ſuſcipere meruerunt *S. Carolum Borromæum.* Iis, quæ in vita et actis eius Auguſtæ Vindelicorum nuper editis leguntur *a)*, ex monaſterii monumentis hæc particularia adiungere viſum. Quum ad hoſpitale S. Mariæ in Lucumonis monte veſperaſcente iam cœlo adventaret S. Cardinalis, prius B. V. ſacellum introivit, perſolutisque ibi precibus cœnulam admodum frugalem, quæ paucis caſtaneis, et aliquibus lacticiniis conſtabat, cum decem ſuis ſociis ſumſit, ac noctem, quantum a precibus reſiduum fuerat, fœno recens collecto incubans transegit. Ad monaſterium appropinguanti tota Deſertina obviam effuſa eſt, præferebantur vexilla et cruces, duo e ſenatu præcipui more gentico veſtiti S. Sigisberti corpus arcæ incluſum baiulabant, quos alii duo ſenatores S. Placidi exuvias portantes ſequebantur; ſuccedebat ex ordine clerus unusquiſque SS. reliquias manibus ferentes, demum abbas pontificio veſtitu decorus, pariter reliquias præſeferens. A dextris gradiebatur *S. Carolus* in peregrini habitu rudi baculo innixus, multoque madidus ſudore. Tot ſanctorum reliquias conſpiciens

a) Tom. I. Lib. VI. cap. 12. p. 366.

cardinalis uberrimas præ gaudio lacrymas fudit, quas forte etiam miseræ gentis commiseratio eliciebat; plurimi porro ex plebe cum flente et ipsi flebant. Cubiculum, in quo ſanctus archipræsul pernoctabat, monasterio erat contiguum, in quod quum ianua egressurus primum pedem fixisset, eum illico retraxisse dicitur, pavensque fassus, indignum se esse, qui locum tot martyrum ſanguine illustrem pedibus ſuis tereret. Aiunt, cubiculi pavimentum ſanguine, quem flagellis nocte illa e corpore ſuo excusserat, tam copioso respersum fuisse, ut monachi quidam postea illum ſpongia levarint. CHRISTIANUS abbas cum tanto hospite diu consilia iniit de ſublevanda ſacerdotum penuria, qua ratione collegium construi posset, ubi ſelectior iuventus ad ſacerdotium pararetur. Quid actum hac in re ſit, paulo post dicemus. Ex ſublato atque inter communitates Grisei fœderis diviso Cazensi parthenone abbas Desertinensis 248. florenos accepit, quos ad alendos ludimagistram et quatuor ſcholares impendit. Tandem tot rebus præclare gestis ineunte anno 1584. lethali morbo correptus est; quumque die 22. Febr. ſub meridiem ſignum ad ſalutandam virginem Deiparam inaudiisset, a confratribus circumstantibus elevari paulisper petiit, ac prece devote persoluta in cubitum ſensim recumbens, elevatis in cœlum oculis in hæc moribunda voce verba iterato erupit: *Pater! pater! paratus ſum et non ſum turbatus. Pater! in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Hæc dicens expiravit.

LXI. NICOLAUS III. *Tyronus* cognomine, ortu Tronensis a populo obtrusus pridie Calend. Martii; tentaverat quidem capitulum uti iure ſuo, eius tamen ſuffragia hac etiam vice ſpernebantur. Fuit NICOLAUS ſacerdos ſecularis Troni ad tempus pastor; utrum iuxta ſui antecessoris exemplum electionis ſuæ defectus ſuppleri curaverit, utrum confirmatus ab episcopo benedictusque fuerit? ignoramus. Ursit interea cœptum a *Castelbergio* extruendi ſeminarii consilium, ſpe conferendorum ad tam pium opus ſtipendiorum non modica adfulgente. Opportune rem gessit hoc anno Troni in comitiis, ubi multis disseruit, quanto in periculo ob ſacerdotum penuriam religio hæreret, omni ope ac consilio curandum, ut pro iuniore informando clero ſeminarium conderetur, ni cultum divinum penitus exulem mallent. Compuncti proceres nihil non se acturos pollicebantur. Expedita ad cardinalem *Madrutium* Germaniæ protectorem legatio cum litteris, quibus inter alia hæc continebantur: *Suam illustrissimam celsitudinem propter bonam voluntatem ac zelum, quo in terram nostram propendet, celare non possumus, quod in regione, in qua triginta circiter virorum millia numerantur, non plures, quam ſeptem ſacerdotes ſupersint, qui ibidem nati nativam et patriam linguam loquuntur, qui ubi tandem defecerint, nisi interim iuvenes educentur, et erudiantur, unacum ipsis catholica fides*

extinguetur etc. Obiter hic adverto, idioma ſingulare, quo variis in locis Rhæti utuntur, hodiedum etiam in cauſis esse, cur idonei paſtores hinc inde ægre admodum haberi poſſint.

Dictis procerum litteris ſuas quoque abbas adiunxit tum ad *Madrutium*, tum ad *S. Carolum* ſupplex, ut ſuscepto miseræ gentis patrocinio periclitanti in Rhætia fidei ſuccurrerent. *Madrutius*, *S. Carolo* post aliquot menses defuncto, cardinalis Alexandrini *Michaelis Bonelli* opem imploravit; erat is abbas ad commendam monaſterii Casemarii, et Pii V. papæ ex filia ſororis pronepos, præſul piiſſimus, cui nihil adeo cordi fuit, ac fidei defenſio. Hic absque mora ſuis ſumptibus in monaſterio Desertinenſi ſeminarium erigi et ſcholas aperiri iuſſit, moxque anno ſequenti 1585. ſexcentos coronatos illuc transmisit in expenſas erudiendæ iuventutis erogandos, quam perpinguem eleemosynam per integrum ſeptennium iteravit. Aſt quum pecuniarum, quæ ad magiſtratum Desertinenſem mitti ſolebant, portio ad alios usus perfide adplicaretur, propterea que et numerus et profectus tyronum ſacrorum decresceret; NICOLAUS abbas, *Paulus* de Florino et *Gallus* de Monte cardinalem inſtituti fundatorem ea de re anno 1593. per litteras certiorem reddebant, quibus ille die 1. Decembris hunc in modum respondit: „Poſtremæ veſtræ litteræ XVII. Calend. Nov. datæ magnæ nobis et oblectationi et moleſtiæ fuerunt. Oblectationi quidem quum alumnorum noſtri ſeminarii magnos progreſſus quum in litteris tum in pietate, deſideriumque, quo magis magisque proficiendi flagrant, veſtram pariter diligentiam ad hoc pium opus adhibitam nobis declaraverint. Moleſtiæ vero, quum ex iis intellexerimus, noſtros annuos redditus non omnes, quod nos etiam ſuſpicamur, in illorum adolescentium utilitatem esse inſumtos, cui maximo malo novo remedio occurrendum eſt. Quum igitur iuvante Deo Mediolanum proficiſci ineunte vere cogitemus, tum a nobis opportunum remedium adhibebitur. Pecuniam autem tam ſuperiorum menſium quam conſequentium usque ad novum ver ligæ conſecratam esse, pro certo habetote; nec tantum annuam illam pecuniam, nimirum 600. ſcuta, quam hactenus ſingulis annis Mediolani numerandam curavimus, ſed etiam multo ampliorem progrediente tempore a nobis expectate. Quamobrem tantum abeſt, ut hoc antiquo hominum hoſti ſuisque aſſeclis nequiſſimis iam perceptum laborem cruciatumque minuet, quin potius ſummopere augebit; quum ſeminarium, quod pro omnibus populis atque opidis ligæ Griseæ ſuſtentavimus, adhuc meliori inſtituto ac firmiori ratione in perpetuum erigere atque ſuſtentare vehementer optemus. Interim Deum opt. Max. ſummis precibus rogate, ut vires nobis ſuppeditet, quibus tantum opus adgredi et per-

ficere valeamus. Si vobis aliqua alia in re noſtra opera opus erit, ad nos ſcribite. Valete, nosque, ut ſoletis, pergite amare, ac Deo commendare.„

Hæ benevolæ piiſſimi cardinalis litteræ nunquam ſuum effectum ſortiebantur; vix enim liberalis hic fundator obierat, illico etiam ſeminarium evanuit. Cuius quidem rei non una cauſa fuit: inprimis enim pecuniæ huc destinatæ ab avaris hominibus alios in usus profundebantur; deinde permulti, nobiles præsertim, poſtquam in ſeminario magnis ſumptibus fuissent exculti, deserto proposito ſtatum ecclesiaſticum recusarunt, quin vel teruncium refuderint: demum *Bonelli* hæredibus fors minus iucundum videbatur, aurum alienæ regioni inferre, ubi persæpe vis et habendi cupido nec rebus ſacris parcere conſuevit. Credi interim poteſt, magno eam rem Desertinæ emolumento fuiſſe; erant enim, qui monaſterii ruinam meditantes illius bona in usus communes convertere volebant, ægre ferentes, abbatem poſthabitis tot adverſitatum procellis in fœdere Griseo tantum eminere, quorum conſilia certo certius ſuum fuissent effectum habitura, monaſterio Desertinensi vel in ſeminarium converso, vel ſecularibus hominibus addicto.

Sæva peſtis, quæ aliquibus abhinc annis apud Insubres graſſata *S. Carolo* Mediolani tantum pietatis materiem præbuerat, anno 1584. Rhætiam quoque invasit ea atrocitate, ut ob ingentem hominum ſtragem vulgo *la moria gronda*, ſeu lues grandis dicta fuerit. In pago Acthuatiano 800. homines consumti, Desertinæ 500. Summovici 450. Erat undique trepidatio ingens, et maxima in cadaveribus ſepeliendis difficultas, quum nemo ferme esset, qui poſtremum illud caritatis officium in se ſusciperet; unde necessum fuit, ut veſpillones quidam ex Roano Vortienſis dominii pago mercede conducerentur. Dici vix poteſt quanto amore, ſtudio ac benevolentia monachi Desertinenſes hac occasione moribundis ſerviverint, certatim cum propriæ vitæ periculo diu noctuque ſacramenta miniſtrantes. Præ cæteris eminebat P. *Iacobus Wezlerus* Desertinæ tum parochus, qui non ſolum boni paſtoris, ſed etiam patris ac matris-familias, imo coqui et famuli munia ingenti cum caritate obibat, atque excusso omni horrore metuque mortis lue infectos fovit, lavit, aluit, ac omni quo potuit modo refocillavit. Ea tempeſtate abbas et ſenatus Desertinensis ſedem pro iure dicundo, et conſiliis ineundis Tronum tranſtulerunt ſacramento interposito, nequid exinde præiudicii Desertinatibus nasceretur.

Interea quibusdam ex fœdere Griseo livorem intulit qualiscunque abbatis auctoritas dolentibus maxime, quod in publicis conſultationibus primas teneret, cuius prudentia plura in hæreseos favorem excogitata in irritum caderent. Hinc

conſultum, inpoſterum minime ſalutato et inſcio abbate ad conſeſſum venire, illum excludere a publicis negotiis tractandis, et invisa prærogativa privare. Exequi propoſitum tentarunt anno 1590. Troni in comitiis vernis poſitis ad ianuam cuſtodibus, qui NICOLAO ingreſſum intercluderent. Monitus abbas, ut refert Adalberti catalogus, aſſumtis pallio chirothecis ac pileo plenus animi, ſervis aliquibus et amicis ſtipatus ædem ſenatoriam accedit, atque ſatellitibus hinc inde disiectis, ianua perfracta intrat, locum primarium, alias ſibi debitum occupat; tum ſedens vultu voceque ad ſeveritatem compoſitis *noſſe equidem ego vellem*, ait, *ecquis veſtrum me a communi fœderis congreſſu, cui perpetuo iure abbas interſum, arcere vel excludere auſit!* Attoniti omnes nil quod reponerent, in promtu habebant; tandem ex rubore, quotquot aderant, se colligentes civili quadam ſubmiſſione imprudens factum excuſarunt, atque in præſenti mox, quod tractabant, negotio abbatis arbitrium et aſſenſum expetiverunt. Aliis porro, minoris tamen momenti controverſiis implicabatur, quas iuribus monaſterii defendendis ſibi acceſſierat.

Refert de NICOLAO Stœcklinus, quod quum se morti propinquum adverteret, accitis ad lectum ſuum monachis dixerit: irent, et episcopo Curienſi ſupplices fierent, ne ſi res monaſterii ſalvas velit, unquam in poſterum permittat ſacerdotem ſecularem a ſecularibus in abbatiam intrudi, ſed libertate electionis monachis reſtituta, ſecus electum vel nominatum nullo pacto abbatem agnoſcat, multo minus benedicat vel confirmet. Dato ſalubri hæc Deſertinenſibus conſilio idibus Iunii anno 1590. ad æterna tranſiit.

LXII. IACOBUS IV. *Bundius* Summovicenſis parochus, redux ab Ieroſolyma, quo peregrinatus fuerat, die 27. Iunii a ſecularibus abbas intruſus fuit, et quidem non ſine ſimonia, quum dignitatem 500. florenis mutuo hunc in finem acceptis coemerit, quod Stœcklinus a monachis rei geſtæ præſentibus accepit. Monachi quidem defuncti *Nicolai* conſilio obtemperantes a *Petro Raſerio* episcopo impetrarunt, quemcunque mallent, eligendi facultatem, res quoque conſignata litteris fuit; ſed quum eas Curia reduces ſenatui improvide exhiberent, id in reſponſis acceperunt, tam ſenatum quam populum verbis, verberibus, et ferro etiam ſi opus fuerit, priſtinam imponendi abbatis conſuetudinem tuiturum, quidquid contra episcopus ipſusve ſummus pontifex iuberent. Quare ſepoſito omni cenſurarum ab episcopo indictarum metu in monaſterii triclinio primum nominarunt *Ioannem* de *Saccis* piiſſimum ſacerdotem, quo onus prudenter reſpuente, vota in *Bundium* confluxere, qui ſtatim tonſura et veſte monaſtica inſignitus, abſque

voto tamen, apud episcopum pro confirmatione et benedictione instabat, quam nonniſi ſequenti anno 1594. die 22. Febr. conſecutus est.

Extat huius abbatis chirographum in tenui folio membranaceo, quo teſtatur, brachium ſibi anno 1604. arrepta forfice partem veli, cui *S. Placidi* caput involutum fuerat, reſcindere volenti tantopere enervatum ſubito fuiſse, ut longo tempore nec movere manum, nec rem vel leviſsimam ea retinere potuerit. Is quondam Altorfii in Helvetia litteris vacans a familia Beſsleriana multis beneficiis cumulabatur, cui gratitudinis ergo integrum *S. Placidi* mandibulum dono dedit, cuius virtute paulo poſt ſequens prodigium contigiſse narratur. Barbara de Florino ex præmatura mariti ſui Bernardi Schmid morte tantos dolores paſſa est, ut in phreneſin maxime periculoſam incideret; arte medica necquidquam proficiente pater miseræ viduæ Paulus de Florino fœderis præſes de reliquiis *S. Placidi* Altorfium ad filiam deferri petiit. Vix baiulo ſacri oſsis cubiculum ingreſso phrenetica primum quieſcere, dein hauſto contactu ſacræ lypſanæ benedicto vino integræ ſtatim ſanæque mentis eſse cœpit. Quotquot aderant, rapti in ſtuporem tres medici *Crivellus*, Chriſtophorus *Geigerus* Tigurinus et Laurentius *Hagerus* Lucernas, necnon Ioannes de *Sax* decanus et parochus in Campo aliique rem geſtam iuramento teſtati ſunt.

Iacobi abbatis habentur litteræ, quæ Olivonenſibus ſacram peregrinationem ad ædes Deiparæ in Lucumonis monte inſtituentibus quotannis in feſto Aſsumtionis eiuſdem lautum prandium gratis concedunt anno 1606. Inter mortales eſse deſiit IV. Calend. Martii anno 1614.

LXIII. Sebastianus alter *Caſtelbergius*, ſed a priore *Chriſtiano* longe diverſus. Erat is ſacerdos iuvenis Aethuatii parochus, multum laborans, ut conſanguineorum ope ad abbatiam promoveretur: ſenatum ea de cauſa tum amplis promiſsis, tum 300. flor. largitione delinire ſtuduit. Conventum igitur V. nonas Martii anno 1614. in monaſterii refectorio, ſpretisque pro more monachorum ſuffragiis laica manu Sebastianus obtruditur. Die ſequenti omnium rerum mobilium, quæ reperiri in monaſterio poterant, a ſenatoribus index conficitur cum magno plurium monumentorum detrimento, quæ auferebantur, ne tam facile haberent monachi, quo ſe adverſus vim tuerentur; ſenatui enim populoque Deſertinenſi fixum firmumque fuit, abbatiam ex integro ſuæ ſubiicere poteſtati, atque ad vulgaris cuiuſdam civis conditionem redigere. Hinc Sebastianum ad ineundam cum illis tranſactionem adegerunt, qua omnis vix non monaſterii auctoritas et iuriſdictio ad communitatem devoluta eſt. Reſciſsa quidem poſtmodum hæc conventio fuit ab *Alexandro Scapio* et *Ranutio Scotto* nuntiis apoſtolicis, et ab

ipſa communitate tanquam invalida declarata, quin tamen nocumentum propterea illatum resarciretur.

Interim de impetranda confirmatione ſollicitus ineunte Septembri in Eremum B. V. se contulit, ubi a *Ludovico Sarego* papæ ad Helvetios nuntio ſuppletis prius electionis defectibus, et monastica professione emiſſa, confirmationis et benedictionis beneficium obtinuit. Adstringebatur porro abbas, ut coram eodem nuntio, abbatibus *Augustino* Eremitano et *Ioanne Iodoco* Murenſi, necnon binis ex Desertina monachis *Georgio Hol* et *Matthia Edelhauser* promitteret, se quamprimum congregationi Helveto-Benedictinæ accessurum, gregemque ſibi commissum iuxta S. Benedicti regulam gubernaturum. Tandem anno 1617. Augusto mense in Muris abbates congregationis Helveticæ convenerunt de ſtatu monastico deliberaturi, ubi intercessione *Ludovici* nuntii apostolici, *Ioannis Flugii* episcopi Curiensis et quorumdam ex Rhætia nobilium Desertina dictæ congregationi coniuncta fuit ea conditione, ut abbas omnium legum a congregatione aut latarum aut ferendarum observantiam ſollicite in ſuo monasterio urgeret, patereturque aliquos Desertinam mitti, qui collapsam ibi disciplinam restituerent.

Annuente imo rogante SEBASTIANO ablegati e monasterio Murenſi fuerunt reverendi patres *Salomon Sigrist* et *Maurus Locher*, qui die 27. Febr. anno 1618. Desertinam venientes reformationis negotium omni, qua par erat, ſedulitate ac prudentia inchoarunt. Verum qui aderant monachi liberiori vitæ iam dudum adsueti cum ſuo abbate iugum omne respuebant; unde Murenses variis agitati adversis re infecta eodem anno die 12. Augusti ad ſuos redierunt.

In Rhætia hoc tempore omnia ſus deque ferebantur: horret reminisci ſanguinolenti iudicii, quod Thosanæ in valle Domestica ingenti cum barbarie exercebatur *a*), de quo ſatis in parte prima. Huc etiam evocatus SEBASTIANUS diu cunctatus, mali tamen maioris metu mense Novembri anno 1618. non ut ecclesiasticus, ſed ut confœderatus coram iudicibus comparere voluit. Accusatus ibi, quod ſæpius rebus politicis se immiscuerit, et litterarum commercium cum comite *Casato* ducis Mediolanensis legato habuerit, ad ſolvendos 400. coronatos condemnatus est. Insecuto bello ex tumultibus Vallistelinensibus orto quum hostis Desertinæ propinquior fieret, abbas pretiosa quæque et reliquias Sanctorum in vallem Breuniam deferri curavit, atque apud præpositum in oppido *Abiasca* reponi, quo brevi post ipsemet abbas cum monachis confugit anno 1621. Interea Oengadinenses et Rhætigoii catholicos insecuti Desertinam reapse venerunt, ubi primoribus, qui fuga necdum ſibi consuluerant, fœderi Hispanico re-

a) Ros. à Porta Hist. reform. T. II. cap. 11.

nuntiare compulſis monaſterium invadentes efractis undique portis, quæque in manus venerunt, partim conſumpſerunt, partim concremarunt: cartas in archivo repertas igni in media platea ſuccenſo tradiderunt; furebant in Sanctorum imagines pictas ſculptasque, vulcano denique ædibus ſubiecto vetustiſſima turris, cui a S. Placido nomen, in fumos abiit; totum hoc infortunio monaſterium periiſſet, niſi manſuetiores quidam inter ipſos hoſtes incendium ſopiviſſent. Decem omnino diebus Deſertinæ bacchati ſunt, dum ecce nuntium adfertur, Auſtriacos irruptionem in Oengadinam et Rhætigoiam minitari, quo perterriti tandem diſceſſerunt. Abbas cum monachis Abiaſca rediit P. *Iodoco Herforto* apud Sanctorum exuvias relicto, quas ob continuos tumultus reportare tutum tunc non videbatur.

Ea tempeſtate ſubditi Vortienſes defecerunt a fide; ineunda cum illis conventio fuit Deſertinæ maxime noxia. Etiam Amiſienſes ius inſtituendi parochi et decimarum ſibi arrogabant minitantes ſe præconem acatholicum aſſumpturos, ni eorum voluntati fieret ſatis. *Alexandri Scapii* nuntii apoſtolici ſuaſu abbas iuri ſuo ceſſit, ne et in hoc pago catholica religio perderetur. Sequenti anno 1622. menſe Sept. SEBASTIANUS interfuit transactioni Auſtriacos inter et Rhætos Lindavii initæ. Reliqua illius, uti et ſequentium abbatum geſta ignoramus, quum nulla de iis monumenta nobis vel tranſmiſſa vel indicata fuerint Obiit *Caſtelbergius* die 3. Iunii anno 1634.

LXIV. AUGUSTINUS cognomine *Stæcklinus*, cuius iam ſæpe cum laude meminimus, monachus fuit Murenſis, et per quinque annos decanus Fabariæ, ubi librum in folio conſcripſit ex archivi ſcriniis collectum, quem *Antiquitates Fabarienſes* nominavit, et abbati *Iodoco Höslino* dedicavit. Eius apographum anno 1628. exaratum habetur in monaſterio Murenſi.

Poſt *Sebaſtiani* obitum monachi Deſertinenſes electionis libertatem ſibi poſtliminio vindicaturi in *Ranuccium Scottum* papæ ad Helvetios legatum compromiſerunt, ut quem ipſe nominaſſet, abbatem eſſent recepturi: felici omine denominavit is AUGUSTINUM *Stæcklinum* virum vere magnum tum pietate tum eruditione die 21. Iulii; promulgatus eſt die 20. Aug. a Fabarienſi abbate anno 1634. confirmatus a ſumma ſede die 28. Febr. anni ſequentis 1635. benedictionem demum Curiæ accepit in templo cathedrali a *Ioſepho Mohro* epiſcopo Curienſi die 15. Aprilis. Durius res iſta cives Deſertinenſes habuit, qui neſcio quid iuris abbatem intrudendi aut ſaltem præſentandi prætendebant, et quod natione Rhætus eligi debeat; hac tamen vice non auſi violentia uti, AUGUSTINO,

nequid prætenſis ſuis iuribus decedere videretur, ius patriæ donarunt facta cum monaſterio amica transactione *a*).

Quemadmodum Fabarienſes, ſic etiam Deſertinenſes antiquitates congeſſit polyhiſtor induſtrius, nec dubium, quin regularem diſciplinam iuxta congregationis leges ſedulo reformarit. Subita morte ad æterna tranſiit tempore verno anni 1641 *b*).

LXV. IOANNES VIII. a *Saxo* Rhætus electus exeunte menſe Maio; Leo Tigurinus eum *Ioſephum* de *Sacco* appellat. Vix anno præfuit, Ragatii equo delapſus obiit *c*).

LXVI. ADALBERTUS I. *Bridler* de quo præter nomen nihil nobis innotuit.

LXVII. ADALBERTUS II. de *Medels* electus anno 1655. ſub quo feliciter repertæ fuerunt *S. Adalgotti* exuviæ. Rem narrat *Proprium Deſertinenſe d*) in hunc modum: „ADALBERTUS ſecundus huius nominis abbas tanti viri (S. Adalgotti) memoriam inſtaurare cupiens, quum locum, ubi ſacræ illius reliquiæ conditæ fuerant, ambigua maiorum fama dubium redderet, anno Domini 1671. primo Calendas Iulii indicto triduano ieiunio decretiſque precibus anterioris eccleſiæ murum dirui iuſſit, divinaque providentia factum eſt, ut ſacrum beati viri corpus arcula lignea recluſum nullo fere negotio reperiretur, ex qua cœleſtis quædam miri odoris fragrantia, quæ circumſtantes mirifice afficiebat, efflabatur; quod deinceps ſolemni ritu, ut pridem Tridentina ſynodus fieri decreverat, recognitum, atque idoneis teſtibus approbatum anno ſequenti quinto idus Iulii in ipſa ſanctorum Placidi et Sigisberti ſolemnitate *Udalrico* de Monte Curienſi epiſcopo et pleriſque ejus canonicis aliiſque viris primariis tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, ex vicina Italia Helvetiaque præſentibus, maximo populi utriuſque ſexus concurſu, et totius Rhætiæ lætitia et applauſu, iterum pretioſo ſarcophago honorifice reconditum hucuſque ibidem pia fidelium veneratione colitur, et quotidianis miraculis illuſtratur.„

ADALBERTUS monaſterii ædes ex integro reſtauraſſe ac die 2. Febr. anno 1696. obiiſſe dicitur a Leone Tigurino *e*).

LXVIII. ADALBERTUS III. de *Funs* Deſertinas abbas creatus anno 1696. præfuit usque ad annum 1716.

LXIX. GALLUS de *Florino* ex Davetſch abbatiam rexit ad annum 1724.

LXX. MARIANUS de *Caſtelberg* Deſertinenſis malo omine electus monaſterii iura, redditus et privilegia peſſumdare cœpit, laicorum male feriatorum conſiliis

a) Roſ. a Porta loc. cit. T. II. p. 586. *b*) Ibid. p. 627. *c*) Loc. cit. *d*) Pag. 101. *e*) Helvet. Lexic. T. VI. p. 125.

usus, quùm ipse totus quantus regimini esset impar. Congregationis Helveto-Benedictinæ capita multum laboravere, ut abbatem minus idoneum in ordinem redigerent; ſed incassum. Nam MARIANUS implorata imperatoris ope eidem falso denuntiavit, se ea de causa congregationis Helveticæ odium incurrisse, quod augustissimæ domui Austriacæ adhæreret, prout ipsemet imperator abbatibus per Hermannum ſuæ legationis ad Helvetios ſecretarium factum exprobravit adiectis minis, ni cessarent, iustam ſuæ maiestatis indignationem non defuturam. Responderunt abbates die 2. Aprilis anno 1733. in Murensi monasterio congregati, iniquissime apud Cæsarem se delatos nunquam in animo habuisse, MARIANUM deponere; esse vero maximopere timendum, ne Desertinensis abbatia imbellis et infirmi præsulis inscitia et negligentia penitus proteratur, præsertim quum id agatur, ut monasterii regalia et privilegia, quoquomodo citius fieri posset, in manus laicas transferantur; ſui proin muneris esse curare, ne tam nobile congregationis membrum non ſine aliquo Augustissimæ domus Austriacæ detrimento pereat. Ad manus habemus litterarum, quibus ista continentur apographum, quemadmodum et epistolam ab iisdem abbatibus R. P. Marquardo Herrgotto Blasiano Vindobonæ tunc agenti missam, cui plenam causæ huius pertractandæ potestatem concedunt, adserentes frustra plures visitationes monasterii Desertinensis tam a congregatione, quam a nuntio apostolico fuisse institutas, quas MARIANUS omnes eluserit. Qua ratione negotium finitum, non constat. Refert interea Leo Tigurinus; decimas iudicii Desertinensis anno 1737. divenditas fuisse, MARIANUM vero die 28. Dec. anno 1742. ætatis 73. obiisse *a)*.

LXXI. BERNARDUS *Frank* de Frankenberg Oenipontanus monachus et officialis S. Gallensis abbas postulatus est anno 1743: natùs iam annos quinquaginta. Mortuus est anno 1763.

LXXII. HIERONYMUS *Casanova* Lugantinus Rhætus non ſine monasterii detrimento morte præmatura ſuis eripitur anno 1764.

LXXIII. COLUMBANUS *Sozzi* ab Oblivone præsul pius et eruditus, qui anno 1785. die 7. Iulii coram visitatoribus abbatiam resignavit, et 6. Augusti Desertina relicta Rosacium discessit.

LXXIV. LAURENTIUS *Cathoma* Rhætus ac civis Desertinensis ex monasterio Einsidlensi in resignantis *Columbani* locum postulatus anno 1785. die 25. Iulii ab episcopo Curiensi *Dionysio* benedictionem abbatialem ſuscepit.

a) Helvet. Lexic. voce Disentis.

CAPUT II.

MONASTERIUM PRINCIPALE FABARIENSE ORDINIS S. BENEDICTI.

Ad occidentalem Rhætiæ plagam est horrida regio *Rhucantia*, quæ Sarganenses ſuperioris Helvetiæ incolas attingit. In eiusdem prope medio iacet antiquiſsimum æque ac percelebre monaſterium FABARIA vulgo PFÆVERS duabus circiter leucis Curia urbe diſsitum. In antiquis monumentis plerumque legitur *monaſterium* FABARIENSE *in honorem* B. MARIÆ *constructum*, *ſitum in pago Rhætiæ Curienſi Churwalacha.*

Fontes, ex quibus hiſtoriam hauſimus, ſunt ipſa, quæ adhuc ſuperſunt, monaſterii monumenta, quibus evolvendis operam navare licuit. Labores iuvit inſignis *R. P. Leodegarii Schmid de Bætstein* Murenſis benevolentia, cui ad manus erat *P. Auguſtini Stæcklini* per quinquennium Fabarienſis decani liber ex archivi ſcriniis collectus, et titulo *Antiquitatum Fabarienſium* inſcriptus; deſumtus potiſsimum eſt ex codice manuſcripto, quem *librum aureum* vocant circa annum 1400. exarato. Multa quoque humanitate transmiſſa nobis fuerunt varia diplomatum apographa, quorum præcipua in codice probationum videri poſſunt.

Originem ſuam debet FABARIA S. PIRMINIO, ſicut et Augia dives. Legi in veteri diſſertatione quadam, prima monaſterii fundamenta circa annum 713. vel 717. poſita fuiſſe; et quidem in *Martiſlinio* ſeu *Marſchlins*, ubi modo cum arce pagus eſt; ſed opere vix cœpto, columba, ut fertur, locum monſtrante (quæ eapropter Fabarienſium inſigne eſt) trans Rhenum in monte ſupra Ragatium cella extructa perhibetur, ubi hodiedum monaſterium prominet. Quæ ſi vera ſint, quosdam vel anachoretas vel monachos ante PIRMINII adventum Fabariam inhabitaſſe neceſſum eſt; nam præſul iſte demum anno 724. in Germaniam venit iuxta Hepidani annales miſſus a Gregorio II. papa. Neque ſane venire citius potuit, quum teſte Warmanno vitæ eius ſcriptore *a)* in Gallia prædicarit ſub Theodorico Francorum rege, qui ab anno 720. ad 727. regnavit. Vocatus inde a Sintlaco in Alemanniam illuc proficiſci absque ſummi pontificis licentia noluit, et Romam prius profectus a ſede apoſtolica prædicandi facultatem, ſimulque ad Theodoricum regem litteras obtinuit.

a) Mabill. Act. SS. ſec. III. P. II. p. 142.

Unde palam fieri videtur, S. Pirminium tam in Fabaria, quam in Augia divite ante annum 724. agere quidpiam nec voluisse, nec potuisse. Constat etiam, eundem Roma reducem primam fixisse ſedem in Augia divite, unde peracto triennio, atque *Ethone* constituto abbate, Alsatiam, Alemanniam atque Bavariam petiit, alia istis in regionibus monasteria constructurus *a*), quæ inter Fabaria ſecundo loco recensetur, quam tamen reticet Waramannus.

Existimare licet, fuisse, qui post ſeculi VIII. initia religiosam vitam Fabariæ inchoarunt; paucos numero, rudes et pios, ſoli manuum labori et orationibus, neutiquam vero litteris aut prædicationi instantes. Quum autem S. Pirminius eo potissimum fine monasteria conderet, ut idonei exinde pastores prodirent, quemadmodum eius vitam legenti patet; monasterio Augiensi completo Fabariense eodem modo instruxit, vel instruendum Ethoni commendavit. Hermannus contractus ad annum 731. ſcribit, quod tria cœnobia, id est *Altaha*, *Morbach* et *Favarias* ex Augiensibus instructa ſint duodenis ad ſingula fratribus deputatis, totidemque Augiæ remanentibus. Qua de re Bruschius, „Augiensis abbas Etho, inquit, quum insignem haberet in Augia ſcholam, miserunt ad eum legatos dux ſuperioris Rhætiæ, duces Bavariæ et Alsatiæ petentes personas et libros ad instauranda monasteria, et ſimilia veræ doctrinæ ac virtutis domicilia in ſuis provinciis erigenda; quibus gratificari volens Etho divisit libros ac discipulos ſuos in quatuor partes, unam partem ſuo reservans monasterio, *ſecundam ad inchoandum Fabarianum monasterium in Rhætiam misit etc.*„ Licet igitur iam antea cella quædam Fabariæ extiterit; vera tamen abbatiæ huius origo nonnisi a duodecim illis fratribus ab Ethone acceptis repetenda videtur.

Iuvat ex Warmanno in S. Pirminii vita quædam adiungere, quibus iam dicta illustrantur. Narrat ergo, Sintlacum ad S. Pirminium ſub Theodorico rege venisse in Gallias, compertoque eius fervore et ſanctimonia rogasse, ut transiret in Alemanniam ibi quoque prædicaturus, quum illius regionis pastores desidia torperent. „Væ meæ gentis ſterilitati, aiebat, cui nullus cœlica propinat fluenta, cuius rectores torpori indulgent, negligentiæ manum dant, Christo nihil lucrari meditantur; quia ſibi viventes pecuniam Domini ſui ſanctæ usuræ accommodare non conantur. Quo si tu ire, atque aliquid gratiæ, qua tu redundas, irrorare velis, centuplo auctum in futuro præmium provenire tibi gaudebis. Audi quæso, ut annuas ſupplicanti, ariditatique nostræ pro cordis affectu compatere: nam nisi celeri ope ſubvenire contendas, nostrates cunctos possidebit iterato errore paganis-

a) Mabill. loc. cit. p. 137. etc.

mus." Precibus hisce motus PIRMINIUS cum Sintlaco Romam proficiſci conſtituit, quod ante annum 721. fieri certe non potuit, eoquod Sintlacus illum in Gallia ſub Theodorico rege, qui paulo ante regimini admotus est, prius convenire debuerit. Probabilius iter Romanum biennio ſerius confectum; Fabariæ vero primordia, si tanquam abbatiam conſideres, coloniæ Augienſi tribuenda.

ABBATUM SERIES ET GESTA.

I. B. ADALBERTUS ſeu BALDEBERTUS littera initiali B, qua beatus indigitatur, ſequiore ævo ipsi nomini coniuncta, ſub S. *Pirminii* et *Ethonis* magiſterio in Augia divite ad pietatem et eruditionem efformatus anno 731. cum aliis undecim Fabariam transmiſſus fuit. Utrum autem is ipſe ſit, qui circa annum 750. Curiæ episcopus evaſit, certo definire nolim; ſaltem in conſtitutionibus Geroldi abbatis de anno 1099. episcopus vocatur *a*). Quotquot Fabariæ circa hoc tempus meminerunt, tot producunt abbates, ut unicuique eorum vix triennium adſignari possit; anno tamen 765. certe adhuc ADALBERTUS præfuit ſynodo Attiniacenſi ſubſcriptus *b*). Apud Cointium, Bucelinum, et Geroldum Switerum in chronotaxi manuſcripta post ADALBERTUM reperiuntur *Gibba*, *Anastasius*, *Lupicinus*, *Vincentius* et *Martianus*, quin vel uni certus annorum numerus ſuffigatur. Ego quidem omnes ADALBERTI ſocios præstantiores fuiſſe exiſtimem, qui ex Augia divite Fabariam migrarunt, neutiquam abbates, ſed ſacerdotes. Teſtatur equidem Switerus, in quodam ſeculi XII. monumento eorum post ADALBERTUM nomina reperiri; aſt exinde non evincitur, eiusdem fuiſſe ſucceſſores, nisi monumentum istud de ſolis Fabariæ abbatibus agat. Vero admodum ſimile videtur, unicum ADALBERTUM, ſeu si mavis, BALDEBERTUM, usque ad annum 766. præfuiſſe, qui circa annum 750. Curienſis episcopus evaſerit ægerrime a fratribus dimiſſus, atque abbatiam unacum episcopatu rexerit, hocque demum post annos quatuor abdicato in monaſterium redux anno 765. Attiniaci ſynodo interfuerit. Nec repugnat annorum 34. vel plurium etiam ſeries, quam hac opinione in abbatia exegit, potuit enim ſeptuagenario maior adhuc ſynodo ſubſcribere.

Fuit ADALBERTUS inter illuſtres illuſtriſſimus cognominatus, magni vir nominis, ſpiritu ſui magiſtri *S. Pirminii* plenus. Extat ad S. Urſum Solodori in Helvetia antiquum ſacramentarium, ut vocant, ab anonymo quodam monacho

a) Cod. prob. N. XXXVI. *b*) Labb. Collect. Concil. T. VI. p. 1702.

conſcriptum, quod illē ADALBERTO dedicavit. Pingitur abbas librum hunc *S. Pirminio* offerens; ipſum vero ſcriptor ſic alloquitur:

Paſtor ADALBERTE! ſumma date cœlitus arte,
Qui meritis conſtas vitæ venerabilis abbas.
Præbeo quod unus, gratanter ſuſcipe munus,
Exorans vilis, tibi tota mente fidelis.
Quo tu, cum ſanctum celebres Chriſticola cultum,
Tecum ſcriptori pia præmia poſce mereri.

Pertenuis ſub primo hoc abbate fuit fratrum Fabarienſium ſuppellex, magna vivendi auſteritas, ſtudium virtutis ingens et tenax disciplinæ rigor.

II. BERTRANTIUS virtutum et dignitatis B. *Adalberti* hæres. Augeri quidem ſub eo oblationibus fidelium res Fabarienſes cœperunt; affligebantur tamen a Saracenis, qui circa hoc tempus terram pervaſerant. Profertur apographum bullæ a Stephano IV. papa anno 770. conceſſæ, qua monaſterium in defenſionem ſummæ ſedis ſuſcipit, abbatemque hortatur, ut ſtrenue ſuo munere fungatur. Multas ærumnas pertuliſſe dicitur BERTRANTIUS, ac obiiſſe anno 778.

III. CRISPIO præfuit annis duobus diſcretione et continuo labore commendatus; defunctus eſt die 6. Martii anno 780. Occurrit in necrologio Augienſi CRESPIO *abba*, et S. Gallenſi CRISPIO *presbyter*.

IV. ASYMBERTUS quatuor annis abbas fuit, mortuus anno 784. die 8. Ianuarii, ſecus ac Cointius cum Bucelino ſtatuit *a*).

V. RICHARDUS, quem Switerus abbatem diſciplinæ tenaciſſimum fuiſſe ait ab anno 784. ad 792. ac vitam finiiſſe die 20. Aprilis.

VI. BRUNINUS nonniſi quadriennio præfuiſſe legitur defunctus anno 796. menſe Aprili.

VII. B. EBERHARDUS. Stœcklinus in ſuis antiquitatibus Fabarienſibus tres adhuc alios interponit poſt *Richardum* abbates, quorum nulla ſupereſt memoria, *Auguſtanum*, *Gibbam*, *Guidonem*. Si quid ſapio, ſolum presbyteri fuerunt, quos reliqui fratres patrum loco venerabantur; nam omni dubio caret, EBERHARDUM exeunte iam octavo ſeculo Fabariæ abbatem fuiſſe, ac proinde ſtatim *Brunino* ſucceſſiſſe. Is vulgo de *Herſfeldia* dicitur Leoni III. papæ gratiſſimus, cui natione Germano ante adeptum pontificatum familiaris eſſe potuit. Inſignis tunc virtutum ſchola Fabaria fuit, quam multum laudat dictus pontifex in bulla, qua anno 799. monaſterium hoc in SS. Petri et Pauli protectionem ſuſcipit *b*).

a) Annal. Franc. T. VI. p. 413. et 549. *b*) Cod. prob. N. IV.

S. Fintanus ſanctimoniæ fama, quæ Fabariam celebrem reddiderat, accitus ibi aliquamdiu ſubſtitit vel Romam profecturus, vel inde iam reverſus.

Malleus cacodæmonum fuiſſe traditur B. Eberhardus, quos animis æque ac corporibus expulit. In cœlum migravit IV. Cal. Martii anno 803. ad hunc diem necrologio S. Galli inſcriptus *a)*.

VIII. B. Wernherus I. ſanctitate vel æquavit vel ſuperavit ſuum anteceſſorem, quo magiſtro antequam abbas fieret, uſus eſt *S. Fintanus*, quum Fabariæ moraretur *b)*. Hac morum integritate motus Carolus magnus imperator Fabariam, quam *monaſteriolum* vocat, liberam et regia defenſione munitam voluit dato diplomate anno 807 *c)*, quod etiam meminit bullæ Leoninæ, de qua paulo ante. Ad ſuperos abiit B. Wernherus anno 811. die 7. Maii.

IX. Werdo, qui anno 813. Aquisgrani fuit, quum Carolus M. nepotem ſuum Bernardum Italiæ regem conſtitueret, abbatis munere functus eſt usque ad diem 27. Aprilis anno 814. quo obiit. Nomen eius legitur in libello ſocietatum Augienſium *d)*.

X. Gebenius natione Rhætus, vir nobilis et prædives perfectionis deſiderio ſe cum bonis ſuis Fabariæ addixit; matrem *Immam* habuit defuncto marito monialem Cazienſem *e)*. Quum multa ſapientia polleret, abbas creatus eſt anno 814. familiaris fuit Ludovico Pio imperatori, cui a ſacellis erat. Ni fallor, anno 816. vel ſequenti ſynodo Aquisgranenſi adfuit, ubi varia in rem monaſticam conſtituta fuere, quæ is gnaviter exequutus eſt. Ab eodem imperatore anno 819. privilegiorum a Carolo M. conceſſorum confirmationem obtinuit per amplum diploma in Theodonis villa II. Id. Iunii conſcriptum *f)*.

In necrologio S. Galli Gebenii obitus ad diem 12. Novembris refertur; quum autem annus emortualis ignotus ſit, eum inter et *Ioannem* unus forte alterve abbas inſeri poterit, ut ſit ab aliquibus, qui *Vipertum* S. Galli monachum, *Victorem* et *Gunibertum* interponunt *g)*, ſed absque gravi ratione, niſi fortaſſis *Victor II.* episcopus Curienſis primum Fabariæ abbas fuerit.

XI. Ioannes electus eſt circa annum 826. natus ex nobili familia de *Flumine*. Multa paſſus eſt a Roderico Langari comite, cuius violentias iam in parte prima in Victore II. episcopo Curienſi narravimus. Ferme omnia is prædo Fabarienſibus bona abſtraxit, ita ut abbas *pene omnem poteſtatem monaſterii ſui amiſſam haberet.* Hinc Ioannes conventum Engelheimenſem adiit miſerum mo-

a) Eccard. Franc. Orient. T. II. p. 919. ſeq. *b)* Coint. Annal. Franc. T. VI. p. 830. *c)* Cod. prob. N. V. *d)* Eccard. loc. cit. T. I. p. 360. Coint. loc. cit. T. VII. p. 190. etc. *e)* Bruſch. monaſt. Germ. p. 51. *f)* Herrgott. Geneal. diplom. Habſb. T. II. P. I. p. 20. *g)* Coint. loc. cit. T. VII. p. 530. et 763.

naſterii ſtatum narraturus. Imperator Ludovicus re a nuntiis comperta per diploma V. idus Iunii anno 831. eodem in loco datum monaſterio Fabarienſi omnia fideliter reſtitui mandavit declarans, abbatiam ab omni ſubiectione iudicibus publicis præſtanda liberam eſſe. Bona ablata litteræ regiæ ſic numerant: *In pago Curwallenſe, id eſt curtem in Nezudre;* Nuziders, *atque colonias quinque in Zurigos et Montaniolos cum omnibus adiacentiis ſuis, in eaque eccleſiam S. Mariæ cum curticula cum omnibus ibi pertinentibus; nec non villam, quæ appellatur Fraſtenestum,* Fraſtenz, *eccleſiam S. Sulpitii atque familiam, curticellam cum omnibus ad eam pertinentibus vel aſpicientibus: curtem Birmento atque tellurem cum omnibus rebus atque hominibus ad prædicta loca pertinentibus.* Hæc potiſſima fuerunt, quibus tunc Fabaria alebatur. Diploma integrum exhibent Grandidier *a*) et Schœpflinus *b*). Mortuus eſt IOANNES die 2. Auguſti anno 839.

XII. SYLVANUS monaſterii Fabarienſis venerabilis abbas legitur in diplomate Lotharii imperatoris Argentorati anno 840. dato, vi cuius abbatiæ libertas ſtabilitur *c*). Confraternitatem iniit cum S. Galli et Deſertinenſi monaſteriis. Geroldus Switerus ad ann. 851. SYLVANO ſubiungit *Victorem* quemdam, ac præfuiſſe ait usque ad 15. Iunii anni 867. Verum habentur Ludovici II. imp. litteræ anno 861. Fabarienſibus conceſſæ, in quibus SALAMANNUS *abbas et dilectus Vaſſus* dicitur *d*). Unde patere videtur, quod SALAMANNUS idem prorſus ac SYLVANUS ſit; certe nequit eſſe *Salomon* de Ramschwag, qui demum 27. poſt annos Fabariam obtinuit. Illam ergo SYLVANUS rexiſſe credendus eſt ſaltem usque ad annum 861. Prædictum autem Ludovici diploma monaſterium ab omnibus oneribus eximit etiam ab iis, quæ fisco præſtari ſolebant.

XIII. VITALIS, de quo nihil poſteritati relictum præter diploma Carolinum, quo res iuraque monaſterii ab omni poteſtate immunia declarantur anno 877. obiit anno 878. menſe Maio.

XIV. HUGO monachus Fuldenſis, quem S. Geningus Hirſaugiæ abbas anno 878. Fabarienſibus rectorem ſubmiſiſſe credebatur. Hunc Bruſchius magno errore ſtatim *Gebenio* ſubiungit; Stœcklinus vero penitus omittit. Aſt, quod res eſt, Arnulfi regis litteræ die 21. Ian. anno 889. Francofurti datæ edicunt, quæ ſic habent: *Noverint omnes fideles noſtri — qualiter nos venerabilem ac Deo dilectum* HUGONEM *ad abbatiam, quæ conſtructa eſt in honorem intemeratæ V. Mariæ in provincia Rhetiæ per interventum Burchardi comitis noſtri libenter promoverimus, ac per intercesſionem præſtantiſſimi Hattonis abbatis Augiæ omnia bona cum advocatis ibi conſti-*

a) Hiſt. Straſsburg. T. II. p. CXCVII. *b*) Alſat. diplomat. T. I. p. 75. *c*) Cod. prob. N. IX.
d) Ibid. N. XIII.

tutis ſub noſtra defenſione — ſuſceperimus a). Auctoritate igitur regia petente Burchardo Rhætiæ Curienſis marchione ad abbatiam promotus eſt Hugo vir integritate morum et præprimis manſuetudine clarus, qui anno 892. S. Euſebii ſepulcrum inviſens de propinqua ibi morte, ut referunt, admonitus anno ſequenti die 7. Martii piam animam Deo reddidit. Interea dictus Burchardus marchio ſuperſtite adhuc Hugone abbatiam ſui iuris fecerat *b)*, eamque per aliquot annos in ſua poteſtate retinuit.

XV. Salomon *Ramschwagius* vir acutus et prudens famoſus dignitatum auceps, qui rerum ſuæ familiæ potitus ad altiora quæque aſpirabat: plurimum apud proceres, ipſosque reges valuit. In ſervitiis Ludovici regis prius ſacellanum egit, dehinc Elwangenſis canonicus et Campidonenſis præſul effectus anno 891. S. Galli abbas, et anno ſequenti epiſcopus Conſtantienſis electus eſt. Ekkardus iunior teſtatur *c)*, illum duodecim abbatiis ſimul præfuiſſe; dubio igitur vix locus eſt, quin Fabaria quoque ab *Hugonis* morte Salomoni paruerit, quum hic locus iam anno 898. Arnulfi regis permiſſu S. Gallo coniunctus legatur *d)*.

Lucem quamdam accendit diploma Ludovici regis de anno 905. quo abbatia Fabarienſis reapſe Salomoni epiſcopo Conſtantienſi dono traditur ea firmitate, *ut eam iure proprietatis habeat, teneat, atque poſſideat, faciatque inde, quidquid libuerit, nulla unquam contradicente perſona e)*. Sane Salomon et Burchardus marchio de poſſeſſione huius monaſterii aliquamdiu contendiſſe videntur, donec hic ceſſerit; teſtatur enim dictum diploma, quod Burchardus illuſtris marchio Fabariam iure beneficiali obſederit, atque donationi Salomoni factæ conſenſerit: *conſentiente videlicet atque perdonante Burchardo illuſtri marchione, qui eandem eatenus iure beneficiali obſederat.* Perſpicuum inde fit, Fabariam aliquamdiu in manu ſeculari hæſiſſe, donec urgentibus Adalberone Auguſtano, et Waldone Friſingenſi epiſcopis, quos diploma nominat, Salomoni tradita fuerit. Hic illam poſtmodum Erchangario comiti cuidam in bellum profecturus commiſit ea conditione, ſi forte ex acie non rediret; anno autem 909. die 28. Decembris monaſterio S. Galli ſolemni traditione coniunxit: Salomon *Conſtantienſis eccleſiæ præſul — trado ad ipſum ſancti Dei altarium — abbatiam Fabarienſem, quam mihi domnus rex Hludowicus ſuæ præcepto auctoritatis, Burchardo earundem partium duce conſentiente et aſtipulante in proprietatem conceſſit — Igitur communi manu ac voluntate præſcriptum Fabarienſe monaſterium ſancto Gallo, eiuſque famulatoribus rata et ſtabili donatione contradimus, ut a ſancti confeſſoris Chriſti officialibus memorata Favarienſis*

a) P. Trudp. Neugart Cod. dipl. Alem. T. I. p. 476. b) Herrgott. loc. cit. p. 52. c) Goldaſt. rer. Alem. T. I. P. I. p. 12. etc. d) Murator. Antiquit. T. V. p. 961. e) P. Tr. Neug. l. c. p. 540.

cella procuretur etc. a). Reſervavit tamen ſibi ad dies vitæ locum *Puſſanwanch* ſeu Buſslingen in Turgovia. Idem porro ius poſt mortem ſuam valiturum conceſſit ſuo ſororio Waldoni.

Non potuit non hæc res fratribus Fabarienſibus permoleſta videri, qui alieni nunc iuris eſſe cogebantur. Verum hic et nunc reſiſtendo impares iugum patienter ferebant; nam et Conradus rex anno 912. coniunctionem Fabariæ cum S. Gallo ratam habuit *pro* SALOMONIS *frequenti famulatu*, aiunt litteræ, *et palatina ſervitute.* Mox itaque anno 913. ex S. Gallenſi monaſterio *Heſſo* ſeu *Hetto* Fabariam miſſus eſt, qui illam ut præpoſitus adminiſtraret. Interea Waldo Curiæ epiſcopus evaſit, quem inter et S. Galli monachos lis de Fabaria oriebatur, negantibus his, iuris quidpiam illi in bona Fabarienſia competere, quod epiſcopi dignitate auctus eſſet. Inita compoſitio eſt anno 920. die 8. Martii *b)*. SALOMON priore iam anno obierat *c)*; hinc iuxta pactum locus Buſslingen ad Waldonem devolvebatur. Præpoſitum Fabariæ cum laude egit HETTO uſque ad annum 931. quo die 18. Iunii pie defunctus eſt.

Huic ſuffectus eſt ENZELINUS vir diſertus admodum ex potenti quadam Rhætiæ familia natus, B. Victori S. Galli monacho, nec non Erchambaldo epiſcopo Argentinenſi ſanguine iunctus *d)*. Præerat S. Gallenſibus tunc abbas Cralo homo durus tantiſper, ut aſperitate ſua totam ENZELINI familiam adverſum ſe concitaret; nam præpoſitum ad ſe accitum non ſolum ſua dignitate privavit, ſed etiam, qua de cauſa neſcio, verberibus caſtigari iuſſit anno circiter 946 *e)*.

XVI. ERENBRECHTUS depoſiti *Enzelini* locum obtinuit, quem Fabarienſes non præpoſitum, ſed abbatem volebant; S. Gallenſibus certatim id impedire conantibus ipſemet ERENBRECHTUS Wormatiam ad imperatorem Ottonem profectus tantum apud eundem effecit, ut ampliſſimas litteras reportaret, quibus anno 949. die 11. Febr. et ſua electio in abbatem confirmata, et Fabarienſibus plena abbatis eligendi facultas reſtituta fuit *f)*. Uſus eſt ſua dignitate ERENBRECHTUS uſque ad diem 9. Decembris anno 953. quo iuxta Switeri chronotaxin inter mortales eſſe deſiit.

XVII. ENZELINUS Fabariam ſibi recuperavit; nam nil non tentarunt S. Gallenſes, ut illum tanquam præpoſitum reſtituerent, eius quoque conſanguinei et amici in Cralonis odium idipſum maximopere cupiebant; nec inviti erant Fabarienſes,

a) P. Trudp. Neugart loc. cit. p. 554. *b)* Ibid. p. 572. *c)* Chron. Gottvic. lib. II. p. 131. *d)* Bucelin. Germ. S. T. II. p. 178. *e)* Eccard. iun. apud Goldaſt. rer. Alem. T. I. P. I. p. 35. et 36. *f)* Cod. prob. N. XVII.

tum quod Enzelini regimini iam adsueſsent, tum vero maxime quod non eſsent ignari, illum præpoſiti nomine non contentum, ſed legitima abbatis auctoritate ſui monaſterii iura defenſurum fore. Integro quadriennio res ventilata eſt, donec epiſcoporum, *Hartberti* præſertim Curienſis, ipſiusque reginæ Adelheidis conſilio Enzelinus ab Ottone imperatore verus et legitimus Fabariæ abbas declaratus fuerit anno 958. VI. Cal. Decemb. *a*). Quum autem ſequenti anno Burchardus vulgo ingenitus S. Galli abbas efficeretur, is Fabariam denuo ſibi ſubiicere adniſus eſt; eum quippe in finem reginæ ſuam auctoritatem apud imperatorem interpoſituræ calicem aureum pollicitus eſt: reſpondit illa, ſe rem opportuno tempore adgreſsuram, quin tamen quidpiam effectum fuerit *b*). Sapienter et quiete præfuit Enzelinus usque ad finem anni 961. die 24. Decembris defunctus *c*).

XVIII. Maiorinus a Fabarienſibus ſuo iuri reſtitutis unanimi voto ineunte anno 962. abbas creatus eſt. Ratam habuit electionem imperator Otto, qui Ticini die 9. Dec. monaſterii privilegia regio chirographo ſtabilivit *d*), quem aliquot poſt annos ex Italia reducem comitatus eſt Maiorinus usque ad inſulam *Sinderlacum*. Anno 972. eandem gratiam obtinuit a filio Ottone II. *e*) haud diu ſuperſtes, nam ſequenti anno die 4. Aprilis defunctus legitur.

XIX. Aluicus. Annus integer præterlapsus eſt, quin *Maiorino* ſucceſsor daretur; quidnam cauſæ ſubfuerit, ignotum, forſan remoræ a S. Gallenſibus iniectæ fuerunt. Tandem Fabarienſes in æſtate anni 974. fratres quosdam ad Ottonem II. imp. ablegarunt, qui monſtratis anteceſsorum diplomatibus ſupplicarent, ut cæſarea auctoritate dignum Fabariæ abbatem præficeret. Gratum hoc Ottoni fuit, qui mox Aluicum ſeu Alawicum Augienſem monachum præſulem denominavit, adiecta conditione, ut fratres poſt eius obitum, quemcunque mallent eligendi libera facultate gauderent; res litteris conſignata eſt in palatio Dornburgenſi die 13. Octobris *f*). Fuit hic abbas ex comitibus de *Sulz*, percharus imperatori, Fabariam rexit ad annum 992. dehinc teſte Hermanno contracto *g*) abbas Augienſis effectus anno 997, tandem anno 1000. ſedem Argentinenſem obtinuit.

XX. Leopoldus *Morach* de *Marchdorf* anno 992. *Aluico* feliciter ſuffectus ſtatim Halberſtadium et Hildeſiam longo itinere petiit, iurium cæſarea benignitate adquiſitorum confirmationem petiturus ab Ottone III. rege. Celebrata tunc tempo-

a) Cod. prob. N. XXI. *b*) Eccard. iun. apud Goldaſt. loc. cit. p. 41. *c*) Leu Helvet. Lexic. T. XIV. p. 487. *d*) Cod. prob. N. XXIV. *e*) Zapf. Anecdot. Vol. I. p. 67. *f*) Cod. prob. N. XXV. *g*) P. Æmil. Uſserm. Germ. S. Prodr. T. I. p. 194.

ris, ſcilicet die 16. Oct. anni 992. Halberſtadienſis templi ſolemnis dedicatio fuit, quam iidem præſules peragebant, qui in diplomate Fabarienſi eiusdem anni occurrunt, eos recenſet Calleſius *a*). Hinc certum vix non eſt, LEOPOLDUM etiam iſti ſolemnitati interfuiſſe, quum in dicto diplomate expreſſe Ottonem conveniſſe, et imperatorum præcepta ſecum detuliſſe legatur *b*).

Maioris porro ſecuritatis ergo a Gregorio V. papa anno 998. bullam impetravit, quæ magno numero Fabariæ prædia recenſet: primo loco occurrit *B. Valentiani monaſterium prope caſtra Martiola* tanquam abbatiæ Fabarienſi ſubiectum, quod illud S. Lucii cœnobium eſt olim a B. Valentiano Curienſium epiſcopo conſtructum; quo tempore ad Fabarienſes devenerit, non conſtat, penes illos permanſiſſe videtur, donec ſeculo XII. medio Præmonſtratenſes inducerentur. Præterea pontifex Fabariam a decimis immunem declarat, concedit, ut tempore interdicti ianuis clauſis divina peragere poſſint, iusque ſepulturæ intactum habeant etc. *c*). Obiit LEOPOLDUS de ſuo monaſterio optime meritus die 14. Aug. anno 1012.

XXI. HARTMANNUS de *Planaterra* Curienſis, decanus Einſidlenſis defuncto *Leopoldo* abbas poſtulatus, anno 1019. vel ſequenti, variant enim ſcriptores *d*), Bambergam profectus eſt, ubi cum papa Benedicto VIII. ingens tam præſulum quam procerum cœtus ad Henricum imperatorem confluxit *e*). Ibi HARTMANNUS in præſentia octo epiſcoporum die 27. Maii litteras regias pro ſui monaſterii confirmatione obtinuit ab Henrico, in quibus illud cumprimis notandum, quod *præſtantiſſimus vir* HARTEMANN *tanquam ſingulare et insigne Romani imperii membrum* ſcribatur *f*). Dignus plane, qui anno 1026. ad ſedem Curienſem ſublimaretur, unde ſponte abbatiam reſignavit.

XXII. SALOMON II. de Argentina in diſcedentis locum ſubſtitutus, anteceſſorum ſuorum more nil antiquius habuit, quam monaſterium ſuum a vi et uſurpatione tueri. Eo tempore ius advocatiæ in malum uſum detorqueri cœperat, ut dominii uſurpatores fierent, qui iurium bonorumque defenſores eſſe debuerant. Malo obviam iturus SALOMON ſubſidium a ſuprema poteſtate petiit, atque a Conrado II. imperatore anno 1028. die 27. Auguſti Ulmæ diploma impetravit, quod Fabariam et in uſu iurium hactenus acquiſitorum ſtabilit, et ab omni extranea ſubiectione liberam pronuntiat, ita *ut deinceps iugo alicuius terrenæ poteſtatis ſubdi omnino non poſſit — Advocatia vero tradatur non in beneficium*

a) Annal. Germ. T. IV. p. 647. etc. *b*) Cod. prob. N. XXVII. *c*) Ibid. N. XXIX. *d*) Calles. loc. cit. T. V. p. 192. *e*) Crus. Annal. Suev. Lib. VI. P. II. p. 182. *f*) Cod. prob. N. XXX.

et ius proprium, ſed ad ſecurioris et gratæ defenſionis ſuffragium a). Bina eiusdem prope tenoris diplomata habentur SALOMONI concessa, alterum ab eodem Conrado Argentorati anno 1032. alterum ab Henrico III. ibidem anno 1040. expedita, quæ edidit P. Marq. Herrgottus noster *b*). SALOMON postquam annis quindecim ſuo monasterio ſtrenue invigilasset, tandem carnem posuit die 23. Aprilis anno 1041.

XXIII. BIRCHTILO de *Monstock* duodecim annis præfuit ab eruditione inter ſuos multum commendatus. Extant Henrici III. imp. litteræ de anno 1050. quibus cavetur, ne ius foresti *Dietmaro* episcopo Curiensi concessum Fabariensi monasterio ulla ratione præiudicium aut detrimentum inferat; firmatur e contra ſat ampla huius abbatiæ iurisdictio *c*). Mortuus est BIRCHTILO die 5. Aprilis anno 1053. necrologio S. Galli inscriptus.

XXIV. IMMO de *Wath* Suevus anno 1056. prope Fabariam parthenium extruxit, ſeu ut in monumentis legitur, *incluſorium pro ſacris virginibus*, quibus magistrum præfecit Udalricum a Castels. Frequens esse cœpit illo tempore hic usus, ut monasteriis virorum illa et virginum iungerentur, ita tamen distincta, ut absque abbatis licentia convenire monachi moniales, hæque illos nunquam possent. Anno 1064. interfuit IMMO dedicationi monasterii omnium Sanctorum Scaphusii *d*). Triennio post ab Henrico IV. imp. confirmationis diploma obtinuit *e*). Defunctus est anno eodem 1067.

XXV. UDALRICUS a *Castels* postquam virgines perfectionem docuit, etiam monachos regere cœpit vir pietate et disciplina monastica valde conspicuus. Fratres in S. Lucii cœnobio expositos, qui extra abbatis conspectum viventes multa ſibi permittere cœperant, anno 1073. in ordinem redegit, partim alios ex Fabaria ſubſtituendo, partim præscribendo normam, quæ legibus monasticis magis conveniebat. Plura porro laude digna præstitisse, ac die 22. Iulii anno 1080. obiisse legitur.

XXVI. WERNERUS II. de *Blonschild* abbas fuit annis quatuordecim. Nihil de eius gestis compertum, nisi quod ante mortem nescio quem insignem thesaurum detexerit. Vivere desiit die 2. Ianuarii anno 1094.

XXVII. GEROLDUS de *Hirſaugia* præsul pietate prudentia, discretione vix ulli ſecundus. Anno 1095. monasterium imperiali auctoritate *Burchardo* Basileensi episcopo traditum est *f*), qui iuribus advocatiæ abusus Fabarienses omni modo divexavit, et bona diripuit, quod multarum litium origo fuit. In ipsa monas-

a) Cod. prob. N. XXXI. *b*) Geneal. diplom. Habsb. T. II. P. I. p. 110. et 114. *c*) Ibid. p. 122. *d*) Gerbert. Silv. nig. P. I. p. 263. *e*) Cod. prob. N. XXXV. *f*) Herrg. loc. cit. p. 130.

terii viscera contentiones irrepsisse videntur, quúm laboribus victus abundantia non responderet; hinc Geroldus anno 1099. ſtatuta condidit, queis et victus et vestitus ſufficiens fratribus adsignatur concesso illis die dominica, tertia et quinta feria etiam carnium esu, *quatenus* - inquit abbas, *liberiores in divino officio peragendo ipsos fratres redderemus, ſublata totius murmurationis tinea a)*.

More antecessorum ſuorum anno 1110. litteras confirmationis ab Henrico V. rege impetravit *b)*; id tamen non obstabat, quin idem Henricus quatuor post annos unionem Fabariæ cum ecclesia Basileensi ratam haberet *c)*. - Geroldus monasterium ſuum a vexationibus liberaturus Wicrammum monachum Romam misit, qui Paschali II. papæ ſupplex proponeret, quanta hactenus detrimenta ab episcopo Basileensi Fabarienses cœperint. Habentur binarum litterarum fragmenta, quas pontifex ad dictum episcopum misit: *Quia regum et imperatorum præceptis ſtatutum est*, ſcribit papa, *ut abbatia Fabariensis libera ſit, nec alicui regum vel imperatorum liceat eam vel res eius alienare d); quamobrem nostro et fratrum nostrorum iudicio definitum est, ut abbatia in ſua permaneat libertate. Quare quæ per te illi ablata ſunt, restituenda præcipimus.* Alterum fragmentum ſic loquitur: *Quia pro querela fratrum Fabariensium nuper tibi litteras misimus, ut ab eorum infestatione desisteres, quas te nullatenus accepisse mirati ſumus. Nos igitur pro ſedis apostolicæ mansuetudine contemtus nostri patientiam agentes, ſecundas ad te litteras mittimus rogantes ac præcipientes, ut ab illorum fratrum oppressione omnino desistas, et Fabariense cœnobium cum locis ſuis et possessionibus quietum dimittas. Si vero aliquam confidis te habere iustitiam, ante medium proximæ quadragesimæ, videlicet XII. Calend. Aprilis anno ab incarnatione Domini 1115. nostræ te audientiæ præsentato. Interim quæ monasterio bona abstulisti, reddere ne differas.*

Geroldus causæ iustitia fultus ad finem anni Romam profectus est; episcopus vero Basileensis, qui tunc *Rudolphus* erat alios illuc ablegavit ſuo nomine pontifici loquuturos. Paschalis utraque audita parte, adhibitis in consilium cardinalibus et episcopis, qui forte pro ſynodo Lateranensi IV. habenda iam convenerant, die 29. Ianuarii anno 1116. per bullam ſententiam tulit, qua Fabariense monasterium ab omni episcopi Basileensis aliorumque vi et potestate liberum pronuntiatur, utpote quod per ſancita imperialia a quacunque extranea potestate exemptum fuerit *e)*.

Verosimilius Romæ Geroldus remansit verno tempore concilio Lateranensi præsens. Paulo ante mortem anniversarium instituit: *Ordinavimus de his*,

a) Cod. prob. N. XXXVI. *b)* Ibid. N. XXXVIII. *c)* Herrg. loc. cit. *d)* Cod. prob. N. IX. XIII. XXVII. XXXI. et XXXV. *e)* Ibid. N. XL.

in ſuperſtite littera ait, *quæ habuimus libere de vinea quadam commemorationem annuam fieri obitus mei, et ut fratribus ad plenum ſerviatur a magiſtro hoſpitalis.* In opinione ſanctitatis obiisse fertur die 13. Maii anno 1119. et beati elogio honoratur.

XXVIII. Wernerus III. aliquot menses ultra ſeptennium præfuit, a Lothario III. rege anno 1125. die 28. Decembris Argentorati diploma accepit anno ſequenti die 7. Auguſti defunctus.

XXIX. Wicrammus, quem ante annos undecim circiter *Geróldus* in causa Basileensi Romam miserat, anno 1126. abbas lectus est. Sententia Paschalis II. anno ſequenti ab Honorio II. in favorem Fabariensium confirmata fuit *a*). Anno 1130. Lotharius imp. Basileæ rogatus a Wicrammo pro præposito SS. Felicis et Regulæ Turicensi confirmationis diploma expediri iussit *b*). Anno 1139. Argentinam profectus abbas a Conrado II. Rom. rege die 28. Maii diplomatum cæsareorum renovationem impetravit *c*), testis ibidem inscriptus litteris Selsensi monasterio concessis *d*). Abbatis munere per 24. annos ſtrenue defunctus 20. Martii anno 1151. e vita migravit.

XXX. Henricus de *Arbona*, aliis de *Altsteten*, quarto post ſuam electionem anno 1155. thesaurum multis rebus, vestibus præcipue et libris pretiosum reperisse fertur; iam altera hæc rerum æstimatione digniorum inventio argumento esse potest, illas tumultuum tempore absconsas, vel certe advocatorum manibus ſubtractas fuisse *e*). Fridericus imp. exercitum adversus Mediolanenses ducturus conventum procerum anno 1158. Ratisbonæ habuit *f*), cui adfuit Henricus Ianuario mense, ſequentis vero Februarii die 7. Ulmæ ſolitum diploma cæsareum nactus est *g*). Exinde cum imperatore Italiam petiit; erat enim Fridericus amicus ſacerdotibus, eorum ſæpe ad ſua molimina consiliis usus, præsertim in hac expeditione Italica: *Ante omnia*, inquit de eo Radevicus, *ſpem ſuam in Deo reposuit, et religiosos viros tanquam divinum oraculum consuluit.* Magna tunc Rhucantios fames presserat, quibus abbas divitem frumenti copiam ex Italia ſubmisit. Quum autem iam ferme triennio abesset, fratres anno 1161. alium in eius locum patrem ſubrogare constituerunt; Henricus vero huc illucque peregrinatus anno 1163. etiam Palæstinam petiit, demum anno 1169. ad ſuos reversus ſecum multas Sanctorum reliquias attulit.

XXXI. Rudolphus de *Hardegg* absentis vices ſupplens primo ſtatim anno insigne

a) Cod. prob. N. XLIII. *b*) Schœpflin. Alsat. diplomat. T. I. p. 479. *c*) Cod. prob. N. XLIV. *d*) Schœpflin. loc. cit. p. 221. *e*) Guler. Rhæt. alp. p. 132. Crus. loc. cit. Lib. X. P. II. p. 423. *f*) Ibid. p. 436. *g*) Herrg. loc. cit. p. 180.

Fabarienſibus beneficium præſtitit, quod iniquas advocatorum vires ſucciderit. Id muneris tunc habebat Henricus de *Zwingburg* non minus, ac alii, monaſterio gravis. Ne omnia paullatim peſſumirent iura, Rudolphus aſſumtis magno numero Cæſarum diplomatibus imperatorem Fridericum adiit ſignificans, quantas moleſtias advocati faceſſerent. Habebatur Erfordiæ anno 1161. iudicium publicum, adfuere et ex Zwingenburgicis aliqui rationes ſuas adverſus abbatem proferentes. Fridericus audita utraque parte ſententiam pro Fabarienſibus tulit publicis tabulis conſignari iuſſam *a*); in qua præprimis ditionis Fabarienſis limites et ambitus ſtabiliuntur, ab occidente fons torrentis *Taminga* indeque montium cacumina usque ad Rhenum, ubi *Saram* amnem recipit: orientem verſus mons *Bizilo*, in cuius vertice terminus *Grappe* antiquis dictus: ex meridie iuga Calandana omnisque ille tractus ad Calipeſanos usque montes, vulgo, ni fallor, *Calveiſen*. Idem ferme habet liber aureus. Quidquid limitibus iſtis comprehenditur, abbatis Fabarienſis pleno iuri ſubiicitur *cum omni imperio, et cunctis utilitatibus, quæ dici poſſunt, cum conſulatu et iudicio*, ita ut abbas in omni re tanquam verus dominus agnosci debeat. Statuitur deinde, ut advocatia monaſterii perpetuis temporibus penes imperium reſideat, nec ab ullo imperatore vel rege oppignorari vel alienari poſſit; ſed vicario modo per *ſubadvocatos* ſine læſione aliqua exerceatur. Hinc Henrico de *Zwingenburg* graviter inhibetur, ne ratione advocatiæ abbatem aut monaſterium in uſu iurium impedire vel perturbare præſumat. Denique omnia Fabariæ privilegia renovantur.

Obiit Rudolphus die 23. Decemb. anno 1177. et abbatiale onus denuo ſuſcepit Henricus de *Arbona*, qui anniverſarium inſtituit, Fabariam gubernavit ad annum 1180. quo in ſedem Curienſem evectus eſt.

XXXII. Swikerus a *Schorandis* laudatur a manſuetudine et benevolentia erga monachos, multum ſollicitus, nequid illis in victu et veſtitu deeſſet. Fratres habuit *Albertum* et *Ludovicum*, qui monaſterium inſigni dono affeciſſe dicuntur. Carnem poſuit die 28. Decembris anno 1193.

XXXIII. Rupertus de *Monteforti* electus eſt mox poſt *Swikeri* obitum. Habetur Henrici VI. imperatoris diploma idibus Novembris anno 1196. Wormatiæ confectum, quo Rudpertus *genere de Monteforti regalia feuda principatus adhibitis ſolemnitatibus ſolitis* accepit, mandaturque omnibus Fabariæ ſubditis, ut abbati tanquam ſuo legitimo domino ac principi omnem obedientiam exhibeant *b*). Sacellum S. Margaritæ extruxit in monte *Sanpans* anno 1201. ac paulo poſt die 5. Ianuarii ſequentis anni vitam cum morte mutavit.

a) Herrg. loc. cit. p. 183. *b*) Cod. prob. N. LXI.

XXXIV. Conradus I. poſtulatus ex monaſterio Zwifaltenſi *Hermanni* ibidem abbatis, et Berchtoldi monachi frater *a*). Utrum ſtatim anno 1202. an ſerius Fabariam venerit, dubium movere poteſt chronicon Zwifaltenſe, quod demum ad annum 1209. ſic loquitur:

Abbas Fabariæ non vi, ſed iure coactus
Huic cedens oneri; Conradus *præripit illud.*

Multa hoc tempore paſſi ſunt Fabarienſes a ſuis advocatis, qui licet advocatiæ ius vicario ſolum modo exercerent *b*), varia nihilominus in monaſterii detrimentum tentabant, dominorum more pro lubitu de illius bonis decernentes. Otto IV. imp. anno 1208. advocatiam Fabarienſem pro 300. marcis oppignoravit Henrico de *Sax*, qui illam poſt biennium tradidit Henrico de *Walkenſtein* pro 70. marcis argenti ea conditione, ut debita monaſterio officia præſtaret. Ab hoc brevi iterum devoluta eſt ad Albertum de *Sax*, quocum Conradus anno 1213. pertinaci liti implicabatur, quas Egilolfus de *Monteforti* imperatoris iuſſu in abbatis favorem dirimere ſtuduit lata ſententia, monaſterii advocatiam liberam eſſe *c*). Anno 1212. interfuit Conradus transactioni inter Adelhaidem Turicenſem abbatiſſam et Rudolphum Raperſwilanum *d*). Anno 1216. ab Innocentio III. papa monaſterium rurſus in apoſtolicæ ſedis protectionem ſuſceptum. Interim abbas ab advocatis tantopere premebatur, ut in ſui defenſionem haud procul a monaſterio arcem *Wartenſtein* extruere opus habuerit; aſt exinde tam parum commodi hauſit, ut anno 1219. ibidem a ſuis hoſtibus includeretur. Obiit ſequenti anno die 16. Maii necrologio Zwifaltenſi inſertus *e*).

XXXV. Ludovicus de S. Gallo poſt *Conradum* ærumnarum hæres evaſit, cui Fridericus II. imp. anno 1221. die 3. Martii Trani diploma expediri iuſſit, quo abbatiam imperiali protectioni ſubiectam ab omni iuriſdictione patronatus, advocatiæ, ſeu cuiuslibet ſubiectionis, præſertim ab Henrico de *Saxo* eiusque hæredibus liberam et immunem in perpetuum pronuntiavit adhibitis in teſtimonium pluribus tam epiſcopis quam comitibus *f*). Videri poterat, declaratione tam ſolemni toties repetita comites de *Saxo* tandem coercendos fore; verum illi a violentia tantum non abſtinuere, ut etiam Ludovicum in ſua arce Wartenſteinia anno 1230. captivum detinuerint. Refertur tamen in monumentis, quod eodem anno apud imperatorem cum abbate S. Galli pro Eliſabetha Thuringiæ comitiſſa, qua in cauſa neſcio, interceſſerit. Anno 1232. die 28. Auguſti prædia monaſterii in *Oberweſen* Hartmanno de *Kiburg*, et Rudolpho de *Raperſ-*

a) Heſs. Monum. Guelph. part. Hiſt. p. 238. *b*) Vid. ſupra XXXI. *c*) Archiv. Fabariens. *d*) Zapf. Monum. anecdot. Vol. I. p. 111. *e*) Heſs. loc. cit. p. 242. *f*) Cod. prob. N. LXX.

wila dedit pro aliis prædiis in *Niderwesen* a). Dies obitus Ludovici anno 1233. in necrologiis S. Galli adsignatur 13. Martii b).

XXXVI. Hugo II. de *Villinga* abbas pro conservandis et augendis ſui monasterii redditibus valde industrius. Eodem anno, quo electus est, mense Decembri a Gregorio IX. papa bullam confirmationis accepit. Legitur etiam anno 1243. a Turicensi abbate feudum aliquod coemisse.

Circa hoc tempus floruit *Conradus* de *Fabaria* dictus presbyter S. Othmari, vir pro ſuo ævo ſatis doctus; nutritus fuit in monasterio Fabariensi, unde et cognomen hausit, presbyter canonicus evasit ecclesiæ S. Othmari, quæ in S. Gallo est. Scripsit præter librum de casibus S. Gallensis monasterii ſeriem abbatum: eius opusculum, quod Goldastus edidit c), testatur, illum grammatica et poesi non mediocriter, ut tempus tulit, tinctum fuisse.

Hugonis regimen percelebre reddidit famosarum thermarum inventio. Anno 1242. forte venatum ibat auceps quidam ex Altobalconum familia, qui ſesqui leuca circiter a monasterio corvos ſilvestres persecutus, eorumque nidos per antra rupesque indagans ſubito ex quadam abysso calidum vaporem ascendere vidit; rem diligentiore inquisitione dignam prosecutus cum multo tam labore quam periculo inter petrarum tenebras copiosam calidarum aquarum ſcaturiginem feliciter detexit, quæ humanis usibus protinus aptatæ miram vim prodiderunt. Est porro locus ipse profundæ abysso ſimilis, prominentes utrimque rupes, quas Taminga torrens magno fragore dissecat, antrum nonnisi ſumma meridie ſoli pervium. Pedetentim ista ſolitudo cultior reddita, mille circiter passus a ſcaturigine extructæ ædes, in quas aquæ deducuntur, ubi quotannis ex regionibus etiam longissime dissitis complures ſanitatem ſibi aut firmant, aut restituunt balneo vel potu lympharum usi. Id interim ſingulare est, quod mense Octobri æquæ fluere desinant, et tempore verno post Calendas ferme Maias fideliter redeant; earum meminerunt, quotquot de rebus vel rhæticis vel helveticis ſcripserunt. Mortales reliquit Hugo 10. Aprilis anno 1245.

XXXVII. Rudolphus III. de *Bernang* præsul non minus prudentia quam eloquio clarus ternas ab Innocentio IV. papa litteras accepit, quibus licentia tempore interdicti primum in ecclesia Fabariensi, deinde in ſacello Quarti ad lacum Rivanum ianuis clausis cum ſilentio divina peragendi conceditur: tertia indulgetur, ne Fabarienses deinceps cogi a pontificiis legatis possint ad clericorum pro-

a) Herrg. Geneal. diplomat. Habsb. T. II. P. I. p. 240. b) Eccard. Franc. Orient. T. II. p. 919. ſeq.
c) Rer. Germ. T. I. P. I. p. 73.

viſiones, quibus hactenus ſæpe gravabantur. *Monaſterio veſtro*, ait bulla, *quod ſicut intimantibus vobis accepimus, eſt per fautores Friderici quondam imperatoris in temporalibus diminutum, et per nos ac legatos ſedis apoſtolicæ clericorum proviſionibus oneratum etc. a)*. Fautores iſti Friderici imp. nobiles de Saxo erant monaſterii advocati, quorum violentiis Fabaria hucusque ſuccubuerat. Albertus enim et Udalricus de Saxo fœdere adverſus eam inito ſemet in poſſeſſione arcis Wartenſteiniæ et iuris advocatici ſtabiliverant per 50. ferme iam annos uſurpata.

Utebantur Fabarienſes iure patronatus in eccleſia parochiali Buskilchenſi ad lacum Tigurinum, cuius filia fuit eccleſia Rapperswilana, quæ anno 1253. a matre ſeiuncta parochialis evaſit, erepto Fabarienſibus patronatus iure. Quocirca Rudolphus comes de Rapperswila conſentiente Eberhardo Conſtantienſi epiſcopo dictum ius in eccleſia Wirmeſpacenſi Fabariæ adſignavit *b)*.

Accidit interea, ut circa annum 1256. Bertholdus quidam Franciſcanus egregius verbi divini præco regionem apoſtolico labore peragraret, cuius hortatu motus Albertus de Saxo abbati Rudolpho arcem et advocatiam pro 300. marcis reddere conſtituit. Extat in collectione diplomatica Tſchudii venditionis huius teſtimonium Richenoviæ ad Rheni confluentias anno 1257. erectum: Albertus pro ſe poſteriſque abdicat omne ius in caſtrum et advocatiam adiecta obligatione, ſe reddita ſibi advocatia omnia præſtiturum, quæcunque abbas et conventus legitime poſtulaſſent; ſecus ſi fecerit, ob 300. marcas pro arbitrio Coſwini Amiſienſis et Diethelmi de Windegg damnum monaſterio reſarciturum: liberum porro Fabarienſibus ſit, quemcunque malint advocatum conſtituere. Uſus reſtituto iure abbas anno 1261. advocatiam Henrico de Wildenberg Freudenbergenſi domino tradidit iis adiectis conditionibus, quæ omnem damni timorem ſubmovere videbantur. *Teneatur advocatus* ſanxit abbas, *monaſterium contra quoslibet defendere: non impediat in* bannis *conſuetis: pœnarum in iudiciis partem reconſignet abbati: nullam in terris monaſterii inſtituat venationem, nec in officiales ſervosque illius aliquam iuriſdictionem exerceat c)*; imo monaſterium quotannis ex prædiis in *Flims* et *Ems* 50. ſolidos percipiat, quamdiu advocatia penes Wildenbergicos permanſerit *d)*. Rudolphus exhauſtis pro monaſterio multis et laboribus et tædiis in domino quievit menſe Decembri anno 1264.

XXXVIII. Conradus II. de *Wolfurt* demum ad finem anni ſequentis electus ſumptibus parciturus ab epiſcopo Curienſi benedictionem percipere noluit. Litem habuit cum Rudolpho de Monteforti ob 30. panni ulnas, quas hic ſingulis annis *ad officium portus in Fuſſach* abs Fabarienſibus poſtulabat. Henricus V.

a) Cod. prob. N. LXXIII. *b)* Herrg. loc. cit. p. 308. *c)* Archiv. Fabariens. *d)* Herrg. l. c. p. 371.

episcopus Curiensis anno 1271. CONRADUM humanissimis litteris ad ſolitam benedictionem ſuscipiendam invitavit; respondit abbas, adigi se non posse, ut in monasterii detrimentum quidquam agat, quod fieret, si pro benedictione omnes episcopi ministros, quos magno numero haberet, muneribus prosequi, prætereaque marescalco equum dimittere cogeretur. Res integro adhuc ſeptennio ventilata demum anno 1279. eum in modum diremta est, ut Fabarienses pro benedictione abbatis ad ſolvendas ſuo episcopo 32. marcas auri obstricti fuerint.

Etiam Wildenbergici in usu advocatiæ exorbitantes proprio marte ſubditorum causas omnes ad se trahebant, id quod magnæ dissensionis origo fuit. Res primo ad arbitrium Conradi episcopi Curiensis et Eberhardi de Asperomonte anno 1276. delata atque in abbatis favorem decisa est *a)*; triennio post rogatus Hugo ſenior comes de Werdenberg pro utraque parte ſententiam tulit pronuntians, ab hominibus monasterii ius nullibi nisi apud abbatem legitimum dominum ſuum quæri oportere, ad illum proin omnes causas esse deferendas excepto *placito Maii*, ſeu iudicio publico Maio mense institui ſolito, ubi advocatus ab imperio iudex datur, et quacunque causa capitali ſeu criminali, quum haud deceat in iudicio ſanguinis a persona ecclesiastica ſententiam ferri. Swicterus CONRADO diem mortis adsignat 23. Febr. anno 1282.

XXXIX. CONRADUS III. de *Ruchenberg* brevi post ſuam electionem a Rudolpho I. Rom. rege, et postmodum etiam ab Henrico Luxemburgico regalia accepit. Ius patronatus in Wirmspach anno 1253. adquisitum bonis quibusdam adiectis permutavit cum illo in Raperswil *b)*. Plura bona in Vaz et Ragaz coemisse dicitur. Sub eo floruit *B. Hermannus de Schœnstein* Fabariæ monachus et rector in Ragaz, postulatus anno 1303. abbas Montis Mariæ, de quo ſuo loco plura. Ex cuiusdam litis compositione anno 1299. *c)* colligitur, etiam CONRADO cum advocatis de Wildenberg altercandum fuisse; brevi autem post advocatia ad comites de Werdenberg-Sargans pervenit.

Abbas hic ſenio gravis anno 1319. curam temporalium commisit Hermanno de Eschenbach maiore cura ad mortem se paraturus, quæ illum fratribus ſurripuit die 16. Maii iuxta necrologium Zwifaltense anno 1324 *d)*.

XL. HERMANNUS I. de *Eschenbach* quinquennio abbatis vices gerens defuncto *Conrado* ipsemet abbas evasit; ast Fabariensibus illo non ultra 11. menses frui licuit, nam ad infulam Curiensem evocatus modico post tempore obiit.

a) Cod. prob. N. LXXXIV. *b)* Herrg. loc. cit. T. II. P. II. p. 509. *c)* Cod. prob. N. LXXXIX.
d) Hess. Monum. Guelph. part. Hist. p. 242.

XLI. Eglolfus de *Wolfurt* diſcedentis *Hermanni* locum obtinuit ineunte anno 1325. poſt quem male aliqui *Udalricum* de *Lenzburg* Curienſem poſtea epiſcopum interponunt. Hic enim fuit monachus S. Auguſtini et Matthiæ archiepiſcopo Moguntino a confeſſionibus, donec anno 1331. Curiæ epiſcopus evaderet; dein præcedente anno 1330. duo in monumentis Fabariæ abbates reperiuntur Eglolfus, qui inſtituto anniverſario ſanxit, ut cuivis ſacerdoti in ſua die anniverſaria ſacrum celebranti detur unus ſolidus Conſtantienſis; et *Hermannus II.* qui eodem anno in eremo B. V. a Ioanne Curienſi conſecratus legitur in donationibus Einſidlenſibus a Tſchudio collectis, et quidem in feſto S. Ioannis Baptiſtæ, proin integro anno prius, quam *Udalricus* epiſcopus crearetur.

Fabariæ igitur præfuit Eglolfus usque ad æſtatem anni 1330. is anno priore 1329. die 4. Febr. in arce Freudenbergica monaſterii iura ſtabiliri adverſus advocatos curavit, prout referunt litteræ eo die confectæ. Fuit dicta arx infra Ragatium, ubi eiusdem adhuc rudera cernuntur. Siquis *Udalricus* abbas actioni huic aderat, non is Fabarienſis ſed alterius monaſterii fuiſſe cenſendus eſt. In iſto autem conventu ſequentia conſtituebantur: 1. Monaſterium Fabarienſe eſt S. R. imperii ſtatus, proinde ab omni iudicum potestate liberum, ipſique competit quævis in ſuo territorio iudiciaria poteſtas. 2. Nemo in diſtrictu Fabarienſi gaudet iure piſcationis, paſtus, venationis etc. niſi ſolum monaſterium; quemadmodum et ſolus abbas ius habet maleficos et immorigeros puniendi. 3. Abbas denominat præfectum, qui vices eius in imperio agat, quique ſingulis annis menſe Maio abbatis iuſſu iudicium exerceat Freudenbergæ in loco, qui dicitur *am Berg*, vel Ragatii per triduum, id quod iudicium *Maienſe* nominatur; verum inſcio et invito abbate neminem puniat. 4. Malefici ab abbate rei mortis declarati ab eiusdem poteſtate excidunt, ſolusque præfectus rem exequi poteſt. 5. Bona ſubditorum improlium ad monaſterium devolvuntur, quodſi hæredes habeant, illud iure caduci gaudet, proles vero illegitimæ abbatis mancipia declarantur. 6. Præfectus nullum prorſus ius in homines monaſterii, in cuius ſervitio quacunque ratione ſint, exercere poteſt. 7. Penes abbatem eſt quibuſcunque malit bona villasque in feudum tradere, nequit tamen feudum ultra ſextum gradum eſſe hæreditarium. 8. Nulli licet in monaſterii præiudicium arcem pontemve extruere, ne damnum in vectigalibus patiatur. 9. Abbas officialium ſuorum miniſterio caupones, piſtores, mercatores etc. dirigere atque, ſi delinquant, punire poteſt. 10. Peccantes in abbatem a præfecto puniendi, minorum vero criminum rei ab officialibus; mulctarum, quæ pecunia ſolvuntur, partes duæ quotannis abbati adnumerandæ.

Hæc tum erat politica Fabariæ facies hic ordo, quem advocati ſemper turbare conabantur. Rei vero œconomicæ biennio ante acceſſio quædam facta eſt, quum eccleſia parochialis in Ragatio auctoritate Ioannis epiſcopi Curienſis monaſterio iungeretur. Notatu digna eſt huius donationis cauſa, quæ in bellum anno 1322. a Rudolpho epiſcopo adverſus Donatum Vatienſem geſtum reiicitur; qua quidem occaſione bona Fabarienſia id detrimenti paſſa ſunt, ut teſte epiſcopi littera Fabarienſes *ad tantam devenerint paupertatem*, *quod hoſpitalitatem hactenus obſervatam continuare non poſſent*, *et alia onera propter defectum neceſſariorum ſupportare nequirent a*). Vivere deſiit EGLOLFUS anno 1330.

XLII. HERMANNUS II. de *Arbona* ſeu Arbore felice in eccleſia Einſidlenſi die 24. Iunii anno 1330. ab epiſcopo Curienſi Ioanne benedictus fuit vir inter ſuos ſpectatiſſimus, pro inſignibus primo uſus eſt tribus milvis, poſtmodum aquila rubra in Campo candido *b*). Ingens illi pro cultu divino cura fuit, et magno labore ac ſumtu reformavit cantum eccleſiaſticum: inprimis opera Gerhardi de Berna mutavit cantum confuſum, quem *Hæftligeſang* vocabant, dehinc ordinavit muſicen, quam viginti voluminibus diffuſam ac ſtudioſiſſime emendatam egregie compilavit. Præter Gerhardum ſacerdotem Bernatem HERMANNUM in hoc opere iuverunt frater Bertholdus de Mengen monachus Salemitanus, Ioannes de Mendelbüren Fabarienſis poſthac decanus, et Bertholdus pariter Fabarienſis ſtudioſæ iuventuti præfectus. Sex anni iſto labore conſumti, donec anno 1342. feliciter compleretur, quo etiam ſedata lis fuit cum comitibus de Werdenberg-Sargans Hartmanno et Rudolpho monaſterii advocatis, qui caſtrum Wartenſtein quaſi proprium poſſidere volebant. Poſt multa diſſidia cauſæ iudices delecti fuerunt Udalricus epiſcopus Curienſis, Udalricus abbas Salemitanus, Albertus comes Werdenbergicus, Fridericus de Riet et Wolfinus a Wolfurt, qui omnes advocatis inhibuerunt, ne deinceps caſtrum Wartenſtein occupare, aliudve abbatis ius arrodere præſumerent *c*). Hartmannus et Rudolphus prædicti reapſe emendationem datis anno eodem menſe Maio litteris ſpoponderunt *d*).

Sequenti anno 1343. die 25. Martii monachi cum ſuo abbate circa uſum ſigilli in hæc ſtatuta convenerunt: ſigillum conventus in ſacriſtia ſub ſera duplici ac binis clavibus, quarum unam abbas, alteram monachus a capitulo deſignandus habeant, adſervetur; quodſi clavium cuſtodes circa imprimendum ſigillum diſcordes fuerint, eligatur extraneus in arbitrum: cuſtodes requiſiti, ut cuidam inſtrumento ſigillum imprimant, id abſque difficultate præſtent. Si quis abbas

a) Cod. prob. N. XCIX. *b*) Tſchud. Gall. comat. p. 124. *c*) Ibid. Chron. Helvet. T. I. p. 368. etc. *d*) Cod. prob. N. CIII.

poſt ſuam electionem in hæc ſtatuta iurare nolit, impune ei obedientia denegetur, capitularis vero quivis eisdem repugnans omni honore et commodo profeſsionis careat. Itaque HERMANNUS absque capituli conſensu nihil conſtituit, iuxta cuius voluntatem anno 1345. duo domicilia vendidit, et anno 1349. ſæviente contagione ordinavit, ut quotannis in craſtino Cinerum anniverſarium pro lue extinctis fieret. Maxime crudelis illa epidemia fuerit oportet, quum ex ſolis ſubditis Fabarienſibus duo circiter millia hominum omnis ætatis et ſexus uno hoc anno obiisse legantur in litteris fundationis huius anniverſarii; ſtatutum etiam ut ea die missa cum *nota*, ſeu cum cantu et muſica celebretur; atque ex abbatis cellario larga pauperibus ſtipes effundatur, nec non in cœna Domini non ſolum 12. pueri, uti hactenus, ſed multi quoque alii pauperes alantur. Certe miſera tot hominum nece agricultura et commercium elanguit, quæ res ipſummet monaſterium ad inopiam redegit; colligitur id ex litteris Udalrici Conſtantienſis episcopi de anno 1351. die 26. Iunii, quibus eccleſiam parochialem in *Mänidorf* abbatiæ Fabarienſi coniunxit *ad indigentiam veſtram*, inquit, *relevandam, et onera vobis incumbentia ſupportanda.*

Eodem anno HERMANNUS monaſterii ſui advocatiam a Rudolpho comite Werdenbergico eiusque coniuge Urſula de Vatio pro 350. flor. in pignus recepit; anno autem 1358. prædia aliqua in *Flims* acquiſivit: confraternitatem quoque iniit cum Erlacenſi monaſterio, cui tunc Udalricus de Falkenſtein abbas præerat, dehinc cum conventu fratrum Prædicatorum in *Rüti* ſupra Raperswilam eo pacto, ut omnes utrinque tam vivi quam defuncti tanquam confratres haberentur. Iam 85. ætatis annos numerabat HERMANNUS, quum ei anno 1360. coadiutor daretur *Ioannes* de *Mendelbürn* decanus; et ecce paulo poſt eodem adhuc anno monaſterium in fumos abiit, nec illud reſurgere vidit optimus ſenecio; nam die 12. Iunii anno 1361. ad æterna tranſiit.

XLIII. IOANNES II. de *Mendelbürn* ex coadiutore abbas anno 1362. a Turicenſibus ad dies vitæ ius civitatis obtinuit. Eo iam res advocatiæ devenerat, ut Fabarienſes ab advocatorum iniuriis pecunia ſemet redimere cogerentur; Ioannes comes de Werdenberg Rudolphi exemplum ſecutus anno 1364. monaſterio advocatiam oppignoravit pro 400. florenis. Plura bona inique ablata, quod IOANNES abbas apud Gregorium XI. papam queſtus eſt, qui per litteras Rudolpho Curienſi præpoſito anno 1372. iniunxit, ut ea reſtitui curaret, qui id muneris Hartmanno Crœſio theſaurario delegavit. Hoc tempore Fabarienſes tum hoſpitum tum expenſarum in reſtituendas ædes multitudine obruti eccleſiam parochialem in *Meils* cum filiabus *Wangs* et *Vilters* a Friderici episcopi Curienſis

benignitate impetrarunt die 24. Ian. anno 1376. *propter hoſpitalitatis opera*, aiunt episcopi *litteræ*, *et ædificiorum ſtructuras*, *quæ apud vos iugiter exercentes ſitis magnis expenſarum oneribus prægravati.* Vehementes profecto passa est hoc ſeculo procellas Fabaria bellum, luem, incendia, et continuas ab advocatis vexationes, ut mirum non ſit, rerum inopiam paulatim irrepsisse. Aerumnarum ſatur in requiem abiit IOANNES die 20. Decembris anno 1386.

XLIV. BURCHARDUS a *Wolfurt* Claræ abbatissæ Lindaviensis frater *a*). Is iuxta Oefelium *b*) „primam missam celebravit anno 1375. proxima dominica post Ascensionem, unanimi deliberatione ſuorum confratrum abbas electus est anno 1386. ſecunda die post festum S. Thomæ apostoli, ſeu 23. Decembris, confirmatus a Ioanne Curiensi episcopo in festo S. Ioannis apost. et evang. benedictus demum ab eodem in templo S. Lucii dominica prima post Epiphaniam." Ob defectum pecuniarum paucis post electionem diebus cum capituli consensu pro 1000. florenis aliqua prædia vendere coactus est. Multis controversiis implicitus multas calamitates expertus est. Primam molestiam creavit Rudolphus Hüslius Turicensium clericorum quidam, qui ecclesiam parochialem Tucconiæ, cuius patronus erat abbas Fabariensis, quasi vacantem per fas et nefas a ſede apostolica ſibi conferri curaverat, quam tamen Petrus de Griffensee iam dudum canonice possederat. Quocirca pontifex a BURCHARDO interpellatus anno 1393. datis ad officialem Basileensem litteris mandavit, ut litem iuxta leges ecclesiasticas componeret.

Longe acerbius malum intulerunt comites Werdenbergici intoleranda contumacia monasterium pessumdare adnisi, adversus quos abbas cum Hartmanno episcopo Curiensi die 3. Nov. eodem anno in Sargans fœdus pepigit, ac ipsummet Leopoldum Austriæ archiducem, qui tum opportune Vitoduri ſubstiterat; in ſubsidium vocavit pollicitus, castrum Wartenstein in casu necessitatis ei ac militibus ſemper refugii loco cedendum. Ex adverso Leopoldus, die 2. Decembris per litteras promisit, ſe Fabariam ſingulari ſtudio defensurum, mandans Engelhardo de *Winsperg* ſuo in Suevia prætori, et Udalrico de *Ems*, qui Feldkirchium gubernabat, ut requisiti ab abbate omnem monasterio opem ferrent. Non minor erat cum Udalrico Rhætiensi controversia, donec utraque anno 1396. arbitrio archiducis componeretur, qui negotium Ioanni Stœcklino prætori Feldkirchensi commisit, huic adiunxit BURCHARDUS ſuo nomine Petrum de *Unterwegen* et Conradum de *Ebbenberg*; Werdenbergici autem ſubmiserunt equitem Udalricum de *Amisio* ſeniorem et Oswaldum de *S. Ioanne*, qui die 7. Augusti

a) Crus. Annal. Suev. P. II. Lib. I. p. 7. *b*) Script. rer. Boicar. T. I. p. 643.

in Feldkirchenſi oppido decreverunt, Werdenbergicos tanquam Freudenbergæ dominos et Fabariæ advocatos Ragatii iudicium quidem ſanguinis exercere poſſe; cætera vero delicta, quæ morte non plectuntur, abbatis iudicio relinqui, cui duæ, advocatis autem tertia ſolum mulctarum partes ſolvantur: liceat Werdenbergicis in villa *Salvenens* vaccas nutrire, non autem paſtum proprium habere, abbas demum quoscunque malit villicos conſtituere poſſit. Acceptata utrinque hac ſententia anno 1398. die 28. Martii advocatia Donato et Friderico comitibus de Toggenburg pro 350. marcis in pignus tradita est, poſtquam præcedente anno 1200. librarum pretio Werdenbergicis erepta fuisset. Quod octo ante annos archiduci Leopoldo abbas promiſerat, anno 1401. fideliter præſtitit, quum ille adverſus Werdenbergicos arma ferens caſtrum Rhineggenſe obſideret, pro quo ſervitio eccleſiam in *Gambs* obtinuit. Redemtionem advocatiæ nuper factam Rupertus Rom. rex diplomate confirmavit die 6. Iulii anno 1408. ipſamque advocatiam imperio adnexam declaravit data abbati facultate, quem vellet aut nullum omnino advocatum denominandi *a*). Burchardus, poſtquam per 30. ferme annos fortunam ſatis iniquam expertus eſſet, die 20. Ianuarii anno 1416. e vita migravit.

XLV. Wernerus IV. de *Raitnau* hactenus cuſtodis munere defunctus ante ſuam electionem mox poſt *Burchardi* obitum ſtatuta cum ſuis confratribus iniit, quibus et dominium abbatis reſtringitur, et iura capituli vindicantur: concernunt ea potiſſimum expenſas faciendas, victum veſtitumque; legi poſſunt in codice probationum *b*). Sequenti anno 1417. cum Ioanne epiſcopo Curienſi ſynodo Conſtantienſi interfuit, ubi a Martino V. papa iurium confirmationem impetravit. Mortuus eſt die 1. Iunii anno 1435.

XLVI. Wilhelmus de *Moſheim* ante menſem Septembrem electus anno eodem, prout patet ex litteris concilii Baſileenſis IV. non. Sept. datis, quibus ſuppletur defectus iuramenti, quod fratres ante electionem iuxta ſynodi ſtatuta præſtare debuiſſent *c*). Hinc Geroldus Switerus *Wernhero* perperam ſubiungit *Nicolaum* a *Marmore*, qui iuſſu Eugenii IV. papæ nondum benedictus Deſertinæ abbas datus fuerit; præfuit quidem *Nicolaus* Deſertinæ, aſt nunquam Fabariæ. Vivere deſiit Wilhelmus die 12. Decemb. anno 1445.

XLVII. Fridericus de *Raitnau* ob bonorum diſpendia, quæ patiebatur, Nicolai V. papæ auctoritatem imploravit, qui anno 1450. abbatem Rutinenſem conſtituit, ut ope cenſurarum iniuſte læſa reſarciri curaret. Pecuniis deſtitutus Fridericus bona iuraque aliqua vendere debuit, vivis exceſſit die 22. Sept. anno 1478.

a) Cod. prob. N. CXIII. *b*) N. CXVI. *c*) Ibid. N. CXX.

XLVIII. Ioannes III. dictus de *Berge* antea decanus pius et prudens. Sub hoc abbate Georgius comes de Werdenberg anno 1483, die 2. Ianuarii comitatum Sarganenſem pro 15000. flor. ſeptem pagis Helvetiorum divendidit; qui mox die 5. eiusdem menſis per litteras cavit, ne dicta venditio Fabarienſibus ulla ratione obeſſe poſſit, quum ex eorum ditione nihil iuris ad comitatum Sarganenſem pertineat *a*). Paulo poſt obiit Ioannes die 3. Martii.

XLIX. Georgius ab *Erolzheim*, ſeu *Kränzheim* per annos quinque abbas fuit, defunctus die 21. Decembris anno 1488.

L. Melchior nobilis de *Hörlingen* ex Feldkirch ſorte iniqua iactatus multa alienare coactus eſt. Anno 1495. die 20. Iulii morte amiſit diſciplinæ monaſticæ fulcrum *Wolfgangum* a *Nenningen*, qui ex monaſterio Weingartenſi in Fabariæ decanum poſtulatus fuerat *b*). Exeunte vero hoc ſeculo atroci bello Auſtriacos inter et Helvetios implicitus fuga ſibi conſulere debuit; in abſentis locum ſeptem cantones ſubſtituerunt *Wilhelmum* de *Fulach* Rhinovienſem Fabariam ea conditione adminiſtraturum, ut Helvetiis in ſignum ſubiectionis exactam bonorum rationem reddere teneretur. Melchior ex ſuo latibulo redux anno 1502. Sarganſii in vincula coniectus eſt; quo audito Henricus ab Hewen epiſcopus Curienſis facinoris auctores anathemate percuſſit, nec non Conradum de Marmore decanum cathedralem, Hartwigum Capaulium aulæ epiſcopali præfectum, et Henricum ab Altoſaxo ad Helvetios ablegavit graviter hortatus, ut abbatem e cuſtodia liberum dimitterent. Obſecundarunt illi his tamen ſub conditionibus: 1. Melchior libertati redditus id apud epiſcopum agat, ut excommunicati reconcilientur, 2. dominio Fabarienſi in perpetuum cedat annua penſione extra monaſterii diſtrictum contentus; 3. abbatis quidem titulo gaudeat, quin alius eo ſuperſtite eligi poſſit, adminiſtrator tamen a cantonibus poſitus nulla moleſtia afficiatur. 4. Aes alienum a ſe contractum ſua penu diluat: 5. eius promiſſa nulla habeantur. 6. Hæc ſi præſtiterit, in omni Helvetia tutus degere poſſit.

Biennio uſus hac qualicunque libertate Melchior die 19. Decembris anno 1504. defunctus et ad S. Leonardum ſepultus eſt.

LI. Wilhelmus II. de *Fulach* tanquam adminiſtrator adeo ſibi Fabarienſes devinciebat, ut lubentiſſime ab eis abbas acceptaretur. Pergratum id Helvetiis fuit, ſummus quoque pontifex Iulius II. anno 1505. eidem bullam ſubmiſit anteceſſorum more iura monaſterii confirmans. Aſt ſpem de ſe conceptam fefellit Wilhelmus vitam agens principi ſæculari magis quam abbati congruam ferme

a) Cod. prob. N. CXXIII. *b*) Heſs. Prodr. monum. Guelph. p. 215.

nunquam domi, ſed magno monaſterii detrimento ſemper foris circumvehi ſolitus. Eapropter cantonum iudicio abbatia dimotus anno 1514. ſuorum ope brevi reſtitutus fuit. Perrexit ut antea rem male adminiſtrare, dum anno 1517. die 29. Iunii a Deo ad rationem reddendam vocatus est.

LII. Iacobus *Ruſsingerus* Raperswilanus antea decanus ex gremio lectus abbas ruinam monaſterio intuliſſet, ni mali illius conatus ope divina fracti fuiſſent. Cœpit eo tempore novatio Zwingliana Helvetiam pervadere; familiare frequensque fuit Iacobo cum Zwinglio epiſtolarum commercium, cuius doctrinæ ſummopere favebat. Habuit quoque fratrem Marcum Ruſſingerum a fide Romana iam alienum, eaque de cauſa ex patria Baſileam profugum. Texit venenum diu abbas clanculum nihil non agens, ut novam doctrinam ſuæ ditioni ac ipſimet monaſterio inferret; nam inter alia advocatiam, quæ penes antiquos 7. Helvetiorum pagos erat, ſolis Tigurinis iam acatholicis commiſit, ſtrenue laborans pro fœdere Rhætorum cum Gallis ineundo, unde et annuam penſionem nactus est. Certe in Ragatienſi pago heterodoxi catholicis iam numero maiores eſſe cœperant. Quum autem Zwinglio defuncto ſecus res cederent, omnesque conatus ſuos irritos cerneret Iacobus, noctu relicto monaſterio aſſumtis ſecum pretioſis quibusque Maiævillam aufugit circa annum 1533. Præfectus Sarunetenſis illico de facinore a Fabarienſibus certior factus ſenatum Maiævillanum hortatus est, Iacobum transfugam remitteret, aut ſaltem receptu excluderet, niſi cantonum indignationem ſibi accerſere mallet. Maiævillani rebus ſuis proſpecturi abbatem monuerunt, ut alibi ſuæ ſaluti conſuleret. Is ſpiritu ſaniore concepto in monaſterium rediit peramanter a ſuis receptus, atque ſub certis conditionibus etiam Helvetiis reconciliatus: præprimis ſpondere debuit, se nemini, niſi 7. cantonibus advocatiam commiſſurum *a*). Deficientibus interea multis a fide pagis, ubi Fabarienſes ſuos redditus habebant; neceſſarium fuit, decimas aliaque bona magno numero divendere, ut ſaltem modicum quid reciperent. Sperare licet, Iacobum vere reſipuiſſe, certe non legitur quidquam deinceps adverſus religionem molitus; ad thermas antiquas pontem multo labore conſtrui curavit, ac demum anno 1549. die 4. Martii vitam finivit.

LIII. Rudolphus IV. *Stukius* de Glarona in præſentia legatorum, quos tum episcopus Curienſis, tum cantones Helvetiæ miſerant, electus præſulem egit ingenio æque ac virtute conſpicuum. Huius vigilantia forſan factum, quum perplures annos decanum ageret, ne quis Ruſſingeri exemplum ſecutus a fide diſcederet. Facultatem ab epiſcopo et cantonibus obtinuit, eccleſiam Salva-

a) Conf. Ros. a Porta Hiſt. reform. T. I. p. 57. et 164. ſeq.

toris prope Curiam pro 350. flor. vendendi. Mortuus eſt die 27. Decembris anno 1564.

LIV. Fridolinus *Tſchudius* pariter Glaronenſis pedum incunte anno 1565. accepit. Hic ex cantonum conſenſu anno 1567. omnia iura et redditus, quos monaſterium ex Vatienſi pago percipere ſolebat pro 6200. flor. alienavit, et paulo poſt die 29. Nov. vita exceſſit.

LV. Ioannes Iacobus de *Moſheim* iura monaſterii in urbe Curienſi vendidit, nec agere iam aliquid abſque cantonum licentia potuit, quæ Fabariam quaſi ſibi ſubiectam aut ſaltem dedititiam æſtimabant. E vita migravit *Moſhemius* die 8. Martii anno 1570.

LVI. Heinricus II. *Weidmann* per annos quatuor præfuit; rem ſacram et profanam multum auxiſſe et ornaſſe dicitur defunctus die 16. Iunii anno 1574.

LVII. Udalricus II. *Roll* Raperſwilanus abbatiam undecim menſibus tenuit morte ſublatus die 20. Maii anno 1575.

LVIII. Bartholomæus *Spies* bona in *Mels* vendidit; a Rudolpho imp. bis ad comitia Ratisbonenſia evocatus refertur. Rerum omnino incurius fuiſſe videtur, nam Fabarienſes ex monaſterio Einſidlenſi œconomum petere opus habebant, quibus ſubmiſſus eſt *Ioannes Heiderus*. Deceſſit Bartholomæus 1. Novemb. anno 1584.

LIX. Ioannes IV. *Heiderus* ex oppido Wilenſi in Turgovia oriundus per ſexennium providus et ſolers œconomiæ Fabarienſis curator anno 1586. in præſentia legatorum ex cantonibus abbas creatus eſt. Bina domicilia e fundamentis extruxit, unum prope monaſterium, alterum Ragatii; omnia monaſterii iura et privilegia ex antiquis monumentis erui, et in unum volumen conſcribi iuſſit, quæ collectio novus liber aureus adpellatur. Optime de Fabaria meritus ad ſuperos abiit 5. Martii anno 1600.

LX. Michael baro de *Altoſaxo* Sarganenſis. Poſt ſeculi XVII. initia congregatio Helveto-Benedictina erigi cœpta eſt eo emolumento, ut monaſteria invicem alterum ab altero tam in ſpiritualibus quam temporalibus reſtaurari et fulciri poſſent. Conſilii auctores fuere illuſtriſſimi abbates Bernardus S. Galli, Auguſtinus Eremi, Ioannes Iodocus Murenſis, et Benedictus Fiſchinganus. Succeſſit ex voto negotium, primaque coniunctionis epocha fuit annus 1602. quo reapſe congregatio ſub titulo Conceptionis B. V. Mariæ coaluit, atque a Clemente VIII. papa adprobata et gratiis cumulata fuit. Felici huic nexui anno 1606. ſe etiam Fabaria inſeruit, atque ab eo tempore quaſi reflorere cœpit omnibus adverſis caſibus ſuperior.

Michael interim more principum vivens cumulavit ſumptus plerumque, ac par erat, ſplendidior. Anno 1612. comitiis a Matthia imp. habitis magno adparatu interfuit, et quamvis iurium Fabarienſium acerrimus defenſor eſſet, inutilibus tamen expenſis multa conſumſit. Ea de cauſa a congregatione Fabariæ adminiſtrator datus eſt *Auguſtinus Stæcklinus* Murenſis pietate, prudentia et eruditione præſtans, qui decanus conſtitutus collapſa quævis reſtauravit omnibus boni patris officiis ad amuſſim defunctus. Litterarum amans impigro labore congeſſit *Antiquitates Fabarienſes*, quæ manuſcriptæ extant adhucdum, quibusque uſi ſumus ipſimet. *Auguſtinum* in temporalium cura iuvit *Iodocus Hæslinus* ſtertente, ut videtur, Michaele, qui tædio forſan victus anno 1626. abbatiam reſignavit quatuordecim adhuc annis ſuperſtes.

LXI. Iodocus *Hæslinus* ultima menſis Auguſti die electus cultor Deiparæ virginis eximius, in cuius honorem Fabariæ et Ragatii confraternitatem roſarii, ut vocant, inſtituit, dieſque viſitationis et præſentationis eiuſdem penes ſuum populum feſtos voluit. Numerum religioſorum reſque monaſterii multum auxit, thermas ex ſpelunca acceſſu difficillima in comodiorem locum tranſtulit; monaſterii privilegia tam ab Urbano VIII. papa, quam a Ferdinando II. imp. confirmari curavit. Anno 1635. cum Ioſepho epiſcopo Curienſi conventionem iniit, vi cuius abbates Fabarienſes intra terminum a iure ſtatutum confirmationem et benedictionem ab epiſcopis Curienſibus petere, hique ſervatis ſervandis concedere teneantur. Sequenti anno Curiæ interfuit electioni Ioannis Flugii. Optime præfuit ultra decennium ac ſummo omnium mœrore carnem poſuit die 31. Maii anno 1637.

LXII. Beda *Fink* Solodorenſis vix 27. annos natus poſt *Iodocum* abbas evaſit, et a Ferdinando III. ſolitum protectionis cæſareæ diploma accepit. Violatoribus iurium ſuorum velut murum æneum ſe oppoſuit: ſic epiſtolam tutelarem, ut aiunt, a cantonibus tanquam advocatis ſubmiſſam recipere ideo detrectavit, quod aliqua ineſſent privilegiis monaſterii minus conformia.

Anno 1645. inſciis confratribus ac nemine ſimile quid ſomniante in Monte Angelorum abbatiam in manus DD. Viſitatorum reſignavit. Poſthac Fabaria diſcedens multis annis varia itinera confecit, donec ſenio ad reditum compulſus in ſuo monaſterio ad æterna profectus eſt anno 1691.

LXIII. Iustus *Zink* de Flumine a DD. Viſitatoribus proviſorie electus anno 1646. cum ingenti Fabariæ detrimento; neque enim ullus abbatum præcedentium tantum pecuniarum abligurivit, quantum iſte: ſucceſſive vendidit feuda, cenſus, decimas aliaque iura Igiſii, Tucconiæ, Maiævillæ, Cicerii alibique, pro quibus

corraſit, ſi omnia colligas, ſummam 44950. florenorum. Ob rem tam male adminiſtratam a capitulo apud papam accuſatus, atque anno 1676. ab iiſdem, qui illum abbatem conſtituerant, depoſitus debita reliquit ultra 40000. floren. Abbatia privatus ſedem Raperſwilæ fixit percipiens annuam penſionem 100. aureorum, quibus non contentus quotannis tria plauſtra vini poſtulavit, tantumque frumenti, quanto opus haberet. Mortuus demum fuit nemine lugente die 11. Iunii anno 1696.

LXIV. BONIFACIUS I. *Tſchuppius* a *Surſee* Lucernenſis decanus Einſidlenſis die 8. Martii anno 1677. ad regimen Fabarienſe evocatus eſt. Fratres ſuo damno edocti, domeſticam penum unius arbitrio commiſſam facile perdi ſolere, anno 1689. die 26. Febr. cum ſuo abbate concordata iniverunt, quorum tenore is abſque expreſſo capituli conſenſu nihil maioris momenti adgredi aut ſtatuere, multo minus quidpiam alienare poſſit. Summa cum laude præfuit BONIFACIUS ita, ut hodiedum Fabariæ reſtaurator habeatur. Regalia imperii ultra 50. annos neglecta a Leopoldo I. imp. rurſus impetravit, debita 40000. flor. expunxit, plura ædificia, ipſumque monaſterii templum e fundamentis extruxit, et alia reparavit. Nihilominus tamen magnam pecuniarum copiam cum ingenti ſui deſiderio reliquit mortuus die 19. Nov. anno 1706.

LXV. BONIFACIUS II. a *Liliis* Lucernenſis electus die 10. Ian. anno 1707. Verum ante electionem capitulum ſtatuta edidit, quibus rei œconomicæ tutius conſuleret, inter alia ſancitum, ut abbas eligendus exequatur, quod a maiore capituli parte concluſum fuerit; ſingulis quoque trienniis tribus ex capitulo patribus dati et accepti rationem reddat, qui dein profectum vel defectum rei œconomicæ cæteris referre teneantur. BONIFACIUS altero menſe a Vincentio Bichio nuntio apoſtolico id obtinuit, ut omnes parœciæ monaſterio incorporatæ regulares evaderent, eo pacto, ut quos mallet abbas ſive ſeculares ſive regulares ſacerdotes pro iis denominare deinceps poſſet. Sunt autem Fabarienſes parœciæ Fabaria ipſa cum filia Vettis, Ragatium cum filia Valens, Mels et filia Vilters, Weiſſtannen et Wangs, Valleſtadium cum filia Quarten etc. Eſchen, Fläſch et Mayenfeld. Pro hoc favore 8000. flor. perſoluta. Præterea BONIFACIUS in extruendis thermarum ædificiis 100000. flor. conſumſit; ædificavit quoque eccleſiam in Valens, ſacella in Vaſon et S. Margaritæ, auxit ſacram ſuppellectilem, aliaque multa pro decore domus Dei peregit. Aerarium tot expenſis exhauſtum videri poterat; magna tamen æris numerati quantitas poſt abbatis mortem reperta fuit. Defunctus eſt die 30. Iunii anno 1725.

LXVI. AMBROSIUS *Molitor* Raperſwilanus abbas creatus die 12. Iulii eodem anno

disciplinæ amantiſſimus ac eximius verbi divini præco anteceſſorem ſuum in regimine iuverat. Nihil cura animarum antiquius habuit, quam ut promoveret, plura reſtauravit ædificia ſacra, præprimis eccleſiam parochialem in Mels, quæ 10000. flor. conſtabat; dehinc domum parochialem in Vettis, cui proprium paſtorem dedit, qui ibidem reſideret cum ingenti animarum fructu; antea enim pagus iſte per ſacerdotem ex monaſterio excurrentem in ſacris providebatur, quamvis et longiore diſtantia et viarum aſperitate aditu eſſet difficillimus. Mortalitatem exuit Ambrosius die 30. Aug. anno 1738.

LXVII. Bonifacius III. *Pfiſter* ex Tucconia electus abbas die 10. Septembris.

LXVIII. Benedictus *Boxler* princeps et abbas benignitate vix ulli ſecundus, cuius ipſemet teſtis eſſe potui, quum anno 1787. Fabariæ dies aliquot agerem.

CAPUT III.

MONASTERIUM MONTIS S. MARIÆ

IN VALLE VENUSTA ORD. S. BENEDICTI.

Ubi quondam *Vennones* ferociſſima gens teſte Strabone *a*) habitabant, ibi nunc Venuſta vallis eſt Vinsgovia alio nomine dicta, germanis *Vinſtgau*, prope Atheſis fluvii ſcaturiginem, unde etiam valli Atheſinæ, *Etſchthal*, adnumeratur. In ea regione ad Burghuſianum pagum iacet monaſterium, cui a Monte S. Mariæ nomen, celebris ord. S. Benedicti abbatia, quam Mariæmontanam dicunt, *Marienberg*.

Extat in hoc monaſterio codex ſec. XIV. conſcriptus a *Guiſone* quodam vel *Goſwino*, qui prioris munere fungebatur; is ex ſuperſtitibus monumentis hiſtoriam Mariæmontanam pro ævi ſui genio congeſſit, quam ſubſequenti ſeculo ineunte *Ioannes Iocherus* reſtauravit et auxit. Opus hoc, quamvis mancum ſæpe mutilumque ſit, in concinnanda tamen hiſtoria hac plurimum iuvit. Eiusdem apographum cum aliis monumentis anno 1788. abs reverendiſſimo D. abbate Placido accepimus.

Montis S. Mariæ hæc erat origo: ad ſeculi XI. finem in Taraſpenſi Oengadinæ inferioris caſtro quatuor floruere fratres *Eberhardus*, *Udalricus*, *Gebezo* et *Egeno*, quorum primus, quum eſſet improlis, Scolii ſeu in *Schuls* cœnobium conſtruxit, quod unacum fratre ſuo *Udalrico* Curienſi tunc epiſcopo variis prædiis ditavit,

a) Lib. IV.

quemadmodum non modo ex *Goswini* relatione, ſed etiam ex quadam *Alberti* primi abbatis charta colligitur de anno 1150. ubi Vitalis de *Stanuz* eiusque frater Chuno de illa esse familia dicuntur, *quam felicis recordationis* TRASPENSIS EBERHARDUS MONASTERIO, QUOD IN SCVLLE FUNDAVERAT, *tradidit* a). De hac fundatione aliqua refert Gulerus b). Post *Eberhardi* obitum monasterium fulmine, ut creditur, in cineres redactum est.

SERIES ABBATUM.

I. ALBERTUS ex monasterio Ottoburano accersitus primus abbas fuit postquam *Udalricus* defuncti *Eberhardi* primi fundatoris hæres combustas ædes e cineribus resuscitavit, quas Conradus episcopus Curiensis dedicavit nonis Iul. anno 1131. adiecta fuere varia prædia, quibus ſustentari monachi possent. Verum Schulsii, quas ob causas nescio, diutius tutis esse non licuit, igitur *Udalricus* alter fundator et ALBERTUS abbas Romam profecti ab Eugenio III. papa facultatem impetrarunt, cœnobium in vallem Venustam transferendi, atque in loco S. Stephani dicto ædificare primum cœperunt; collapsis autem ibi ſtructuris ſedem fixerunt in Monte S. Mariæ prope Burghusium anno 1146. ubi hodiedum abbatia ſubsistit.

Schulsii in monasterii mancipatu erat piscator Vitalis de *Stanuz*, qui monachis pisces ſubministrare tenebatur, hunc ALBERTUS cum familia ſua ſervitio exemit V. idus Martii anno 1150. ea lege, ut monasterio in necessitatibus constituto ope ſuccurreret, atque in ſingulorum de familia obitu quidquid charius hæc possederit, monasterio pendi deberet c). In conscriptis hac de re litteris ALBERTUS ipsemet primum se abbatem adpellat, notatuque dignum, quod præter quatuor monachos tres etiam conversi ſubscripserint, qui ex monasterio Ottoburano cum abbate venerant: *Sciendum est*, ſcribit Goswinus, *quod primi fratres huius monasterii recepti fuerunt de monasterio dicto Ottenburn, qui religiosam vitam hic plantaverunt, ferentes ſecum libros ſecundum ordinem S. Benedicti, qui libri usque hodie apud nos habentur.* Ad ſuperos abiit ALBERTUS III. idus Ianuarii anno 1152.

II. MARCELLINUS Ottoburanus, qui templum elegantiori formæ restituit a *S. Adalgotto* episcopo Curiensi anno 1154. dedicatum. Sub hoc abbate gesta fuere, quæ Egino iunior ab Amatia anno 1192. in ſcripto ſuo testimonio de monas-

a) Cod. prob. N. XLV. b) Rhæt. alp. p. 125. c) Cod. prob. loc. cit.

terii advocatia ennarrat *a*); hanc ſiquidem Udalricus fundator primum ipſemet adminiſtravit, dein vero, ne poſt mortem ſuam novella plantatio rapinis emungi tam facile poſſet, auctoritate *S. Adalgotti* provide conſtituit, ut ſemper penes abbatem eſſet, quem mallet eligere advocatum; electus autem nulli omnino rei, quæ monaſticen concernit, niſi accerſitus immiſcere ſe auderet: utque bona monaſterii magis tuta forent, advocatis peculiare quoddam prædium adſignavit. Advocatiam hiſce veſtitam conditionibus *Udalricus* commiſit ſuo conſanguineo *Eginoni* de Amatia ſeniori, qui lubenti eam animo ſuſcepit præſtito in manus epiſcopi ſacramento, ſe omni, qua par eſt, fide ac ſedulitate monaſterii res iuraque defenſurum. Acta ſunt hæc *S. Adalgotto* adhuc ſuperſtite, proin ante ann. 1160. MARCELLINUS autem abbas iam ante biennium obierat, nempe idibus Ianuarii anno 1158.

III. SWICKERUS itidem Ottoburanus, ſub quo monaſterium magna incrementa cepit; nam anno 1161. *Udalricus II.* fundator cum *Uta* coniuge, et *Udalrico* filio, nec non *Gebhardus* cum ſororibus *Irmengarde*, *Adelhaide* et *Hedwige* plurima Mariæmontanis prædia donarunt Burguſii, Schlinigæ, Nauderti, Eremuſii, Schulſii, Ardetii, Malſii ac aliis in locis ea conditione, ut quotannis in gratam beneficentiæ memoriam dies anniverſaria celebretur *b*). Defunctus eſt SWICKERUS XIX. Calend. Ianuarii anno 1162.

IV. GEBHARDUS pariter Ottoburanus pro ævi ſui more varias Europæ urbes peragravit, ut multorum Sanctorum exuvias colligeret; quo in itinere quum opportune in Monte S. Mariæ diverteret, præter omnem expectationem loci abbas electus eſt, quem variorum Sanctorum, præſertim S. Sebaſtiani M. et Panafredæ Virg. reliquiis decoravit.

Interea *Uta* Udalrici Taraſpenſis coniux piiſſima fœmina cum comite perquam religioſa *Berntrude* Ieroſolymam ad Servatoris noſtri ſepulcrum peregrinata in itinere obiit; *Berntrudis* pretioſa quaque dominæ ſuæ ſuppellectili onuſta triſtis rediit, quumque Udalricus uxoris cadaver anno 1163. ad Montem S. Mariæ referri ibique ſepeliri curaſſet, multis lacrimis et precibus ab eo petiit, ut tumulo ſacellum cum cella inædificaret, quod et fecit, adiectis redditibus, qui uni perſonæ alendæ ſufficerent. Itaque *Berntrudis* dictæ cellæ ad dies vitæ ſemet incluſit virtutum exercitio et pœnitentiæ operibus vacans. Sanxit quoque *Utæ* maritus, ut mortua *Berntrude* in eodem loco ſemper aliqua perſona ſive maſcula ſive fœmina pie ſuſtentari, atque ad charæ coniugis ſepulcrum terræ mandari debeat, quam inſtitutionem GEBHARDUS abbas ſuo chirographo ſtabilivit *c*),

a) Cod. prob. N. LX. *b*) Ibid. N. L. et LI. *c*) Ibid. N. LII.

atque ab Hezilone cancellario ſequenti anno tabulis publicis inseri curavit, in quibus illud notatu dignum occurrit, quod mulierum Deo in Monte S. Mariæ ſervientium mentio fiat; dicitur enim *Udalricus* cum coniuge et filio res ſuas donasse *abbatibus et monachis et aliis utriusque generis in Monte S. Mariæ Deo ſervientibus*, quæ verosimilius de parthenone Monasteriensi intelligenda ſunt, ubi *Uta* velum acceperat.

Triennio post ſeu anno 1167. bona permutavit cum Gebhardo Taraspensi *a*); Udalricus autem fundator anno 1169. monasterium ſuum cæsareæ tutelæ committens Ulmæ VII. idus Octobris ab imperatore Friderico confirmationis diploma obtinuit *b*); tum ipsemet cucullam induens in extructo a se monasterio monachus vixit atque die 24. Decemb. anno 1177. ad feliciorem vitam transiit. Eodem tempore *Theobaldus* parochus in *Schlanders* prædium ſuum *Fetani* Mariæmontanis donavit, cuius exemplum ſecutus *Arnoldus* comes de *Griffenstein* bona ſua in Maiis et Passyra eisdem contulit. Summus etiam pontifex Alexander III. monasterium edita bulla XV. Calend. Nov. anno 1178. in ſedis apostolicæ tutelam ſuscepit *c*). GEBHARDUS autem abbatis munere per ſexdecim annos ſtrenue functus in Domino obiit XV. Calend. Iunii anno 1179.

V. VOLKERUS I. vi ex monasterio Ottoburano protractus abbatiam Mariæmontanam plane invitus regendam ſuscepit, quam anno 1181. iterum dimisit, prius tamen a Lucio III. papa protectionis bullam X. Calend. Febr. impetravit.

VI. FRIDERICUS I. comes de *Ultimis* teste Goswino primus ex gremio lectus abbas anno 1181. patrem habuit eiusdem nominis, et matrem *Mathildem*, fratres vero *Udalricum*, *Arnoldum* et *Egenonem*, qui omnes monasterium multis beneficiis cumulaverunt, imo *Mathildis* mater filiis mature orbata ſeipsam Deo ibidem devovit. Primis mox annis FRIDERICO quædam controversia moveri cœpta. Gebhardus enim fundatoris Udalrici ex fratre nepos ægerrime ferens tot bona abs patruo ſuo Dei ecclesiis, præsertim Mariæmontanæ donata fuisse, eadem ſibi usurpare conatus est; opus erat episcopi auctoritate, cuius milites in castro Taraspensi trucidaverat, ut rediret ad officium; tandem anno 1183. in episcopi multorumque nobilium frequentia edito ſolemni iuramento omnibus ultro se abdicavit, quæ unquam ex bonis familiæ Taraspensis ecclesiis obvenissent *d*).

Orta insuper lis cum eodem episcopo Curiensi *Eginone* tum ob Monasteriense parthenium, quod ſibi ſubiectum abbas prætendebat, tum etiam ob ecclesiam Scoliensem, quam putabat iniuste ab episcopo possideri, et vi donatio-

a) Cod. prob. N. LIII. *b*) Ibid. N. LIV. *c*) Ibid. N. LV. *d*) Ibid. N. LVII.

nis Udalricianæ ad ſuum monaſterium pertinere. Pernegavit utrumque *Egino* queſtus præterea aliqua eccleſiæ Curienſis prædia abſque iure ad Montem S. Mariæ devoluta fuiſſe, quorum reſtitutionem vehementer urgere cœpit. Hinc abbas anno 1186. omne ius et in parthenonem et in eccleſiam Scolienſem dimiſit; epiſcopus vero ei parœciam Burguſianam ea conditione tradidit, ut eiusdem curam ſeu proviſionem ſemper ab eccleſia Curienſi reciperet, epiſcopo ſolita et avita ſervitia fideliter præſtaret ſubminiſtrando equos, vehicula, pelles hircinas etc. concluſum denique, ut apoſtolica huius transactionis confirmatio ab utraque parte procuretur *a*). Anno 1192. mortuus eſt Egino de Amatia ſenior, cui Udalricus de Taraſpo monaſterii advocatiam commiſerat; FRIDERICUS abbas illam nonis Februarii eiusdem filio cognomini tradidit *b*), biennio autem vix elapſo etiam ipse mortales reliquit V. idus Iulii.

VII. IOANNES I. Tuberii in valle Monaſterienſi natus reſtaurandis et ampliandis ædibus operam dedit. Poſtquam parœcia Burguſiana nuper abbatiæ adnexa fuit, ægre incolæ ferebant, paſtores ſibi monachos præfici queſti apud *Reinherium* Curienſem epiſcopum, *quod non deberent procurari in ſacris officiis, nec in ſacramento baptiſmatis, nec in ſepultura mortuorum a ſacerdote monacho.* Epiſcopus rem propoſitam diſcuſſurus clericorum in Venuſta valle conventum in vicina S. Valentini eccleſia indixit anno 1201. ubi præſente IOANNE rationibus partis utriusque auditis, conſultisque eccleſiæ legibus deciſum eſt, parœciam Burguſianam regi a monachis poſſe, ſicque populus compeſcitus ad obedientiam fuit *c*). Eodem anno V. Calend. Novembris *Reinherius* Mariæmontanum templum dedicavit. Interea ruſtici Corceſani, in *Cortſch*, pro lubitu in ſilva Montazenſi ad monaſterium pertinente violenter ligna cædebant: IOANNES cum Eginone Amatienſi advocato furtum hoc ad Albertum Tyrolis comitem detulit, qui ſapientioribus inter Corceſanos iniunxit, ut ſub iureiurando veritatem proderent; iurarunt illi ſaltus Montazenſis proprietatem ſolis Mariæmontanis competere, Corceſanos vero iniuſte ligna inde ſurripuiſſe. Igitur Albertus III. Calend. Auguſti anno 1209. lignorum cæſionem illis ſub graviſſima pœna inhibuit; anno autem 1213. monaſterio bona quædam in *Maiis* et *Hagenach* conceſſit, quo defunctus eſt IOANNES XIV. Calend. Maii. Rythmi tumulo eius inſcripti, virum virtutibus inſignem demonſtrantes, ſic habent:

Pauſat in hac tumba ſimplex lætabunda columba,
Clauſtralis gemma, virtutum nobile ſtemma,
Subtractus de væ IOANNES filius Evæ.

a) Cod. prob. N. LIX. *b*) Ibid. N. LX. *c*) Ibid. N. LXII.

Vos qui tranſitis, quid ſitis, ſi bene ſcitis;
Extremæ ſortis caſus perpendite mortis.
Omnia tranſibunt, nos ibimus, ibitis, ibunt.
Quisquis eris, si tranſieris, ſta, perlege, plora:
Sum quod eris, quod es ipſe fui, pro me precor, ora.
Quid ſis, quid fueris, quid eris, agnoscere quæris?
Obscœnum ſperma, vas fœtens, vermibus esca.

VIII. Cuno a comite Tyrolenſi V. Calend. Maii anno 1215. bonorum monaſterii confirmationem obtinuit *a*). Biennio poſt Honorius III. papa ratum habuit pactum, quod anno 1186. *Fridericus* abbas cum episcopo Curienſi de eccleſia Burguſiana inierat *b*). Vitam poſuit Cuno eodem anno 1217. die 1. Dec.

IX. Conradus I. ultra 36. annos præfuit, binas accepit a ſumma ſede bullas unam Honorii III. 8. idus Aug. anno 1220. alteram Innocentii IV. 11. Calend. Maii anno 1249. utraque monaſterium in ſanctæ ſedis protectionem ſuscipitur. Refert Goswinus Conradum Henrico de Amatia Eginonis advocati avo admodum familiarem fuiſſe, qui ſæpius, feſtis præſertim diebus, cum donariis ad prandium monachos inviſerit; obiit is anno 1250. relictis duobus filiis Eginone, quem nobilis quidam de *Reichenberg* in loco *Craz* interemit, et Alberto, qui ob voracitatem comeſtoris agnomen ſortitus eſt.

Episcopus Curienſis graves pecunias a Mariæmontanis exigebat ad alendos, ut aiebat, ſumtus negotiorum Romæ tractandorum. Ea de cauſa Conradus Eginonem advocatum Romam ad Innocentium IV. papam miſit, a quo litteras nonis Maii anno 1251. datas ad præpoſitum Augeanum Tridentinæ diœceſis retulit, quibus episcopo Curienſi dictæ exactiones graviter inhibentur. Conradi obitus IV. idus Maii anno 1254. recenſetur.

X. Bero ſeu Vero plurimum a modeſtia et humilitate commendatur, qua permotus Henricus Curienſis episcopus parœciam S. Martini in Paſſyra monaſterio donavit XII. Calend. Aprilis anno 1259. addita facultate, quem abbas mallet ſecularem vel regularem illi ſacerdotem præficiendi *c*). Vivere deſiit Bero anno 1263.

XI. Conradus II. monaſterium cum laude rexit annis octo. Contigit, ut die feſto SS. apoſtol. Simonis et Iudæ duo de villa quadam venientes in cœnobii templo verberibus tam acriter se invicem exciperent, ut alter violenter necaretur. Quo facinore eccleſia violata dehinc die 17. Aug. anno 1270. iterata benedic-

a) Cod. prob. N. LXV. *b*) Ibid. N. LXVI. *c*) Ibid. N. LXXVII.

tione ab episcopo Curiensi reconciliata fuit. Mortuus est Conradus die 14. Decembris anno 1271.

XII. Conradus III. nobilis de *Ramuscia* Eremusii in Engadina inferiore natus primum ſacerdos ſecularis, dein in Monte S. Mariæ monachus, demum ad anni 1271. finem abbas creatus est. Multæ viro huic calamitates erant devorandæ. Primo incolæ Burgusiani per vicinum monasterii pratum *Serrad* contra fas viam publicam triverant muro die quadam dominica disiecto; abbas iniuria ad monasterii advocatos delata id obtinuit, ut Burgusiani facti veniam deprecari cogerentur: ne tamen agerentur in furorem, constitutum fuit, pratum a Maii medio usque ad S. Iacobi ap. festum claudendum, reliquo autem anni tempore omnibus illac iter concedendum esse; pro quo beneficio postea Burgusiani monasterio quædam pascua tradiderunt.

Dehinc atrocia passus est a Swikero de *Reichenberg* comitum de Amatia monasterii advocatorum hoste infensissimo, a cuius partibus erat etiam Fridericus de *Ramuscia* Conradi frater. Hi timentes, ne comites de Amatia a monachis ſubsidia essent obtenturi, die 25. Octobris anno 1274. intempesta nocte curribus et multo milite ſtipati ad portam monasterii convolant, dataque falsa fide ingressum postulant; abbas nil mali a proprio fratre ſuspicatus ianuam aperiri mandat, isti illico ingressi latronum more obvia quævis violenta manu diripiunt, et quos advexerant currus ſpoliis implent, frumenta corradunt, abigunt armenta, pinquemque rapinam in Reichenbergense castrum abducunt: ipsemet abbas a perfido fratre vinculis onustus militibus traditur in Telinam vallem abstrahendus, qui tamen in itinere multis affectus iniuriis in *Valderana* valle liber iterum dimissus est. Infami hac ſpoliatione monasterium, ſi ſolos equos, boves aliaque armenta numeres, amisit omnino 108. capita, qua re in tantam pauperiem immersum fuit, ut abbas cum omnibus monachis unico pro custodia remanente illud relinquere et alibi vitæ necessaria quærere exul cogeretur *a*). Mox autem et ultio divina raptores insecuta est; Fridericus enim in oppido *Glurns*, quum adversus Amatienses arma gereret, misere iugulatus est, eodemque fato etiam Swikerus obiit. Eodem anno Gosuino teste Mannes quidam de Ramuscia Mariæmontanis apud Nudertum annuam pensionem 100. circiter ovium et 200. ulnarum panni abstulit. Tanta calamitate permoti pii fideles largis eleemosynis et dotationibus inops cœnobium iuvare constituerunt: inter alios Pandolfus de *Lautsch* cum Gesa coniuge ſua anno 1287. annuos

a) Cod. prob. N. LXXXIII.

redditus ex prædiis ſuis adsignavit, ut ad III. nonas Decembres ſui memoria anniverſaria celebraretur.

Interim monaſterii poſſeſſiones variis tam eccleſiaſticis quam laicis perſonis ſub annuo cenſu elocare neceſſum fuit; plerisque vero illum reddere negligentibus monachi unde viverent, vix habebant. Neceſſitate proin adactus abbas Nicolai IV. papæ opem imploravit, qui X. Calend. Maii anno 1289. præpoſito Monaſterienſi per litteras mandavit, ut omnes, qui bona Mariæmontana ſub feudo adminiſtrarent, ad ſolvendos pactos redditus cenſuris eccleſiaſticis compelleret *a*). Egebant quoque lignis tam in uſus quotidianos quam ædes reſarciendas; hæc ut compararet CONRADUS pactum cum vicinis ruſticis in *Slus* iniit, vi cuius quavis hebdomada ſacerdotum unus ex monaſterio binas miſſas in ſacello S. Matthæi ibidem ſito celebrare adſtringitur; incolæ vero Sluſani ſufficientem lignorum copiam monachis ſubminiſtrare obligantur. Facta fuit iſta conventio anno 1292. ac demum 40. poſt annos a Curienſi episcopo confirmata.

Quandonam abbas cum monachis ab exilio redierit, certo non conſtat. Res domeſticas procuratorio nomine interim adminiſtrabat Arnoldus clericus de *Sindes*; rediiſſe videtur circa annum 1287. quo monaſterium paulatim reviviſcere cœpit. Curis tandem et ærumnis confectus meritis æque ac ætate gravis vivis exceſſit X. Calend. Martii anno 1298.

XIII. UDALRICUS I. *Conradi* frater tam ærumnarum quam dignitatis hæres fuit, nec enim huic licuit quieſcere. Monaſterii advocati Egeno et Udalricus de Amatia fraterne hactenus bona ſua ſimul poſſidentes ea inter ſe dividebant; gravis inde de advocatia lis exarſit, utroque eam ſibi vindicare conantibus. Offenſum quoque habuit abbas Sigfridum episcopum Curienſem, cui benedictionis abbatialis expenſas ſolvere detrectavit; episcopus vehementer exacerbatus Mariæmontanos ſacris interdixit, ita ut per annum et bimeſtre nullum in templo cœnobii officium divinum fieret, donec UDALRICI morte X. Calend. Ianuarii anno 1301. lapis offenſionis ſublatus fuerit.

XIV. B. HERMANNUS de *Schœnſtein* anno 1303. menſe Februario ab episcopo Curienſi Sigfrido ex Fabaria acceſſitus, et *Bertholdo*, quem Mariæmontani elegerant, episcopus vero repudiaverat, ſuffectus eſt. P. Placidus Keſſenringius in epiſtolis ex monaſterio Vinearum anno 1627. et 1628. Fabariam datis ſcribit, abbatem Montis Mariani *Udalricum* in excommunicatione deceſſiſſe, et quum monachi, quod inſuper habito excommunicationis impedimento ad electionem

a) Cod. prob. N. LXXXVII.

proceſsiſsent, ad id iuris inhabiles redditi fuiſsent, HERMANNUM ex Fabaria evocatum fuiſse, quum abbatia per 14.. ferme menses vacaſset. Iacobus autem Troilus Bolzanensis in fragmento quodam apud Stœcklinum manuſcripto aliam huius evocationis cauſam profert, nimirum inter Mariæmontanos non fuiſse virum temporis iniquitati ac negotiorum moli parem; fratres proin antiqui fœderis olim cum Deſertinensi et Fabarienſi monaſteriis initi memores, quo cautum, ut si uni ex his cœnobiis aptus cœnobiarcha deforet, nonnisi ex illorum aliquo abbas postularetur, HERMANNUM petiiſse. Aſt prior ratio ex P. Placidi litteris hausta temporis circumstantiis et veritati magis conſentanea eſt. Floruit HERMANNUS Fabariæ ſub abbate *Conrado* de *Ruchenberg* per aliquot annos rector Ragatii, uti ex charta quadam de anno 1297. colligitur. Genus eius viris famoſis non caruit, ſic iam ad annum 1208. legitur *Conradus* de *Schæstein* vir admodum bellicoſus pro episcopo Conſtantienſi adverſus S. Galli abbatem pugnaſſe, quo nullus teſte Conrado de Fabaria apud Goldaſtum in toto militum globo audacior: circa annum vero 1440. occurrunt *Lucius* a *Schænstein* et *Beatus* filius eius domini in *Friſchenberg* prope Saxum.

Vix trigeſimum ætatis annum egreſſus abbatiam ſuſcepit HERMANNUS. Comitati illum ſunt ad Montem S. Mariæ alii duo ex Fabaria monachi, a quibus in negotiorum et periculorum turma iuvaretur. Pius abbas primum diſſidia cum episcopo *Sigfrido*, et advocato Udalrico Amatienſi componere ſtuduit; iste paucis placabatur, plus vero laboris imo et ſanguinis conſtabat pax cum Udalrico ineunda: exprobrabat illi abbas modeſta magnanimitate iura monaſterii læſa et bona direpta, quumque nil proficeret, *Ottonem* Tyroleos tunc comitem, cui erat gratiſſimus, in ſubſidium vocavit. Quo vix comperto Udalricus die 26. Auguſti anno 1304. famulis ſtipatus leone ferocior ad monaſterium venit, HERMANNUM captum abduci iubet, et manus pedesque vinctum in vallem *Schlinigam* raptari; inſecuti abbatem monachi vi ac verberibus retruduntur. HERMANNUS fatur iniuriarum ultimam ſibi horam inſtare animadvertens *Pater*, inquit, *dimitte illis, tuos ſerva, Ieſu! in manus tuas commendo ſpiritum meum!* hæc dicens capite truncatus in cœlos abiit. Udalrico ad parricidium ſatellites fuere, ut refert Iacobus Troilus, nobiles Gebhardus de *Taraſpo* et Hardego de *Lautsch*; necnon Alberiſius Udalrici nothus, Florinus perfidus et ingratus monaſterii famulus, Malavacca de *Schluderns* et advena quidam Neſtus. Dicunt venerandum abbatem quum in articulo mortis copiam confeſſarii non haberet, peccata ſua Hardegoni militi, ne qua in re ſuæ ſaluti deeſſet, confeſſum fuiſſe. Parricida perpetrato facinore monaſterii ſcrinia violenter effringens pretioſa quæque cum mo-

numentis diripuit, atque noctis medio in ſuum castrum Amatiense transferri iussit; monachi vero patris occisi corpus feliciter repertum ſummo cum luctu terræ mandarunt, quod etiam prodigiis claruisse perhibetur.

Sæpe iam laudatus Gosuinus prior libri cuiusdam meminit de monasterii rebus ac iuribus tractantis, de quo ſic habet: *In illo loco* (Taraspo) *invenitur liber ille incisus, de quo omnia prædicta inscripta ſunt in foliis et quadris, quæ incisio dicitur facta fuisse tempore occisionis D.* HERMANNI *abbatis, testimonium perhibente de hoc Venerab. P. domino Wysone abbate, qui eisdem temporibus fuit ecclesiæ custos, et de illo facinore fratribus multa referre ſolebat, qualiter ipse fuerit apprehensus, et ad ſacristiam violenter ductus, ut litteras et alia monumenta monasterii adsignaret; quibus ostensis et assignatis quædam ſecum abstulerunt et quædam dimiserunt, prout alias ſufficienter est declaratum.* Promisit præterea Gosuinus, se de passione et causis mortis B. HERMANNI ſcripturum; utrum fidem exsolverit, ignorarunt ipsimet Mariæmontani in litteris anno 1628. ad Stœklinum datis. Abbatis occisi pater ab *Alberto* monoculo Austriæ duce adversus filii ſui parricidam monomachiæ facultatem impetravit; ast certamen elusit Udalricus pœnitentiæ causa, quam ſimulabat, Avinionem profectus, unde a papæ pœnitentiario ab excommunicatione ſolutus anno 1308. rediit ſecum ferens epistolam, quæ pœnitentiæ publicæ eidem iniunctæ modum continebat tollendo ſcandalo ſat congruum, nisi hypocrita impœnitens decessisset *a*).

XV. IOANNES II. nobili ignoto tamen loco natus vir ſtrenuus et ad negotia promtus anno 1304. monasterium regendum ſuscepit varia calamitate et alieno ære permulto gravatum, cui ut meliorem fortunam conciliaret, res œconomicas laico cuidam Ioanni Balbo administrandas commisit eo felici eventu, ut nomina pedetentim delerentur. Anno 1307. bona iuxta ecclesiam S. Mariæ ſita vicino villico in feudum concessit, ut ſufficientem catinorum et ſcutellarum numerum quotannis monasterio persolveret. Multus in eo fuit, ut advocatia a comitibus Amatiensibus auferretur, quod die 10. Iunii anno 1311. tandem effectui datum est in urbe Meranensi coram magna nobilium frequentia; ibi Margarita Udalrici parricidæ coniux cum ſuo minorenni filio ſuasu Conradi de *Kirchberg* et Udalrici de Asperomonte advocatiam Mariæmontanam publice resignavit, quam Henricus Bohemiæ rex et comes Tyrolis feudi nomine ſuscepit. Præter iam dictos transactioni consenserunt Burchardus de *Ellenburg*, Conradus de *Auenstein*, Petrus *Trautsun*, Rupertus de *Lechsberg*, Henricus Marescallus de *Laubers*, et Wiltinus de *Schrofenstein*.

a) Cod. prob. N. XCIV.

Lætus hac mutatione IOANNES monaſterii ædes reſtauravit, novaque ædificia, inter alia ſacellum B. V. Mariæ cum aris quibusdam extruxit. Dehinc confraternitatem cum variis monaſteriis iniit; ſic anno 1316. hac ratione abbatiam S. Stephani vulgo *Weihenſtephan* eiusque præſulem Henricum ſibi devinxit: ſequenti vero anno per hoc mutuum caritatis vinculum se iunxit monaſterio S. Georgii in valle Oeni, et S. Magni in Faucibus ſeu *Füessen*, huic Goswinus, illi Henricus tunc abbates præerant. Quum autem continuis pedum doloribus agitaretur, ſibique alias a malis hominibus cavendum exiſtimaret, Wiſone tunc priore in coadiutorem ſelecto vallem Passyram petiit, ibique ſolitarius vixit usque ad diem 26. Iunii ann. 1320. quo mortales reliquit.

XVI. WISO I. iam occurrit die 23. Febr. anno 1320. cum Conrado priore in litteris confraternitatis, quam Bertholdus Augeani monaſterii prope Bozanum præpoſitus cum Mariæmontanis iniit. *Ioannes* tum adhuc erat in vivis, quod eius reſignationem et in Passyram ſeceſſum confirmat. In dictis autem litteris tria pollicentur Augeani, inprimis quemcunque ex confratribus Mariæmontanis, ſi Augeam adventarit, se tanquam proprium habituros ita ut, si aliquis citra abbatis licentiam diſcedat etiam vinculo excommunicationis ligatus, poſſit a præpoſito Augeano ſolvi. Deinde promittunt abbati ſpecialem habitationem et congruum famulitium, quamdiu eidem in Augea habitare placuerit; demum obligant ſemet bina anniverſaria quotannis pro Mariæmontanis celebraturos alterum pro vivis, pro defunctis alterum *a)*. Biennio poſt Rudolphus episcopus Curienſis IV. nonas Octobris pactum, quod ante octo luſtra *Conradus III.* abbas cum Sluſovillanis circa lignorum usum inierat, confirmavit *b)*.

Moris erat, ut homines malefici, poſtquam a iudicibus in *Nuders* capitis condemnati fuiſſent, impenſis monaſterii cuſtodirentur, et abducerentur ad ſupplicium, id quod multiplicis incommodi cauſa fuit. quo ut se expediret WISO anno 1332. Henrico Tyrolenſi comiti villam Muntaſcinam, *Müntaſch* obtulit. Circa idem tempus comitis coniux in favorem ſacellani ſui armatis quaſi precibus eccleſiam S. Martini in Passyra a Mariæmontanis poſtulavit, quum autem eſſet beneficium regulare, repulſam tulit; id tamen effecit, ut annuæ penſionis ſpecies quædam a monaſterio ad caſtrum Tyrolenſe perſolvi debuerit, quod onus poſtea anno 1344. a Ludovico Brandenburgico remiſſum fuit; prædictæ autem eccleſiæ cum monaſterio unio a. 1331. ab Udalrico episcopo ſtabilita *c)*. Legitur WISO in litteris 4. Aprilis anno 1336. quibus Bormienſes se Curienſis eccleſiæ feudales profitentur. Narrat porro de illo Goſuinus, quod fuerit præ-

a) Cod. prob. N. XCVI. *b)* Ibid. N. XCVII. *c)* Ibid. N. CI.

ſul piiſſimus, et pacis amans opprobria tam a ſuis quam exteris ſumma patientia et mentis tranquillitate pertulerit, cantum eccleſiaſticum conſcriptis eleganter libris in ordinem redegerit, remque domeſticam ingenti cum induſtria adminiſtraverit. Cæterum vix ullum erat calamitatis genus, quo non premebatur Wiso: denſa locuſtarum agmina, quæ regionem longo tempore depopulabantur, terræ motus, deciduæ ex montibus magna rerum ſubiectarum ruina nivium moles, ſæva lues, et continui perſtrepentium armorum tumultus eius regimen acerbiſſimum reddiderunt. Annus 1348. præ cæteris infamis erat, quo dira contagio vix ſextam hominum partem reliquit ſuperſtitem; in ipſo monaſterio omnibus peſte ſublatis ſolus abbas cum unico ſacerdote, diacono et acolytho incolumis evaſit, qui poſtquam 42. annos integros præfuiſſet, virtutum meritis et canitie multa venerandus octogenarius ad æterna tranſiit anno 1362.

XVII. Nicolaus *Innicha* dictus ex valle Puſtera oriundus ſua incuria monaſterium ferme nudum reliquit. Nullus illi erga fratres amor, tanta vero œconomiæ negligentia, ut ne tres quidem floreni penes eum reperirentur. Sub eo floruit ſæpe iam laudatus *Goſuinus* prior, quem Leopoldus archidux Auſtriæ die 1. Aprilis anno 1374. ſacellanum ſuum nominavit: in litteris ea de re datis ſummopere dillaudatur ob magnam vitæ puritatem, fervorem, devotionem, ingentemque zelum, quo diu noctuque tam cultum divinum quam diſciplinam in ſuo monaſterio et conſervare et augere adlaboravit *a*). Alias quoque Leopoldus Mariæmontanis beneficum ſe præbuit; anno enim 1376. eos a vini oleique vectigalibus immunes fecit; anno autem 1378. facultatem eiſdem conceſſit, quotannis ex Hallenſi urbe duodecim *fodras* ſalis evehendi *b*). Inglorius deceſſit Nicolaus die 19. Aprilis anno 1388.

XVIII. Albertus II. Bavarus vir pius ac providus comites de Amatia a violentiis cohibuit. Nam licet advocatia anno 1311. feudi nomine ad comites Tyrolenſes tranſierit; iſti tamen monaſterium divexare pergebant dominium vix non abſolutum in eiuſdem ſubditos exercentes, multiſque expenſis ac ſervitiis monachos prementes. Sed Albertus die 11. Nov. anno 1392. in villa *Budnau* ad montem Arolam Amatienſes conveniens tam firmis eos rationibus de iniuſtitia et violentia convicit, ut gravia ſervitia, gravioreſque expenſas, quas a monaſterio extorquere ſolebant, ultro remitterent, et monaſterii ſepta intrare poſthac vix auderent. Domum reverſus abbas congregatis omnibus ad diem 24. Nov. ſubditis rem geſtam expoſuit, qui unanimi voce eam adprobantes Alberto

a) Cod. prob. N. CX. *b*) Archiv. Mariæmont.

totique monaſterio tanquam ſuo legitimo domino fidelitatis et ſubiectionis homagium præſtiterunt. Egregie hoc in negotio abbatem iuvit Hartmannus Curienſium epiſcopus, qui iisdem ferme tricis cum comitibus de Amatia involvebatur, quibus tamen anno 1394. die 4. Nov. et ſecunda Februarii anni ſequentis Vitoduri coram archiduce Leopoldo se expedivit. Aderat ibi inter cæteros ALBERTUS abbas, pactique cum Amatienſibus initi confirmationem obtinuit *a*). Biennio ante Auguſto menſe iure confraternitatis se iunxit monaſterio S. Michaelis in diœceſi Tridentina Ord. S. Auguſtini, quod tunc Petrus præpoſitus gubernabat. Cæterum ſcribitur ALBERTUS diſciplinæ tenax monaſterium utut detritum ſua ſedulitate ac vigilantia in florentiſſimum ſtatum reſtituiſſe. Ad meliorem vitam tranſiit die 28. Sept. anno 1415.

XIX. HENRICUS I. *Vorster* in Tetnangenſi Sueviæ oppido natus ſub anni 1415. finem ad abbatiam promotus eſt præſul omni ex parte præclarus. Tertio poſt eius electionem anno 1418. totum monaſterium unacum templo flammis abſumtum fuit, quod brevi tempore HENRICUS iterum e cineribus ſuſcitavit. Primus porro fuit inter abbates Mariæmontanos, quem archidux Auſtriæ Erneſtus ſacellanum ſuum conſtituit. Mortuus eſt die 5. Iunii anno 1427.

XX. IBANUS de *Rottenſtein* reſignata S. Magni in Faucibus abbatia Mariæmontanam ſimoniace uſurpavit die 1. Iulii anno 1427. Iam enim die 6. Iunii canonice electus fuerat *Marquardus* de *Wanga*, ſed IBANO rem pecuniis agente cedere coactus eſt. Certe is Friderico Auſtriaco comiti Tyrolis 600. Ioanni vero Naſoni epiſcopo Curienſi 500. aureos dediſſe dicitur a Mariæmontanis; ne vero monachos nimium ſibi infenſos haberet, capitulo 400. marças Meranenſes promiſiſſe. Aſt tantum abfuit, ut promiſſis ſtaret, ut etiam monaſterii bona pro pecuniis corradendis alienarit, ac ſubditos emunxerit. Magna tamen monaſterii fortuna biennio nondum exacto diſceſſit Romam et Palæſtinam pro remiſſione peccatorum profectus. Redux ad S. Petri Weſſelbrunenſis ædes ſubſtitit, ubi pariter in abbatem aſſumtus aliquot annis præfuit, donec exilio mulctatus in Monte S. Mariæ diem 19. Maii anno 1439. ſupremum clauſerit.

XXI. MARQUARDUS de *Wanga* iam pridem legitime electus illico poſt *Ibani* deceſſum abbatiam pacifice obtinuit. Nihil de eo monumenta tradunt, niſi quod poſt ſtrenuos pro monaſterio labores die 12. Iunii anno 1433. obierit.

XXII. PETRUS I. *Püchele* de *Weiſſperiach* primus inter Mariæmontanos anno 1439. in ſynodo Baſileenſi mitræ geſtandæ licentiam nactus eſt. Munere ſuo præclare defunctus animam Deo reddidit anno 1458.

a) Cod. prob. N. CXII.

XXIII. Petrus II. legitur vir alacer, constans et iurium ſuorum propugnator fors nimium ſtrenuus. Quum enim aliquando ad monasterium reverteretur, ad pedem montis duos rusticos ex Burgusio obvios habuit, a quibus post quædam litigia humi ſtratus ſudibus ac ſaxis misere necatus est die 18. Maii anno 1464.

XXIV. Casparus ſolo nomine notus vix anno præfuit gravi morbo extinctus anno 1465.

XXV. Ioannes III. *Harter* monachus Montis S. Georgii in valle Oeni inferiore, quem Mariæmontani a Ioanne de *Freyberg* dicti monasterii tunc præsule abbatem postularunt. Laudatur a pietate et parsimonia, in vivis esse desiit anno 1472.

XXVI. Albertus III. ex illustri familia de *Brandisio* communi voto ex gremio abbas electus est anno 1472. vir impiger reique œconomicæ perquam ſtudiosus. Hoc tempore atrocis belli, quod Suevicum appellant, initia Vinstgoviæ multam perniciem crearunt anno præsertim 1498. et ſequenti, quum Tyrolenses Rhætis hostilia arma inferrent: ipsæ monasterii ædes tumultibus bellicis impletæ machinis et præsidio militari muniebantur *a*). Præterea moniales Monasterienses vi abductæ, annona consumta, vastata regio, pagi magno numero exusti, in pugna prope Glorium commissa trecenti nobilium Tyrolensium occisi in monasterii monumentis leguntur; quam cladem postea Maximilianus imperator quum cerneret, temperare ſibi a lacrymis non potuit. Albertus abbas ærumnis fractus vitam finivit eodem anno 1499.

XXVII. Henricus II. *Brendlinus* de Brigantia, quem graves discordiæ cum Paulo Zieglero Curiensi episcopo colliserunt, vocatis in dubium variis exemtionum iuribus, quibus cedere Mariæmontani constanter recusabant. Implorata Maximiliani Cæsaris auctoritate lis ad decennium ſpecietenus composita fuit Henrico interea anno 1513. defuncto.

XXVIII. Bernardus ex nobilibus de *Wahin* vel *Wahingen* vix annos triginta natus a Paulo Curiensi in arce Fürstenburgica ſolita benedictione abbas inauguratus est; ea occasione priora dissidia recruduerunt, quæ tamen rursus ad decem annos ſedata fuere. Quum reformationis ergo eo tempore res vix non omnis armis gereretur, monasterium multis exactionibus prædisque ferme emunctum fuit; nihilominus tamen Bernardus iusta parsimonia, ac diligenti providentia ædes restauravit ornavitque: litterarum amantissimus fratribus quoque earum amorem ſuo exemplo inspirare adlaboravit. Aliquibus ſynodi Tridentinæ ſessionibus interfuisse legitur. Septuagenario maior non mediocrem pecuniarum molem in metalli fodinas Scharlacenses profudit, quin vel tantillum emolu-

a) Sprecher. Pall. rhæt. Lib. IV. p. 100.

menti exinde colligeret. Mortuum aiunt in pago *Schluderns* die 15. Martii anno 1556.

XXIX. MARTINUS *Awartus* vulgo *Warz* ex Schleiſsensi ditionis Mariæmontanæ pago ortus duobus annis monaſterium rexit die 11. Auguſti anno 1558. defunctus.

XXX. CHRISTIANUS cognomine *Blas* ex *Schlinig* per annos plures episcopi Curienſis iuſsu parochus in *Mals*. Hinc dubitatur, utrum monachus unquam fuerit, utpote a legibus monaſticis et animo et geſtis multum alienus: magna penes ipſum, maior penes monachos erat vivendi licentia, ita ut ſub eius regimine monaſterium diſsolutioni proximum eſſet. Episcopus quidem Curienſis Ferdinandi imperatoris iuſsu monaſterium viſitare et inquietos monachos compeſcere voluit; ſed iſtis id iuris episcopo in Montem S. Mariæ competere pernegantibus imperator ea de re papam certiorem fecit, qui Romulum Pincium eccleſiæ Tridentinæ canonicum et Hieronymum de Hieronymis præpoſitum Bozanenſem ablegavit. Adventarunt legati anno 1560. atque tam abbati quam monachis ſaluberrima decreta propoſuerunt, quorum obſervantia ſancte licet promiſsa, nunquam tamen executioni data fuit. Poſt quadrimeſtre CHRISTIANUS die 21. Aprilis anno 1561. obiit.

XXXI. PHILIPPUS *God* a Ferdinando imperatore poſtulatus eſt ex noſtro S. Blaſii in Silva Nigra monaſterio, qui Mariæmontanis inhibuerat, ne ad novi præſulis electionem procederent veritus, ipſos monaſterium ſuum penitus interire paſſuros. Erat PHILIPPUS Lauffenburgo natus, præpoſitus in Bürglen, quem ſingulari cæteroquin prudentia apud ſuos commendatum Caſparus I. abbas anno 1561. ad Mariæmontanos tranſmiſit. Statim ab initio ob confirmationis et benedictionis iura cum episcopo Curienſi litigabat. Utraque diu protelata. In archivo Curienſi tamen legitur PHILIPPUS die 8. Sept. anno 1563. episcopo iuramentum præſtitiſſe; interrogatus poſtmodum ab episcopo Beato, eccur petere confirmationem omitteret? die 23. Martii anno 1571. reſpondit, ſe iam confirmatum et ſedi apoſtolicæ ſubiectum illa neutiquam indigere. Cæterum præſul induſtrius fuiſſe dicitur, qui nihil eorum intermiſerit, quæ in monaſterii commodum cedere viderentur: auxit rem domeſticam, adverſarios iuſta dexteritate ſuperavit, tantæque erat diſcretionis, ut ſuorum cuidam P. Hieronymo licentiam dederit pro parentum ſuſtentatione extra monaſterii ſepta degendi. Ex S. Blaſio in ſubſidium vocavit virum ſibi in paucis carum et fidelem P. Fridolinum, cuius conſiliis utebatur. Inter abbates Mariæmontanos primus provincialibus comitiis cum iure ſuffragii interfuit. Aiunt, illum defectibus quibusdam obnoxium fuiſſe, quorum recens adhuc apud Mariæmontanos memoria ſit; quinam fuerint,

annales non produnt. Vivere desiit anno 1571. die 12. Iulii. In eius tumulo hoc visitur epitaphium: *Hac tumba gloriatur venerandus dominus* PHILIPPUS GOD *Lauffenburgensis abbas postulatus ex cœnobio* DIVI BLASII *pontificalibus decorus, qui religione cernitur. Is opibus monasterium auxit athleta, dominus præpotens adversarios vicit. Anima Deo laudes promat! fiat! Anno M. D. LXXI.*

XXXII. LUCIUS ex familia comitum de *Schlandersberg* ſacerdos ſecularis zelo abbatis *Philippi* allectus die 21. Martii anno 1569. vota religiosa in Monte S. Mariæ publice emisit, a quo paucis post diebus prior creatus, tanta tunc erat virorum ibi inopia, ſuo munere per biennium ſtrenue fungebatur. Hinc pro meritis *Philippo* in abbatis dignitate ſubrogatus, mox ſequenti anno 1572. die 17. Augusti more ſolito benedictus fuit. Occurrit in litteris Curiensibus anno 1573. quo ad diem 15. Aug. bona quædam in feudum elocavit.

Desiderabantur eo tempore idonei animarum pastores, eaque de causa LUCIUS omnes ferme monachos ad munia pastoralia emittere cogebatur, quorum defectum ut ſuppleret, religiosos ex aliis monasteriis expetiit, quos inter præcipuus fuisse legitur Ioannes Ianuarius Ottoburanus. Mortuus est LUCIUS die 1. Octobris anno 1577. binis ſolummodo monachis intra monasterii ſepta relictis.

XXXIII. COSMAS *Zink* Hiffinganus S. Blasii monachus præter omnium opinionem abbas Montis-Mariani evasit. Quum enim a Casparo II. abbate nostro, qua de causa nescio, Oenipontem ad Ferdinandum archiducem mitteretur, ab hoc propter magnas dotes cum Caspari consensu monachis Mariæmontanis præesse iussus est. Advenientem COSMAM Oswaldus de Taraspo et Leopoldus Stachelburgius comites ab archiduce ablegati perhonorifice exceperunt. Diebus autem vix aliquot in monasterio transactis Oenipontem repetiit, ubi a Ferdinando inter consiliarios assumebatur. Redux benedictionem in propria ecclesia a Beato de Porta episcopo Curiensi, cui per litteras Mariæmontani ſupplicabant *a*), ſuscepit die 30. Nov. anno 1578. addita clausula: *ſalvis utrinque iuribus.* Nondum discesserat Beatus, quum Felicianus de Scala papæ nuntius adventaret unacum episcopo monasterii visitationem peracturus, qua occasione condebantur ſtatuta monasterii iuribus minus congrua; questus ea de re COSMAS apud archiducem, quo ſuccessu, ignotum. Brevi post lis mota a comitibus de Taraspo iurisdictionem abbatis in ſubditos arrodentibus, qua in causa ultra 150. annos postea dimicatum fuit; vicini quoque Engadinenses ius pascendi in monte *Sursas* controversum reddiderunt.

a) Cod. prob. N. CXLIII.

Interim omnia tentavit Cosmas, ut commiſso ſibi monasterio meliorem formam indueret; eum in finem adiutorem delegit ex fratribus Blasianis P. Philippum Frey Friburgensem: diſperſos per parœcias monachos intra claustrum revocavit, illorumque numerum adscitis tyronibus auxit. Aſt quinquagesimum vitæ annum necdum emenſus ad immortales abiit die 17. Ianuarii anno 1586. Inter eius ſcripta posthuma plura reperiebantur carmina, quæ humani corporis caducitatem huiusque vitæ miſerias depingunt, et Cosmæ in bonas litteras propenſionem teſtantur.

XXXIV. Leonardus *Andrius* Glurnsanus ſacerdos ſecularis ſub *Philippo* abbate anno 1570. votis religioſis ſe obſtrinxit, eosque fecit in virtute progreſſus, ut *Cosmas* ei prioris munus demandaret; tandem anno 1586. abbas a fratribus denominatus eſt inconsulto Tyrolenſi comite; hinc enata quædam difficultas ægre ferente principe ſuam auctoritatem tam facile poſthaberi. Electione enim patefacta illico miſſi Ioannes de *Hendl* et Leopoldus Stachelburgius comites, qui in abbatis electi mores et monaſterii bona inquirerent. Adveniunt ambo principis indignationem nuntiant, atque ut aliquatenus, quod citra eius voluntatem geſtum fuerat, emendarent, monaſterii claves ſibi extradi poſtulant; eas tamen illico abbati reſtituerunt tanquam traditi abs principe dominii indicium. Leonardus dignitate ſua pacifice potitus litem Engadinenſem de paſcuis in *Surſas* nuper motam feliciter compoſuit ſubditis Schliniganis incaſſum ſe opponentibus.

Interea Atheſinæ vallis nobiles et dynaſtæ Mariæmontanos mirum in modum vexare et lædere ſolebant, præſcindebant iura et proventus, domos et villas monaſterio adnexas vi occupabant, pro lubitu demum imponebant onera, indictiones, tributa. Abbas Sixtum V. papam ea de re certiorem fecit ineunte anno 1588. ſupplex, ut archiducem Auſtriæ Ferdinandum ad coercendam nobilium petulantiam litteris apoſtolicis hortaretur; egit id pontifex die 19. Martii hoc anno optimo cum ſucceſſu *a*). Leonardo hac procella defuncto altera longe diuturnior ſubeunda fuit: iam per ſecula abbates Mariæmontani epiſcopos Curienſes minus benevolos experiebantur, qui monaſterium alias exemtum ſuæ paſtorali poteſtati ex aſſe ſubiectum volebant varia tam in decimis quam ære quotannis exigentes: ſæpe in utramque partem altercatum, ſæpe lis ad ſedem Romanam delata fuit. Gregorius XIII. papa rem epiſcopo Vercellenſi aliquot ante annos decidendam commiſerat, eo autem defuncto nihil geſtum. Sixtus V. negotium cum plena poteſtate die 5. Febr. anno 1590. epiſcopo Comenſi iniunxit *b*), num quid effecerit, ignoratur; ſaltem diſſidium ultra octo annos pro-

a) Cod. prob. N. CXLV. *b*) Ibid. N. CXLVI.

tractum. Abbas causæ ſuæ robur additurus monasterii iura et præprimis exemtionem a potestate episcopali confirmari a Clemente VIII. petiit, a quo die 22. Sept. anno 1594. bullam impetravit, quæ postulata confirmat. Tandem anno 1598. nuntius apostolicus Ioannes de Turre cum nobili quodam viro, quem comes Tyrolensis ablegaverat, monasterium visitavit, ſimulque pro dirimendis cum episcopo controversiis operam ſuam condixit. Placuit consilium parti utrique, diesque indicta Feldkirchium 15. Decembris qua mutuæ concordiæ instrumentum confectum, quod vulgo *laudum Turrianum* dicitur, et tam episcopo quam monachis certas leges præscribit. Contendebat episcopus, Petrus Raserius tunc erat, plenam ſibi competere in monasterium iurisdictionem, ac proin ius visitandi, corrigendi, reformandi, et quidquid potestaris episcopalis foret, exercendi; deberi præterea ſibi quotannis certas decimas ſiliginis et hordei, necnon quamdam pecuniarum ſummam. Ex adverso abbas pernegabat utrumque multisque rationibus demonstrabat, monasterium ſuum ſedi apostolicæ absque medio ſubiectum potestati ordinariæ neutiquam ſubesse, et quod ſponte ſequitur, a dictis oneribus episcopo præstandis esse liberrimum. Ioannes autem delectus rei arbiter hunc in modum ſententiam tulit: monasterium Mariæmontanum reapse iure exemtionis gaudere; nihilominus tamen compellendum esse ad 450. florenos una vice episcopo persolvendos; pro benedictione vero et confirmatione abbatis episcopo nihil competere præter calicem cum patena pretii 25. coronatorum, ſumtus itineris, duos coronatos ſacellanis assistentibus, unum cubiculario et cancellario ſuetam, ut vocant, taxam. Ratione decimarum utrique parti perpetuum ſilentium fuit impositum.

Quamvis hoc modo pax diu expetita cum ecclesia Curiensi tandem restituta fuerit; intestinæ tamen in ipso monasterio discordiæ ſopiri tam facile non poterant, quamdiu inquieti aliqui ſupererant monachi, qui nec archiducis auctoritate, nec nuntii apostolici prudentia ſeſe coerceri patiebantur; donec illis in alia monasteria extrusis melioris vitæ viri ſubſtituerentur, quorum præcipuos anno 1602. ſuppeditavit Georgius abbas Weingartensis; præ cæteris laudatur vir incomparabilis *Matthias Langius* prior, de quo ſtatim plura. Id porro non prætereundum, quod Leonardus Ioanni Iochero notario apostolico in laboribus dederit, ut monasterii annales (ſeu si mavis quarumdam rerum compilationem) ante 200. circiter annos a Gosuino priore conscriptos ſuppleret: eadem hæc collectio est, cuius apographum cum monumentorum aliquorum fasciculo ſub finem anni 1788. a reverendissimo D. abbate Placido accepi. Exinde vero palam fit, nihil eorum intermisisse Leonardum, quæ vel ad ſpiritualem

vel politicam monaſterii felicitatem quidquam conferre viderentur; quumque pro componendis variis diſſidiis multi, ut fieri ſolet, ſumtus exigerentur, bona quædam alienare coactus eſt, quam lacunam ut ſarciret, ante obitum villam ſat pinguem *Pitz* pro 2250. flor. coemit. Demum moleſtiarum ſatur æternitatem adiit die 26. Febr. anno 1606. Eius epitaphium clauditur his verbis: *Regimen illius modo ab exteris modo ſubditis perquam inquietum ac moleſtum reddebatur; in quos autem culpa reiiciatur, expectandum iudicium.*

XXXV. MATTHIAS *Langius.* Eo decrementi corruerat Mons Marianus, ut unicus poſt *Leonardi* mortem ſupereſſet ibidem monaſticen profeſſus, cæteris, qui et ipſi perpauci erant, aliunde accitis; hinc inhibitum a papæ nuntio fuit, ne quis in abbatem eligeretur, re interim omni MATTHIÆ per tres iam annos priori commiſſa, qui ea de cauſa nomen *adminiſtratoris* obtinuit. Totus is fuit in colligendis undique tyronibus emortuum vix non conventum ſuppleturus, quos tam pietate quam litteris ſufficienter imbuendos primum tyrocinia monaſtica in aſceterio Weingartenſi ſubire iuſſit, dein vero Dilingæ philoſophicis et theologicis ſtudiis applicuit. Res ſucceſſit ex voto, ac pedetentim ſufficiens religioſorum numerus confluxit. Aſt Georgius Weingartenſis ætate iam provectior MATTHIAM ſuum tanquam coadiutorem anno 1613. ad Vineas revocavit, qui ſua induſtria in Monte Mariano copiam 4151. flor. reliquit. Eius locum occupavit *Georgius Ochsnerus* pariter Weingartenſis, qui anno 1614. die 19. Auguſti controverſiam ſuſtulit iam ultra 150. annos cum comitibus de Taraſpo motam.

Circa hoc tempus Mariæmonte ſuæ eruditionis fundamenta poſuit *Ioannes Thuillius* in Prato maiore ditionis Schlinigicæ pago natus, qui poſtmodum eloquentia et arte medica tantum floruit, ut Paviæ eam publice doceret; eius biographiam edidit Iacobus *Tartarotti* de Rovoredo anno 1733.

Aliquoties peculiaris idiomatis Rhætici mentionem feci, quod etiamnum hinc inde Rhætis catholicis id detrimenti afferre ſolet, ut idonei paſtores deſint, qui plebem corrupta hac lingua verbum divinum edoceant. Idem tunc contingebat ditionis Schlinigicæ populo, quem linguæ Romanicæ, *Rumonsch*, adſuetum idioma teutonicum edocere adlaboravit.

Poſtquam vero Mons S. Mariæ aucto monachorum numero monaſterii faciem rurſus præſeferre cœperat; die 15. Octobris anno 1615. ad novi abbatis electionem ventum eſt, cui abbas Ciſterciensis de *Stams* et prior carthuſiæ in *Schnals* intererant: unanimi conſenſu ſors cecidit ſuper MATTHIAM antehac adminiſtratorem. Confirmatus eſt a Ludovico comite de Sarego nuntio aposto-

lico die 23. Martii anno 1616. dehinc benedictionem ab episcopo Curienſi petiit, quam quum is ob longius iter in monasterio conferre abnueret, eam Curiæ die 15. Augusti adsistentibus Desertinensi et Fabariensi abbatibus accepit. Monasterii ædes temporis iniuria detritas anno 1617. restauravit, novisque operis auxit, ſua prudenti parcitate varios redditus fundosque acquisivit. Annis 1620. et 1621. vicini Grisones se invicem bello conficiebant cum ingenti monasterii incommodo; coactus quippe est abbas ditionem ſuam militibus varioque belli apparatu communire: permolestum tamen hoc negotium ſuæ prudentiæ relinquebatur, quin certæ leges præscriberentur. A papa litis arbiter inter episcopum et canonicum de *Sayn* Curienses constitutus, etiam ipsemet cum dicto præsule causam habuit ob parœcias quasdam, quæ anno 1638. die 26. Nov. decisa est. Verum capitulo reclamante pro ſtabilienda concordia nuntii apostolici auctoritate opus erat, qua demum anno 1640. lis penitus ſublata fuit *a)*. Eodem anno die 20. Maii MATTHIAS ſeptuagenarius vivis excessit *b)*.

XXXVI. IACOBUS *Grafinger* natus ex nobilibus de *Saleggo* in *Seissenegg* prope Meranum electus est die 3. Iunii præsidente nuntii apostolici nomine *Matthia* abbate Griessensi, benedictus in Murensi Helvetiorum monasterio ab Hieronymo Farnesio, adsistentibus Murensi et Wettingano abbatibus; dominii demum ſecularis possessionem, ſeu investituram, nactus est Oeniponte abs Carolo Ferdinando archiduce. Paulo post antiqua cum episcopo Curiensi dissidia de iuribus exemtionis recruduerunt. Nuntius apostolicus Lucernensis, qui totus ab episcopi partibus ſtabat anno 1641. IACOBUM Curiam ire iussit rationem ibi ſuæ erga episcopum inobedientiæ redditurum. Verum abbas locum adsignatum ſibi ſuspectum ratus mature Fabariam cum tribus monachis et commissario ſeculari profectus est: nuntius Curiæ cum episcopo agens abbatem illico adesse voluit, ni pareret, pœnis canonicis coercendum. Ablegavit hic ſuo nomine P. Ferdinandum Wezelium virum gravem et industrium adiuncto, quem ſecum habebat, commissario. Advenientibus conditiones adeo duræ proponebantur, ut acceptari nullatenus possent. Igitur abbas re infecta domum rediit dissidiis interea non ſine ſcandalo perdurantibus.

Quamvis vero IACOBUS inter continuas lites valetudine uteretur valde debili, maxima tamen quæque gessit: novum extruxit templum, auxit monasterii proventus, multam collegit librorum ſuppellectilem, iuniores monachos in varias ſcholas emisit artibus liberalibus excolendos, in quorum gratiam peculiares

a) Archiv. Curiens. *b)* Hess. Monument. Guelph. part. Hist. p. 142.

ædes fundavit in emporio Bozanenſi, ubi inter fratres Prædicatores ſtudia theologica tum florebant. Confratres et advenas omni modo iuvit, non pro neceſsariis modo, ſed etiam pro decore abunde liberalis; multi etiam monachi Suevi et Bavari armis hostium pulsi in Monte S. Mariæ ſub hoc abbate assylum habuisse leguntur. Mors eius refertur ad Calendas Maias anni 1653.

XXXVII. FERDINANDUS *Wezelius* Wanga Sueviæ oppido natus die 3. Iunii anno 1594. tyrocinium vitæ monasticæ ſubiit in abbatia Weingartenſi, vota vero in Monte S. Mariæ ſub *Matthia* tum administratore emiſit. Dilingæ in ſacris litteris eos progressus fecit, ut postmodum Iuvavii publici doctoris munus ſumma cum laude gesserit. Ex palæstra litteraria redux in componendis litibus abbatem iuvit, dignissimus proin, ut ei die 13. Maii anno 1653. ſuccederet. Ab episcopo Curienſi nec benedictionem nec confirmationem percipere voluit, licet a Friderico Borromæo nuntio apostolico pœnis et canonicis et pecuniariis 500. ducatorum ad id compelleretur, quas is flocci habens ad ſedem Romanam appellavit ſuffultus a Sigismundo Tyrolis gubernatore. Hac ſua constantia Colonnæ cardinalis ope id effecit, ut anno 1654. die 31. Decembris ab ipsomet Innocentio X. papa confirmatus fuerit. Huius autem ſucceſsor Alexander VII. Antonio Curſino Brixienſi episcopo iniunxit, ut FERDINANDUM ſolemni benedictione inauguraret, quod die 31. Iulii anno 1655. factum. Anno 1656. die 17. Augusti monasterii tecta flammis consumta fuerunt, quibus restaurandis abbas multum æris impendit. Anno 1663. orta lues magnam hominum partem neci dedit; mortem declinaturus FERDINANDUS Meranum discessit, ibique post breve tempus die 8. Iulii defunctus est anno ætatis 69.

XXXVIII. FRANCISCUS I. Calternanus in valle Athesina natus patrem habuit Romani imperii equitem Franciſcum de *Bach* dominum in *Hausenheim* et *Bidenegg*. In Monte Mariano votis publicis ſe obstrinxit die 6. Ianuarii anno 1644. octennio post ſacerdotio inauguratus, pedum pastorale assumsit die 18. Iulii anno 1663. vir pacis ſtudiosissimus. Secunda fortuna uti videbatur, donec post annum 1680. bello Turcico tantopere monasterium emungeretur, ut multas decimas vendere neceſsum fuerit; damnum quidem postliminio abbas resarcire ſtuduit variis coemtis hinc inde prædiis, lacunam tamen explere non potuit. Cæterum monasterium ſuum auxit ædificiis, ac magno præprimis disciplinæ ſtudio illustravit. Quum Leopoldus imperator Oeniponte anno 1665. ſubditorum homagia exciperet, FRANCISCUS omnium illius regionis præſulum in hoc negotio vices gessit abbas non ſolum apud ſuos ſed exteros etiam vere magnus. Præfuit annis 42. ac demum 77. annorum ſenex in pace quievit die 28. Martii anno 1705.

XXXIX. Ioannes Baptista *Murr* anno 1666. ex *Laas* Vinstgoviæ vico oriundus *Franciſci* cognatus anno 1685. cucullam induit, quinto post anno ſacerdos erudiendis parvulis et curandis animabus unice intentus erat: adminiſtranda illi committebatur parœcia S. Martini in Passyra oppido difficilis, unde menſe Aprili anno 1705. ad infulam evocatus est. Benedictionem conſuetam obtinuit 7. Iunii Lucernæ a nuntio apoſtolico præſentibus Benedicto Angelomontenſi, et Ciſterciensi S. Urbani abbatibus. Summa erat erga omnes manſuetudine ac dilectione cultor disciplinæ probatiſſimus. Monaſterio multas vineas fundosque in Atheſina et Venusta vallibus adiecit. Inter multa præclare geſta duo præ cæteris notanda, primum, quod diſſidia, quæ ultra ſeculum inter Mariæmontanos et comites de Taraspo ob iuriſdictionem in ſubditos efferbuerant, anno 1714. tam feliciter extinxerit, ut reviviſcere amplius non poſſent: alterum, quod gymnaſii Meranenſis auctor exstiterit. Senatus Merani iam anno 1710. id emolumenti expetiverat, ut ſelectior iuventus in patria urbe imbui poſſet, deficientibus vero ſubſidiis neceſſariis ac re ultro citroque diu agitata tandem Ioannes anno 1724. tres ex ſuis Meranum transmiſit, qui modico contenti ſtipendio publice grammaticam docerent. Verum illico Vienna et Oeniponte adveniunt, qui inſtitutum cæſareo nomine inhibebant; Viennæ tunc opportune egit Blaſius III. congregationis Blaſianæ in Silva Nigra abbas, qui ſua dexteritate eo rem promovit, ut conſilium de erigendo Merani gymnaſio a cæſare ratum haberetur, tresque profeſſores illuc ex monaſterio emiſſi anno 1726. confirmarentur. Caruere per primos annos æde publica et in privato domicilio iuvenes informarunt; tandem dominus liber baro de *Ruffin* Meranenſis modo 6000. modo 2000. flor. liberaliter effudit, quibus ædes publicæ excitari poſſent; Ioannes vero nobile domicilium *Lebenbrunn* pro 7050. flor. coemit, quod interim palæſtra litteraria eſſet, donec Ruffina domus perficeretur, ſollicitus interea, ut præter grammaticam poëſin quoque et rhetoricam docendi facultas obtineretur, quam etiam impetravit anno 1728. ope cardinalis episcopi Olomucenſis comitis de *Schrattenbach*, cui P. Auguſtinus Magdus monachus ad Vineas theologus inſignis Ioannem commendaverat. His aliisque magno animo geſtis abbas in varios morbos incidit, tandemque ulcere ſuffocatus die 3. Septembris anno 1732. animam Deo reddidit.

XL. Beda *Hillebrandus* primam lucem aſpexit in Dieſenſi pago, qui urbi Merano vicinus eſt, die 11. Aug. anno 1694. pueritiam pecoribus paſcendis tranſegit; aſt Deo diſponente ſtudiis litterarum Oeniponte adplicitus emmenſo philoſophiæ ſtadio monachum inter Mariæmontanos induit anno 1719. ſequenti mox

anno ſacerdos. Postquam aliquid temporis diſciplinis theologicis dicaſſet, Merani primus rhetoricam docuit; inde revocatus priorem egit, donec die 6. Octobris anno 1732. abbas evaderet. Electioni præerant Auguſtinus abbas in *Stams* et Ignatius comes de Taraſpo: confirmatus eſt Lucernæ a nuntio apoſtolico comite Warneſio, benedictus vero Curiæ ab epiſcopo Udalrico die 17. Novembris eiuſdem anni. Is multis debitis, quæ anteceſſores temporum iniuria contraxerant, expunctis iurium defendendorum cauſa Vindobonam ac aliorſum profectus eſt anno 1755. Erat ibidem dominus de *Radif* Meranenſis locuples, qui anno 1736. in natali ſua urbe ſtipendium fundavit, quo octo alumni in eiuſdem loci gymnaſio gratis ſuſtentarentur; Beda vero poſt ſeptennium expenſis 10000. flor. pro quinque profeſſoribus ſplendidas ædes extruxit, civibus Merani 4500. flor. in hoc opus expendentibus ea lege, ut poſthac ab omnibus litterariis expenſis publicis immunes eſſent. Prior profeſſorum habitatio ſtudioſæ iuventuti tradita eſt, quam adhucdum occupant. Interim abbas, qua de cauſa ignotum, inteſtinis diſſidiis cum conventu collidebatur, ita ut anno 1747. pro pace reſtituenda nuntii apoſtolici auctoritate opus fuerit; ſequenti vero anno cardinalis Angelus *Guerini* ipſemet Mariæmontanos inviſerit. Beda per decem luſtra ſacerdos ſuæ ordinationis iubilæum celebravit die 21. Octobris anno 1769. quo ſolemne ſacrificium pro ſalute Mariæ Thereſiæ Auguſtæ obtulit, quæ pio ſeni litteris propria manu ſcriptis grates egit. Ad immortalem tandem vitam tranſiit venerandus præſul die 15. Aprilis anno 1771.

XLI. Franciscus II. ex patritiis de *Dinsel* Angerburgenſibus Ymſti natus die 28. Dec. anno 1728. litterarum elementa hauſit Oeniponte, ſtudia vero maiora complevit in ipſo monaſterio, cui per vota inſertus eſt die 8. Decembris anno 1746. ſacerdotio poſt quinquennium initiatus ingenti zelo animarum curam geſſit. Eius in abbatem electioni intererant Vigilius abbas in *Stams* et Aloyſius comes de *Sarenthein.* Litterarum amiciſſimus auxit bibliothecam, fratres iuniores in extera muſea emiſit, et methodum theologiæ perdiſcendæ aptiorem induxit. Anno 1780. Merani doctores logices et matheſeos inſtituit, qui tamen deficientibus fautoribus poſt annum redire compulſi ſunt: templum novis ſacris tribunalibus, ſuggeſtu et veſtimentis ornavit, magna fuit erga omnes charitate, infirma vero valetudine, cui die 28. Maii anno 1782. apoplexia tactus ſuccubuit.

XLII. Placidus *Zobel* die 30. Decembris anno 1750. Schwatii natus inter litteras adolevit tum Iuvavii tum Oeniponte; votis ſe Deo dicavit 1. Nov. anno 1769. quarto poſt anno ſacerdos, *Francisco* ſuffectus eſt die 12. Auguſti anno 1782. timentibus ultra bimeſtre Mariæmontanis, ne præſulis eligendi facultas illis dene-

garetur. Ad electionem Oeniponte ablegatus est Felix Kuenius comes. Recens electum die 1. Septembris inauguravit Dionyſius comes de Roſt episcopus Curienſis. Benigniſſimus hic præſul et ſuis epiſtolis et monumentis transmiſſis aliquoties me recreavit.

CAPUT IV.

MONASTERIUM S. LUCII

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Monasterium S. Lucii a primo Rhætiæ apoſtolo *S. Lucio* ſortitum nomen antiquitate cæteris præeminet; ſiquidem ante ſeculi VI. medium a *S. Valentiano* Curienſi epiſcopo fundatum eſt, quem anno 548. obiiſſe in parte prima retulimus animadverſione adiecta, cœnobium hocce primitus non a Benedictinis monachis cultum fuiſſe, ut perperam hactenus creditum a pleriſque fuit. Præterquam enim quod nulla Benedictinæ monaſtices veſtigia ſuperſint, nec vel unius abbatis memoria ullibi extet; antiquus etiam pergamenus quidam codex teſtatur, locum hunc *monachis nigri ordinis ſecundum* AUGUSTINUM *ab initio* traditum fuiſſe, qua adſertione multum confirmatur, quod alibi diximus, *S. Valentianum* clerum ſuum in S. Lucii ædibus vitæ regulari ſubiecisse, quemadmodum id tunc temporis a multis epiſcopis factitatum legimus.

Succeſſu temporis locus Fabarienſibus traditus eſt, penes quos exeunte ſeculo X. adhucdum erat, prout patet ex bulla Gregorii V. papæ anno 998. Leopoldo abbati data, in qua hæc leguntur: *ſtatuentes, ut ordo veſter monaſticus, qui ſecundum Deum et beati Benedicti regulam in veſtro* ET B. VALENTIANI PROPE CASTRA MARTIOLA, CUI PRÆSIDETIS, *monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur — obſervetur a)*. Hoc ipſum ſequiori opinioni anſam dedit, S. Lucii monachos ab initio Benedictinos fuiſſe.

Cæterum hocce monaſterium in loco eſt per quam iucundo; urbi Curienſi arcique epiſcopali prominens radicibus montis Mitteni adiacet, unde verſus meridiem non ſolum ſupra ſubiectam urbem, ſed omnem late circumfuſam regionem monteſque ampliſſimus et amœniſſimus proſpectus patet; ipſarum vero ædium

a) Cod. prob. N. XXIX.

ambitus perbrevis artificioſo ſplendore caret. Hic igitur loci, ubi pervetus templum est, primum clerici habitaverunt a *S. Valentiano* instituti, unde et *B. Valentiani* cœnobium vocabatur, dein Fabarienses Benedictini, demum canonici Præmonstratenses, quos *Conradus* a *Bibereck* episcopus Curiensis circa annum 1140. ex abbatia Roggenburgensi accersivit, quam ipse paucis abhinc annis cum fratre ſuo Bertholdo eiusque uxore Demuta fundaverat, cui proinde S. Lucium velut coloniam ſubesse voluit. Agunt ea de re Hugo Stivagiensis *a*), Bayrhamer *b*), qui multa de S. Lucii canonia refert. Plura damus ex archivo Benedurano hausta. Monasterium primo per præpositos dehinc per abbates regebatur.

PRÆPOSITORUM SERIES.

I. Haymo ſeu Aimo, quem Gerungus Urspergensis primus Roggenburgi præpositus cum certo fratrum numero Curiam transmisit *c*) circa annum 1140. Eius natales et gesta ignorantur; occurrit tamen in chartis. Eugenius III. papa VIII. idus Nov. anno 1149. canoniam S. Lucii eiusque possessiones confirmavit data Tusculani bulla, quæ Haymonem monasterii priorem vocat pluresque agros vineasque ad cœnobium pertinentes recenset; episcopus autem Curiensis *S. Adalgottus* anno 1154. Haymoni donavit nosocomium Curiense S. Martini, prædium Pradense in Corvantiensi tractu prope Plessuram amnem, aliaque a ſuis antecessoribus monialibus abstracta; remisit insuper decimas, quas ex fundo Rankwilano alias monasterium ſolvere tenebatur *d*). Ab eodem ſancto præsule curam monialium in *Caz* obtinuit *e*). Obiit anno 1156.

II. Vigilius primus virginum Caziensium prior *Haimoni* ſuccessit, qui primo ſtatim anno 1156. 27. Novembris bullam confirmationis ab Hadriano IV. papa impetravit; mentio in ea fit ecclesiæ S. Petri in *Prad*, nosocomii Curiensis, prædiorum in *Maladers*, *Umblix*, *Tumils* et aliis in locis. Aucti canoniæ redditus variis largitionibus: Henricus VI. imperator S. Lucenses ab omni teloneo et vectigali in tota Curiensi diœcesi liberos voluit *f*): Rudgerus de *Limbach* consentiente cæsare donavit divitem parœciam Beneduri die 22. Maii anno 1194. quam donationem ſexennio post Philippus II. ratam habuit *g*). De Rudgero Sprecherus narrat *h*), quod quum messis tempore filium manipulorum congerie ſuffocatum amitteret, votum fecerit, ſe ſancto illi, cuius festo die filium

a) Annal. Præmonstr. T. II. p. 103. *b*) Hist. Roggenb. p. 16. *c*) Annal. Præmonstr. et Bayrham. loc. cit. *d*) Annal. Præmonstr. T. II. p. 66. *e*) Cod. prob. N. XLVII. *f*) Annal. Præmonstr. T. II. p. 69. *g*) Ibid. p. 70. *h*) Pall. rhæt. p. 219.

invenisset, bona ſua Beneduri consecraturum; cadaver filii in festo S. Lucii detectum ac in eiusdem templo repositum fuisse. Præfuit VIGILIUS 52. annis æternitatem ingressus anno 1208.

III. CONRADUS ab Innocentio III. papa die 6. Maii anno 1209. litteras accepit, in quibus præter locorum ad monasterium pertinentium indicem illud memoratu dignum legitur, quod etiam S. Hilarii templum a S. Fridolino quondam prope Curiæ mœnia extructum inter bona S. Lucii numeretur, ibique virgines ſacræ habitaverint; nominat enim bulla *ecclesiam S. Hilarii*, *ubi moniales morantur inclusæ a)*. Exin colligere fas est, virgines illas a S. Adalgotto ſicut Cazenses ſtrictiori disciplinæ ſubiectas et S. Lucensium curæ commissas fuisse. Legi in quodam archivi Benedurani diplomate regio, quod CONRADUS Fridericum II. Rom. regem anno 1214. Augustæ Vindelicorum adierit ſecum ferens fundationis Beneduranæ litteras, quas auctoritate regia rursum ſtabiliri petierit, quod die 14. Febr. eidem concessum fuit: aderant cum Conrado episcopo Augustano Wolfgerus patriarcha Aquileiensis, Fridericus Tridentinus et Conradus Brixiensis episcopi; comites vero Albertus Eberſteinius et Burchardus Mannsfeldius. Arnoldus quoque Curiensis episcopus ſequenti anno facultatem CONRADO concessit, ecclesiæ Beneduranæ quem mallet ſive ſecularem ſive regularem pastorem præficiendi; inter alia charta de die 15. Iunii ſic loquitur: Ecclesiæ Beneduranæ *redditus episcopus contulit iam dicto cænobio* S. Lucii *propter penuriam rerum necessariarum et ad fratrum ibidem degentium*, *ac ſororum apud S. Hylarium comorantium ſustentacione.* CONRADUS præpositus haud diu post mortales reliquit.

IV. REINOLDUS anno 1220. vineam Curiæ prope S. Martini templum cum aliis bonis permutavit, ut maius ibi pro defunctorum ſepultura ſpatium ſuperesset. Eodem anno Udalricus quidam cum ſua coniuge Ludewica prædium ſuum et familiam S. Lucio dono dedit *b)*. Canonia hæc ab omnibus advocatiæ oneribus hactenus immunis erat, videbatque REINOLDUS, quanto ſuo malo tunc temporis monasteria advocatos alerent; quare provide et mature prospexit, ne ſuum cœnobium pari infortunio exponeretur, atque anno 1227. a Friderico II. Rom. rege Constantiæ petiit, ut illud ab omni advocatia in perpetuum liberum declararet, quod reapse die 20. Octobris edito diplomate clementer præstitit *c)*. Mortuus est REINOLDUS anno 1230. non demum 1232. ut Bayrhamerus ſcribit *d)*, eius enim ſuccessor iam anno 1231. reperitur.

V. HEINRICUS. Post huius electionem Albero de *Tinzen* familiam Velliam de Maladers cœnobio propriam ſui iuris esse contendebat; Berchtoldus vero episcopus

a) Cod. prob. N. LXIII. *b)* Ibid. N. LXIX. *c)* Archiv. Benedur. *d)* Pag. 39.

Curienſis cauſa diſcuſſa illam S. Lucio adiudicavit die 16. Ian. 1231 *a*). Eodem anno Waltherus de Vatio prædium a dominis de *Raitenberg* emerat, ex quo ſingulis annis ad S. Lucium aliqua penſio erat perſolvenda, quam Henricus epiſcopi hortatu pro quodam prato vallis maioris In *Maladers* die 27. Decembris dimiſit. Vivere deſiit anno 1249.

VI. Ioannes I. rerum ſecuritati proſpiciens iura in eccleſiam Beneduranam, unde potiſſimum ſuſtentatio fluebat, ſtabiliri ab epiſcopo Curienſi petiit, impetravitque idibus Decembris anno 1251. Anno ſequenti ab Udalrico de Asperomonte dono obtinuit bonorum illius partem in *Davos* et *Buchs*, anno autem 1261. bullam confirmationis ab Urbano IV. papa: duobus poſt annis concambium iniiſſe legitur cum præpoſito Curwaldenſi *b*). Interea Wilhelmus quidam ex Ragatio monaſterii bona in Vatio inferiore inter ſua prætendebat, quæ tamen Henricus epiſcopus anno 1270. die 28. Aprilis S. Lucio adſeruit *c*). Mortuus eſt Ioannes anno 1273.

VII. Bertholdus I. unico anno præfuiſſe legitur, nec quidquam præterea de eo memoriæ proditum habetur.

VIII. Ioannes II. præpoſiti munus ſuſcepit anno 1274. Occurrit in litteris Conradi epiſcopi Curienſis die 16. Aug. anno 1282. quibus eidem 220. libræ *mezanorum* promittuntur. Hemma quædam vidua anno 1283. domum ſuam cum fundis et binis cellariis canoniæ legavit, quibus Albertus de *Realt* vineam adiunxit *d*).

IX. Andreas I. novum templum conſtrui, ſeu potius antiquum renovari, et anno 1295. die 15. Octobr. dedicari curavit ab Emanuele Cremonenſi epiſcopo et Bertholdi Curienſis vicario. Aucta quoque prædia fuere anno 1296. Deceſſit Andreas anno 1299.

X. Bertholdus II. ſub quo *Sifridus* epiſcopus Curienſis in canonia S. Lucii monaſticen profeſſus fuiſſe ab aliquibus dicitur *e*).

XI. Albertus a Rudolpho de Bellomonte die 23. Aprilis anno 1311. pratum eo fine nactus eſt, ut ſemper nocturno tempore in honorem S. Lucii una lampas accendatur. Obiit anno 1312.

XII. Andreas II. legitur in charta parvi momenti ad annum 1318.

XIII. Conradus II. ob cauſam ignotam litigavit cum Ioanne de *Schauenstein*; concordia anno 1326. reſtituta eſt: rem quoque habuit prædii cuiusdam gratia cum Rudolpho Gemachio, ſententia in favorem præpoſiti lata die 24. Maii anno

a) Cod. prob. N. LXXI. *b*) Ibid. N. LXXVIII. *c*) Ibid. N. LXXXI. *d*) Archiv. Benedur.
e) Bayrham. loc. cit. p. 41.

1331. Dono acquiſivit agrum a Rudolpho Bratgeo Curienſi anno 1343. et paulo post mortales reliquit.

XIV. NICOLAUS I. de *Angs* anno 1347. pro anniverſario inſtituendo vineam accepit. Occurrit etiam anno 1349. Extat charta, qua ſenatus Curienſis cavit, ne in feudis S. Lucii iudicia exercerentur.

XV. IACOBUS I. tam donis quam emtionibus plura ſuo monaſterio acquiſivit. Andreas de *Planta* anno 1364. in S. Lucii templo anniverſarium fundavit. Legitur IACOBUS frequenter in litteris; litem movit canonicis Curienſibus anno 1371. die 17. Iunii ſedatam, emit quoque pratum *regium* in Trimontio.

XVI. UDALRICUS præpoſiti dignitate auctus est circa annum 1384. Adverſarium habuit Gaudentium de *Planaterra*, qui canoniam in prædiis et hominibus, ut vocant, propriis invaſerat; res anno 1396. die 17. Ianuarii pro UDALRICO a iudicibus deciſa est. Anno 1397. die 9. Auguſti Henricus *Schenk* de *Göſſikon* cum ſua coniuge Mechtilde de *Ortenſtein* fundos in *Umblix* S. Lucio tradidit, ut quotannis in perpetuum eorum celebris memoria fieret. Horum exemplum ſecutus anno proximo die 17. Iulii Fridericus comes de *Toggenburg* Breitengoviæ (Bretigeu) et Davoſii dominus donavit lacum ſuum Davoſianum ſupra *Pretſch*, ut etiam pro eo anniverſarium haberetur. UDALRICUS brevi post e vita migravit.

XVII. THEODORICUS, ſub quo Chriſtophorus de *Hertnegg* et Burchardus de *Schowenſtein* traditis fundis in *Haldenſtein* ſitis anniverſarium fundarunt die 25. Februarii anno 1404. ut ea die annuatim pro Hertwigo de *Valendauno* et Eliſabetha de *Haldenſtein* in S. Lucii templo ſacra peragerentur, ſecus dicta donatio ad noſocomium Curienſe devolveretur. Diſſidebat THEODORICUS ob penſionem vinariam cum præpoſito Curienſi Rudolpho de *Werdenberg* et decano Rudolpho de *Troſtberg*, quos anno 1409. die 2. Martii Hartmannus epiſcopus reconciliavit.

XVIII. IOANNES III. Curiæ die 16. Sept. anno 1413. a rege Rom. Sigiſmundo confirmationis diploma accepit, quod recenſet Hugo Stivagienſis *a*); qui perperam adſerit, IOANNEM eodem anno obiiſſe; extant enim litteræ de anno 1422. quæ illum adhuc ſuperſtitem referunt, quibusque converſi laici Chriſtophori Kobler parentes die 14. Aug. prædium Sennwaldenſe canoniæ donarunt.

XIX. IODOCUS interfuit ſynodo Baſileenſi, cuius adhuc ad illum litteræ de anno 1433. haberi dicuntur.

a) Annal. Præmonſtr. T. II. p. 71.

ABBATUM SERIES.

I. IOANNES præeſſe cœpit circa annum 1450. Quum Ioannes abbas Præmonſtrati anno 1453. in ſua primaria et matrice abbatia generale capitulum celebraret, omnibus conſentientibus præpoſito S. Lucii eiusque ſucceſſoribus per litteras die 11. Octobris datas facultatem conceſſit, inſignia et dignitatem abbatum comparandi. Uſum itaque pontificalium in ſuo monaſterio IOANNES impetravit a Pio II. papa anno 1459. in ſubiectis vero parœciis anno 1462 *a*). Interim, quod omnibus ferme monaſteriis tunc evenire conſueverat, S. Lucio varia bona et prædia ab avidis vetiti lucri hominibus violenter ablata fuerunt; certior ea de re factus Calixtus III. papa nonis Nov. anno 1456. datis litteris abbatem Fabarienſem, decanum eccleſiæ Curienſis et præpoſitum Turicenſem monuit, ut unitis viribus ablata reſtitui curarent. Ortliebus quoque epiſcopus Curienſis pro emolumento canoniæ ſollicitus anno 1458. certas indulgentias conceſſit omnibus, qui aliquid ſubſidii ad illam ſuſtentandam conferrent *b*). Vixit adhuc IOANNES anno 1468. quo pactum iniiſſe legitur cum civium Curienſium aliquo in præſentia Nicolai de *Tax* cancellarii.

II. LEONARDUS in duabus chartis abbas occurrit; prima de anno 1471. die 28. Ianuarii illi vineam Trimontii adiudicat antea controverſam; per alteram ipſemet LEONARDUS dictam vineam die 15. Ian. anno 1475. Lamparto civi Trimontano in feudum hæreditarium ea lege conſignavit, ut quotannis ſtatuta vini nucumque quantitas S. Lucio perſolveretur. Præcedente anno 1474. eccleſia Benedurana conſecrata fuit.

III. IOANNES II. ab Alexandro VI. papa anno 1501. III. idus Iulii privilegiorum confirmationem, et anno 1506. V. Calend. Iulii a Iulio II. licentiam impetravit parœcias ſuo monaſterio unitas per quoscunque mallet ſacerdotes adminiſtrandi, dictæ parœciæ teſte bulla erant *Benedurum*, *Sennwald* dicta *Rottenkirch*, *Sagens* et *Ruis*, nec non filiæ *Pitaſch*, *Lax* et *Schleiſs*. Conſtituerat abbas monaſterii ædes pœne collapſas reſtaurare, quem in finem nuntios litteris de anno 1511. inſtructos emiſit, qui in diœceſi Curienſi ſubſidia et eleemoſynas colligerent. Obiit anno 1515.

IV. THEODULUS *Schlegel* Curienſis electus abbas anno 1515. Atro carbone notatur ab acatholicis præſertim a Dom. Roſio de Porta *c*). Reſtitit equidem is

a) Annal. Præmonſtr. T. II. p. 67. et Bayrham. Hiſt. Roggenburg. p. 59. *b*) Cod. prob. N. CXXI. *c*) Hiſt. reform. eccleſ. Rhæt. T. I.

plurimum novationi Zwinglianæ, quo factum, ut quaſi patriæ proditor extremo ſupplicio affectus fuerit. Nos eius hiſtoriam damus ex epiſtola coævi *Ioannis Winterthur* ſacellani Feldkirchenſis ad amicum quemdam canonicum Roggenburgenſem data, prout illam ex monumentis S. Lucii hauſimus; ſic vero habet:

„Magiſter THEODULUS *Schlegel* legitime electus ac confirmatus abbas ad S. Lucii ord. Præmonſt. doctiſſimus eloquentiſſimusque vir annum ætatis circiter quadrageſimum agens, præclarus orator ad populum, ſingularis induſtriæ ac prudentiæ, probatiſſimæ fidei atque ſecundum epiſcopum Curienſem inter prælatos epiſcopatus facile primus, qui cunctis quidem, ſed vel maxime ex regionibus noſtris ad ipſum adventantibus omnia amicitiæ hoſpitalitatisque officia exhibuit, civis Curienſis, ibidemque ab honeſtis parentibus ac legitime ſuſceptus, quem Curienſes ac Griſones in quibuslibet difficilibus intricatisque negotiis conſuluerunt eiusdem ſanis ac prudentibus conſiliis uſi gaviſique; qui intra proxime elapſum triennium vitam ſuam pro confœderatis ſuis expoſuit, dum ſe capitaneo Muſſienſi (erat Iacobus Ioannes Medicæus Ioannis Angeli poſtea Pii IV. papæ frater), qui Griſonum ruſticorum multitudinem arctis cuſtodiis vinctam tenebat, quosque mortalium nemo intra 30. ſeptimanas vinculis eximere potuerat, maximo cum vitæ diſcrimine ſtitit, tandemque, licet magno cum labore ac difficultatibus plurimis ſuperatis ſanctiſſimus abbas carceribus liberavit. Hic inquam vir a Griſonibus moleſtiarum ac periculorum eorum cauſa exantlatorum id præmium retulit, ut nonnemo ex iis, quos carcere exemit, ſimulque unum conventus ſui membrum, in quo ſpem ac fiduciam ſuam omnem repoſuerat, uterque tamen prius ab avita religione ad novatores dilapſi, eum ad ſupplicia et mortem hoſtibus ſuis tradiderint.„

„Quodnam autem eius crimen fuerit, quas leges usque adeo violaverit, ex ſequentibus percipito. Senatus Curienſis eum aliquoties tanquam civem ſuum citavit, rogavit ac monuit, quin et tandem ſuperciliose minatus eſt, ut ab impiis ritibus miſſæque idololatria ac campanæ uſu abſtineret; quas minas ac monitiones quum ipſe pii catholici ac conſtantiſſimi cœnobiarchæ more magna cum dexteritate quaque pollebat prudentia eluderet ac diſſimularet; tandem mentem et ſententiam ſuam ad confœderatarum regionum comitia, quæ proxime cogenda erant, ſe relaturum aſſeruit.„

„Alterum crimen fuit, quod poſtquam conſanguinei ipſius aliique fidi amici conſpirationis contra ipſum certiores facti fideliter tam intra quam extra urbem hortati ſunt, ut Sanctorum reliquias, argenteam ſuppellectilem reliquaque monaſterii cimelia ad ſecura loca deportari curaret, ipſe vero nequaquam moras

Ss 2

traheret, ne quid ſibi, quale abbati ad S. Ioannis in Turtelio, contingeret; quod inquam cum præscitu et consensu ſui conventus prædicta in tutum receperit, idque non longius, quam ut intra diei ſpatium in monasterium reportari potuissent, præmonitis insuper aliquot probis Curiensibus, ut si quid ipsi humanitus vel per violentas manus contingeret, in locis a se nominatis prædicta requirerent. At vero ipse, quod nihil ſibi conscius esset, quodque metueret, ne si rusticanæ plebis Curiensiumque furori cederet, in cœnobium irruerent omniaque funditus everterent, quod plane futurum erat, si loco se movisset, a cœnobio ſuo recedere noluit. „

„Tertium ipsius delictum prætendebatur, quod postquam e domini Mussensis custodia Grisones liberavit, ſeque prudentissime ſolertissimeque gessit, necessitudo inter utrumque coaluerit datisque et acceptis litteris ſibi mutuo amice pacificeque ſcripserint, quod utrique regioni admodum conducibile et proficuum fuit. Quum autem Mussiensis toparcha domini marchionis Embsensis Brigantini ac Bludentini præfecti filio domino Wolfgango Theodorico ſororem ſuam (Claram Medicæam) nuptui tradidit; vitio versum est optimo abbati, quod ad nuptias profectis obviam processerit, et viæ comitatum præbuerit. „

„Mussiensis toparchæ frater accepto, quod Paulus episcopus Curiensis a rusticorum impetu et violentia tutus nequaquam foret, neque in animo haberet, ibidem persistere, ſecum ipso deliberavit et constituit, qua ratione episcopum Curiensem adduceret, ut ſibi episcopatum resignaret, quod tamen ſine capituli cathedralis nec non confœderatarum regionum consensu fieri nequaquam potuisset. Hanc mentem ſuam tanquam prudenti mediatori prælato per litteras aperuit, nec quidquam ultra in hoc negotio tractatum est. At vero Zwingliani, ubi id per proditores innotuit, abbatis indicio facto coniurationes et ſeditiosa consilia clanculum instituerunt adeo, ut ea, quæ circumcisionis festum nox præcessit, optimum abbatem ſomno ſopitum e cœnobio ſuo captum Curiam abduxerint, ibique in privati civis ædibus duabus catenis vinxerint, atque continenter a ſex ſervis custoditum usque ad divæ Agnetis festum diem attinuerint. Ad hæc tam Helvetiorum cantonibus et præfecto in Sargans, quam abbati Fabariensi canonicisque cathedralibus ſpoponderunt, nihil se contra illum porro ſuscepturos, priusquam comitia Grisonum Tavusii (Davos) coacta ad finem perducta essent: cœpere autem comitia ad S. Agnetis festum, finitaque ſunt proximo post diem festum ſabbatho. „

„His promissis quam fideliter ſteterint ex eo patet, quod abbatem ipso S. Agnetis die binis catenis vinctum coram iudicibus criminalibus ſtiterint atque in

hunc ſenſum accusaverint: 1. Quod res cœnobii ſui furtim de nocte et per nebulas avexerit. 2. Quod a Grisonum hostibus litteras acceperit iisque rescripserit. 3. Quod episcopatum divendere et patriam prodere cogitaverit. Accusatione hac percepta innocentissimus abbas THEODULUS per Deum ac divinum tribunal rogavit, liceret ſibi ipsi in causa ſua loqui, se paratum ad proposita ſatisfacere, prout virum cordatum ac integræ fidei decet; obsecravit insuper, ut quascunque litteras penes se reperissent, publice in iudicio legi curarent, innocentiam ſuam luce clarius eruendam. At universa et ſingula rotunde negata fuerunt; quam ob causam coactus fuit pro defensione ſua Curwaldensem quemdam adhibere, cuius responso finito is idem, qui contra abbatem accusationem instituit, ſequentem ſententiam tulit: abbatem nequaquam crimina imposita ad iuris exigentiam diluisse, quamobrem se ex cæsareo iure deprehendere ſentireque, prædictum abbatem mortis pœnam commeritum esse; maioris tamen ſecuritatis veritatisque discutiendæ necnon pravarum ſuspicionum avertendarum causa ad eos carceres abducendum, in quibus rei torqueri ſoleant, ibidem per tormenta quæsitum iri, quid criminis admiserit. Huic ſententiæ mos gestus est.„

„Itaque virum innocentissimum publice in ſupremo domus ſenatoriæ tabulato, quo magna hominum multitudo confluxerat, quoque in loco ab universis ſpectari audirique poterat, ipso die S. Agnetis vesperi ſub horam ſeptimam vestibus exutum usque ad indusium, detractis quoque pœne femuralibus appenso immenso ſaxo ad tectum usque levarunt, ſuspensum vero per duas integras horas reliquerunt, quod ſupplicium nulli latronum æqui iudices imponerent. His in tormentis doloris acerbitas ei huiusmodi cum clamore voces expressit: *Benignissime Deus! esto mihi propitius et misericors. Adsit mihi quoque hodie ſanctissima Dei mater!* Inter hæc duodecim armati bipennibus abbatem circumstabant, hastisque funem, e quo ſuspensus erat, identidem pulsantes ſtringebant; atque ut vocem efferebat, per ludibrium eum modo matutinas preces, modo primam modo tertiam etc. orare vociferabantur, modo missam ſub ſilentio celebrare asserebant. Circa nonam vespertinam ex hoc equuleo demiserunt, frigoreque tabescentem usque ad undecimam nocturnam denuo quater in altum levarunt eadem, qua prius, crudelitate, adeoque a ſeptima usque ad undecimam quinquies ad quæstionem admotus fuit, quibus doloribus fatiscente natura adeo defecit, ut in carcerem reportandus fuerit. Hic usque ad S. Vincentii, qui fuit veneris dies, circa ſeptimam vespertinam carcere eductum in custodia infamium reorum collocarunt, et denuo usque ad undecimam nocturnam quinquies appenso ad pedes incredibilis magnitudinis ſaxo usque ad turris, in qua carcer

erat, tectum elevarunt, indeque præcipitem laxato fune corruere fecerunt. Ita tortum ac nonniſi induſio tectum gelidiſſima tempeſtate ſcitula frigidæ plena perfuderunt, ita ut aqua in ipſum effuſa frigore concreverit: adhæc ſupra pavimentum cœmentatum nulla ſtragula ſubdita pernoctare iuſſerunt. Auxit autem non parum dolores vis frigoris, quod ea nocte maius fuit, quam reliqua tota hyeme frigoris vehementia. Quapropter ea viri patientiſſimi calamitas vel ipſius grammatei ſive tabellionis commiſerationem elicuit adeo, ut inter gemitus illi collacrymatus ſit, et dein humo ſuſtulerit tegeteque ſeu gauſape ſuo adverſus frigus communierit. „

„Inter quæ adverſa minime fractus abbatis animus adeo cœleſti ſubſidio confirmatus fuit, ut nihil ſe indignum locutus, nihil, quod veritati non conſentaneum, faſſus fuerit, prout in acta tabulaſque relatum eſt reperire; quin ipſe quem Tigurini de induſtria miſerant, carnifex adeo ſupplicii crudelitatem abbatiſque conſtantiam demiratus eſt, ut ſe plurimos in equuleo ſuſpendiſſe, nullorum tamen mortalium, ad quos ipſe perveniſſet, crudelitatem cum hac ruſticorum conferri poſſe, neque conſtantioris animi virum, quam hic abbas ſit, unquam deprehendiſſe teſtatus fuerit. Sub undecimam noctis cum ad carcerem ſuum ex infami, in quo tortus fuerat, ergaſtulo eum reducere cogitarent, nigro colore ſuffuſus, oculi ſedibus moti extra frontem prominentes, manibus pedibuſque linteo circumligatis apparuit; inde maximo cum cruciatu domum pertraxerunt. Cæterum litteras, quas penes optimum abbatem invenerunt, quoniam partim italicæ partim latinæ erant, in germanicum idioma a duobus Lutheri ſectam profitentibus altero quidem Petro *Gſchude* altero vero germanico ludimagiſtro Curienſi apoſtata, qui Tiguri illuc venerat, tranſlatæ fuerunt: hiſce duobus Curienſes negotium litteras revidendi vertendique commiſerunt; at a ludimagiſtro in alium ſenſum traductæ detortæque fuerunt, quam a Petro *Gſchude*, idque in magnam optimi abbatis perniciem. Ac licet Petrus *Gſchude* diſerte aſſeruerit, a ſe quoque litteras lectas fuiſſe, neque in eum ſenſum, quem ludimagiſter expreſſit, vernacula donatas; monitionem tamen atque atteſtationem ipſius Curienſes inſuper habuerunt reſponſo dato abunde ſibi ſatisfactum a ludimagiſtri verſione fuiſſe. „

„Et vide, quouſque Curienſium iniquitas ulterius proceſſerit: multi primarii viri ac abbatis neceſſarii quadraginta florenorum millia oppignorare ac deponere voluerunt, ſe videlicet, ſi abbas libertati reſtitueretur, eum ad quodcumque Curienſes cuperent tribunal modo indifferens ac minime partiale ſtituros, quod tamen Curienſes acceptare noluerunt, ſed diſertis verbis negarunt. De-

mum ſabbatho, quod S. Vincentii luci proximum illuxit, nulla ratione torturæ, quam constantiſſime et ſine ullius delicti confeſſione ſuſtinuerat, nulla litterarum a domino Muſſienſi ad ipſum datarum ac penes ipſum repertarum, quas nunquam in iudicio legi voluerunt, nulla inquam harum ratione habita morti ipſum nullius culpæ convictum vel reum adiudicarunt. Ea unica prætenſa cauſa fuit, quod S. Eccleſiæ fidem abiurare ſectariorumque mandatis obſequi nollet. Itaque carnifici ad eum locum, in quo ſontes capite minui ſolent, ducendus eſt traditus. Accepta mortis ſententia usque adeo fractis viribus fuit, ut progredi nequiverit, veritique fuerint, ne inter manus expiraret; quamobrem in via capite ipſum truncarunt. Dum autem duceretur, occurrentibus ac circumſtantibus ultimum valedicens per Numinis amorem obteſtabatur, ne antiquam ac ſanctam religionem desererent, qui vero ab ea receſſiſſent, ad eandem redirent, proteſtatus, ſe inſontem mori, cæterum hanc mortem pati velut probum Chriſti ſectatorem atque integræ fidei hominem.„ Demum Ioannes epiſtolam ſuam hunc in modum concludit.

„Quo tempore hæc Curiæ gerebantur, Tigurini legatum ſuum ſcilicet dominum a *Grimingen* illic habuerunt, qui licet laicus eſſet, ad confertam tamen plebis multitudinem publica in platea velut pro concione dixit, nequaquam dubitarent, abbatem THEODULUM eſſe mortem perquam commeritum, ut qui divinis eloquiis reſtitiſſet; pergerent modo intrepide ac ſine mora et cura neque hunc tantum, verum et quoslibet Dei verbo contrarios plecterent poſthabita quavis neceſſitudine vitæ fortunarumque ſuarum diſcrimine; dominos ſuos Tigurinos incolumitatem ipſis præſtituros adverſus quoslibet oppugnatores, etiam cum vitæ fortunarumque ſuarum impendio.„

„Quæ hactenus a me deſcripta narrataque ſunt gratioſe domine! dubio procul veriſſima ſunt, eaque univerſa a cœnobita S. Lucii integerrimæ fidei ſacerdote, dum hæc gererentur, Curiæ præſente quarumdamque rerum oculato teſte, ſpectatore et auditore cognovi. Mater abbatis piiſſimæ memoriæ eaque vidua ac probatiſſimæ vitæ Veldkirchii magnitudine doloris ac mœroris oppreſſa ad extrema deducta eſt; benigniſſimus Deus illius miſereri dignetur. Cædes hæc Curiæ contigit 23. Ianuarii anno 1529.„

Infami hoc æque ac glorioſo abbatis ſui ſupplicio mirum non eſt vehementer conſternatos S. Lucii aſcetas, et conſilii inopes, quo ſe verterent, ignoraſſe. Erat tunc ut vocant, *Pater domus* Ioannes Roggenburgi abbas, qui ægerrime tulit, quod S. Lucenſes THEODULI necem nuntiare eidem ſigillumque tranſmittere neglexiſſent; imo hanc negligentiam, quaſi ſpeciem contuma-

ciæ cuiusdam præſeferre videretur, verbis ſat gravibus exprobravit illis per litteras hoc anno die 7. Iulii datas ſeveriſſime inhibens, ne absque ſuo conſenſu vel abbatem eligere, vel bona alienare præſumant *a*).

Aſt ſuperflua hæc Ioannis providentia fuit, cives enim Curienſes illico ex ſuis quosdam conſtituerunt, qui ſenatus populique nomine monaſterii bona adminiſtrarent, donec anno 1538. die 12. Iunii confœderatorum iuſſu canonici ædibus ſuis pellerentur redditibus fœderi domus Dei in feudum traditis; canonici vero asportato ſecum clam chartophylacio Benedurum migrarunt.

V. Georgius *Teurſtein* duodecim omnino annis Beneduri in luctu transactis demum anno 1550. abbas denominatus eſt. Vir erat probitate morum, paupertatis amore et in adverſis conſtantia maxime conſpicuus *b*); ab imperatore Carolo V. Ulmæ rerum, quas miſeriæ reliquerant, confirmationem regiæque tutelæ ſponſionem obtinuit. Deceſſit Beneduri anno 1560.

VI. Christianus *Ganzman* eodem quo electus eſt anno obiit 1560.

VII. Michael I. *Paulinus* per decem annos præfuit mortuus die 8. Maii anno 1570. Beneduri.

VIII. Ioannes III. ſexennio abbas fuit, vitam poſuit anno 1576.

IX. Hieronymus *Huttler* per ſedecim annos varia incommoda expertus anno 1592. dignitatis ſuæ pertæſus relicto Beneduro in monaſterium Rothenſe ſeceſſit, ubi poſt 21. annos e vita migravit.

X. Matthæus *Agricola*. Quum canonici in eccleſia Benedurana numero eſſent perpauci, tenuesque haberent redditus; Roggenburgenſis abbas utpote Pater domus illuc ex ſuis miſit *Michaelem Bergmüller*, qui modicas abbatiæ ferme ad nihilum redactæ reliquias interim adminiſtraret; functus eſt hoc munere usque ad annum 1597. quo in illius locum ex Roggenburgo ablegatus fuit Matthæus, quem canonici abbatem crearunt. Verum nonniſi biennio ſua dignitate uſus anno 1599. Roggenburgum reverſus eſt *c*).

XI. Simon *Maurer* pariter Roggenburgenſis poſt *Matthæum* primo adminiſtrator dein anno 1603. abbas denominatus. Multum prudentia valuit; hinc Urſpergenſis Præmonſtratenſium conventus, prout in monumentis Beneduranis legi, illum circariæ imperialis Suevicæ præſidem creavit anno 1606. quem tamen honorem Simon recuſavit. Wilthinenſis prope Oenipontem abbatis zelo adiutus apud cæſarem, cui miſerias cœnobii ſui patefecerat, tantum valuit, ut anno 1622. in Lindavienſi transactione bona tam S. Lucio quam cæteris Rhætiæ abbatiis ſublata reſtitui mandarentur. Rhætis vero rem exequi tergiverſantibus

a) Cod. prob. N. CXXXVI. *b*) Bayrham. loc. cit. p. 89. *c*) ibid. p. 104.

Alexander *Scappius* tunc papæ ad Helvetios nuntius anno ſequenti menſe Decembri Curiæ vehementer pro maturando negotio inſtitit; abbas quoque Roggenburgenſis ea de cauſa in Rhætiam ablegavit Fridericum *Romelium* ſubpriorem, et Auguſtinum *Lindenmayr* qui illi a ſecretis erat. Hi omnes eo rem promoverunt, ut ligæ cathedralis præſides cum Maiævilanæ ditionis oratoribus die 7. Febr. Curiæ anno 1624. congregati ſanctorum Lucii et Nicolai in urbe templa per publicum inſtrumentum reſtituerint addita ſolemni ſponſione: ſe religioſos canonicos *in quieta poſſeſſione ac ſtatione in poſterum relicturos, neque moleſtiis aut oneribus gravaturos, nullos adverſum ipſos aut poſſeſſiones eorum tumultus vel turbas concitaturos, neque permiſſuros, ut a ſubditis quidquam ſimile adverſus prædicta cœnobia eorumque bona attentetur a)*. Cautum præterea, ut quidquid inde ab anno 1526. adverſus illa cœnobia inique geſtum fuerat, aboleatur.

Itaque SIMON abbas S. Lucii poſſeſſionem eodem adhuc menſe adiit; verum quod ædes adeo profanatæ vaſtatæque eſſent, ut niſi magnis ſumtibus reſtaurari non poſſent, ac Rhæti bona vi pacti reſtituere cunctarentur, conſultius hac vice duxit, poſt aliquot hebdomadas Benedurum reverti, ubi paulo poſt die 17. Martii non abſque veneni ſuſpicione mortuus eſt *b)*.

XII. GEORGIUS II. *Heinlinus* Marchtalenſis a præſulibus provinciæ Sueviæ, qui in oppido *Waldsee* convenerant, S. Lucii abbas creatus vitam traxit pauperem et amaram. Anno 1627. menſe Auguſto unacum abbate Fabarienſi interfuit electioni *Ioſephi Mohr* epiſcopi Curienſis, a quo poſt bimeſtre benedictionem abbatialem obtinuit, poſtquam per Ioachimi abbatis Rothenſis litteras eidem pro iſthoc beneficio ſupplicatum fuiſſet. Interim Rhæti bona, quæ S. Lucio abſtulerant, reddere pertinaciter negarunt; videtur GEORGIUS ipſiusmet Ludovici regis Galliarum maieſtatem imploraſſe, ut eius auctoritate ad officium compellerentur: legimus enim inter monumenta Benedurana dicti regis litteras die 13. Martii anno 1628. Pariſiis datas, quibus *Meſmimo* Gallico ad Griſones tunc legato iniungitur, ut Præmonſtratenſibus in Rhætia conſilio, auctoritate et ſubſidio adſit, quo facilius bona ſua recuperent. Nec omnis deerat conatui ſucceſſus, ſiquidem ſequenti anno cives Curienſes id ſaltem conceſſerunt, ut S. Lucenſes abdicatis præfectis ſibi obtruſis bona ſua ipſimet adminiſtrare poſſent. Eodem anno 1629. GEORGIUS peſte Beneduri extinctus eſt *c)*.

XIII. IACOBUS *Rauch* Roggenburgo in Rhætiam miſſus, ut domum Corvantianam adminiſtraret, ſub anni 1629. finem S. Lucii abbas electus nuntio nondum ac-

a) Annal. Præmonſtrat. T. II. p. 67. *b)* Roſ. a Porta Hiſt. reform. eccleſ. Rhæt. T. II. p. 488. et Baytham. loc. cit. p. 104. *c)* Ibid. p. 111. — 114.

cepto lue correptus obiit unacum ſocio P. Chriſtophoro; ambo eodem tumulo conditi.

XIV. Ioannes IV. *Coppius* prior Roggenburgenſis ineunte anno 1630. S. Lucii administrator ſubmittitur a ſuo abbate Michaele. Is collapſum cœnobium restaurare bonorumque reſtitutionem maxime urgere cœpit, ſocium in hoc negotio nactus P. *Ioannem Widenmann*, qui Corvantiæ præerat. Utrique dies conſtituitur 23. Auguſti, qua in trium fœderum comitiis pro re ſua agere poſſent ſuaque repetere. Adſunt ſtatuto tempore cauſam petitionemque ſuam litteris conſignatam offerentes; verum ne auditi quidem ad diem VI. Septembris repelluntur, qua illucescente ad comitia reduces iterum re infecta diſcedere ſunt coacti. De iniqua hac procraſtinatione certiores facti *Ioachimus* Rothenſis et *Michael* Roggenburgenſis abbates archiduci Auſtriæ ſub anni 1630. finem ſcripto ſupplicarunt, ut iuſtitiæ et religionis amore negotium hoc ſua auctoritate ad exitum perducere adlaboret; quid exinde geſtum ſit, non comperimus.

Ioannes *Coppius* demum a. 1636. S. Lucii cœnobium inhabitare cum ſuis cœpit poſt triennium abbas electus eo ipſo in loco extra urbis mœnia, ubi antea Theodulus *Schlegel* ultimum ſupplicium ſubiverat, quod Curienſes vehementer pupugit. Ab epiſcopo Curienſi anno 1640. benedictus monaſterii ædes, turrim, chorum et ſacriſtiam reſtauravit, tyrones ſuſcepit atque ad vota admiſit. Modica hæc melioris fortunæ ſpecies adeo in tranſverſum egit heterodoxos, ut invalidas licet abbatis vitæ inſidias ſtruxerint teſte Bayrhamero *a*).

Interea monaſterium Roggenburgenſe a milite Suecico direptum expilatumque fuit, *Fridericus* abbas a Ioanne ſubſidii quidpiam poſtulans in reſponſis tulit: deeſſe S. Lucio vel tantillum fœni, quo unica vacca alatur, canonicos perexiguis cenſibus pauperrime ſuſtentari, frumentum vinumque ex Beneduro parciſſimum advehi, totam regionem pecuniarum rerumque communi penuria laborare, nec ſupereſſe quidquam, quod pro ære acquirendo oppignorari poſſit *b*). Vera reſpondiſſe Ioannem vel ex eo patet, quod in maxima neceſſitate anno 1651. a quodam cive Curienſi 100. florenos ſub annuo 6. flor. cenſu et pignore cuiuſdam vineæ beneficii loco mutuos acceperit *c*). Circa hoc tempus P. *Franciſcus Doſer* Roggenburgenſis evangelium in Rhætia prædicavit, dehinc parochus Beneduri uſque ad annum 1661. quo Roggenburgi abbas evaſit. Eodem anno Ioannes inter mortales eſſe deſiit *d*).

XV. Florinus *Zarn* Amiſienſis Rhætus vota emiſit in S. Lucio, abbas electus eſt

a) Hiſt. Roggenb. p. 109. et Roſ. a Porta loc. cit. p. 611. *b*) Cod. prob. N. CLVIII. *c*) Archiv. Benedur. *d*) Bayrham. loc. cit. p. 101.

anno 1662. in conventu provinciali Roggenburgi habito. Hic poſtquam per 27. annos cum inopia rerum aliisque calamitatibus dimicaſſet, paululum reſpiraturus abbatiam dimiſit haud diu poſt defunctus anno 1689.

XVI. ADALBERTUS. Capitulum provinciale anno 1689. in *Oberkirch* congregatum reſignatione *Florini* acceptata decrevit, cœnobium S. Lucii abbati ſuſtentando impar alteri cuidam abbatiæ in provincia Suevica iungendum, ex qua tam priores quam religioſi transmittendi ac ſuſtentandi forent, donec locus ipſe Deo propitio ad pinguiorem fortunam excreverit. Quare abbas Roggenburgenſis tanquam *Pater domus* illico ex ſuis in Rhætiam abire iuſſit priorem P. *Adalbertum Wanner*, quem anno 1694. excepit P. *Adrianus Hueber*, qui præfecturam ſolum aliquot menſibus tenens eam relinquere debuit ſuo abbati Roggenburgenſi ADALBERTO, qui reſignata imperiali abbatia illam S. Lucii ſolam retinuit, quin in eadem conſtanter, ſed plerumque in *Breitenthal* ſubſtiterit, ubi ad dies vitæ adſignatam ſibi penſionem conſumſit, et anno vix elapſo S. Lucenſibus ſui loco priorem ſubmiſit P. *Alexandrum Kramer*; hic præfuit usque ad annum 1705. quo in parthenone Monaſterienſi, ubi aliquamdiu et ſpiritualem et temporalem œconomum egerat, defunctus eſt. Eius locum occupavit P. *Franciscus Keser* anno 1708. demortuus.

XVII. HUGO *Lindtner* de *Kolbenthum* abbatiam Roggenburgenſem, quam ante biennium nactus fuerat, anno 1713. dimiſit, ac illam S. Lucii regendam ſuſcepit usque ad annum 1717.

XVIII. MILO *Rieger* ſub *Hugone* œconomus ſingulari ſua ſolertia cœnobium meliori formæ reſtituit; quare Clemens XI. papa perſpectis illius meritis ex iure, ut aiunt, devoluto die 4. Aprilis anno 1717. eundem abbatem eſſe voluit. Magnæ hæc mutatio canonicis lætitiæ cauſa fuit ipſique epiſcopo Curienſi *Udalrico*, qui die 30. Nov. MILONEM ſolemniter benedixit. Merito hic abbas alter S. Lucii fundator et reſtaurator dictus meritis plenus ſexagenarius obiit die 5. Iunii anno 1725.

XIX. MARIANUS *Heiſs* ex gremio lectus infirma ſemper valetudine phtyſi per triennium laborans die 18. Dec. anno 1731. morte nimium accelerata ſuis eripitur annum ætatis 46. nondum egreſſus.

XX. MACARIUS *Mesmer* die 22. Ianuarii anno 1732. via compromiſſi abbas evaſit, benedictus die 20. Aprilis a *Iosepho Benedicto* de *Rost* epiſcopo Curienſi, poſtquam 12. annis gnaviter præfuiſſet, relicta abbatia anno 1744. Benedurum petiit ibi poſt ſex annos defunctus.

XXI. NORTBERTUS *Kaufman* electus die 22. Iunii anno 1744. obiit anno 1754.

XXII. Augustinus *Leuter* natus Algundi in Tyroli anno 1701. 23. Octob. vota religioſa emiſit in S. Lucio die 6. Ianuarii anno 1727. abbatis dignitate auctus 1. Martii anno 1754. Deceſsit die 9. Sept. anno 1782.

XXIII. Nicolaus de Rupe *Geyr* Einsidlensis primam lucem aſpexit die 15. Martii anno 1721. publicis votis ſe obſtrinxit die 11. Iulii anno 1745. omnium denique votis abbas denominatus die 30. Sept. anno 1782. Ampliſſimus hic præſul, quum anno 1787. ad ſuum monaſterium diverterem, mira me benevolentia complexus eſt conceſſa ſingula ſcrutandi facultate; cui humillima cum veneratione debitas grates refero.

SECTIO II.

ABBATIÆ VIRGINUM.

CAPUT I.

SCHOENIS

CŒNOBIUM PRINCIPALE NOBILIUM ORDINIS S. AUGUSTINI.

Inter Turicenſem et Wallenstadianum lacus ſupra Uznacum in Caſtris rhæticis iacet antiquiſſimus parthenon, quem virgines aliquot natalibus illuſtres incolunt abbatiſſæ principi ſubiectæ: loci nomen eſt *Schœnis*, *Schennis*, *Scandium*, *Scenisium.* Suſcipi ſolent in hoc cœnobium nonniſi ſex virgines domicellæ, quæ tam in paterno quam materno ſtemmate ſexdecim nobilitatis gradus lineæ rectæ numerant. Abbatiſſa, princeps D. D. Maria Anna de *Eptingen* anno 1785. gratioſe ſubmiſit monumenta aliqua, quæ poſt iteratum monaſterii incendium ſuperſunt; varia acquiſivimus aliunde, quæ tamen pro ducendo hiſtoriæ filo non ſufficiunt. Quæcunque ad manus ſunt, fideliter et ſuccincte dabimus.

Originem debet Schœnenſe parthenium Hunfrido Iſtriæ et Rhætiæ Curienſis comiti, qui anno 799. Carolum M. in Italiam ſecutus fuerat, a quo in fidei præmium particulam S. Crucis auro et gemmis ornatam accepit. Domum feliciter redux nobile hoc, de quo nobis ſermo, virginum cœnobium circa annum 809. in

honore *S. Crucis* et *S. Sebaſtiani M.* fundavit, in quo S. Crucis particulam repoſuit colendam a virginibus, quæ ibidem iuxta S. Auguſtini regulam viverent dies ſuos cantando orando legendo tranſigentes. Vixit plures per annos fundator, nam adhuc anno 823. a *Ludovico Pio* imp. unacum *Adalungo* abbate Romam ablegatus invenitur, ut in cauſam inquireret, quam *Paſchali* papæ Romani moverant *a*). Cæterum abhinc usque ad ſeculum XI. nec nomen abbatiſsæ, nec aliud quidpiam memoria dignum reperitur; monumenta flammis interierunt, reſervarunt tamen piæ virgines grato animo fundatorum ac benefactorum memoriam, quin et nomina eorum, qui advocatorum munere fungebantur. E re viſum, eos hic adponere.

Binos *Hunfridus* filios reliquerat, quorum alter Iſtriæ, Rhætiæ Curienſi alter præficiebantur. Poſterior hic erat *Adalbertus*, qui, ut videtur, patre adhuc ſuperſtite gravem pugnam exercuit ad pagum Cicerianum cum *Roderico* Langari comite: victoria feliciter potitus in grati animi teſtimonium ipſummet pugnæ locum Cicerium virginibus in *Schœnis* dono dedit iis procul dubio exceptis, quæ ad epiſcopum Curienſem pertinebant.

Adalbertum anno 846. defunctum excepit filius *Adalricus*; hic prole maſcula deſtitutus unicam filiam procreavit *Hemmam*, quæ *Arnoldo* comiti Lenzburgico nupta unacum paternis bonis etiam Schœnenſem advocatiam ad Lenzburgicos transferens filium genuit nomine *Adalricum*; dehinc maritum anno 911. defunctum in æternitatem ſecuta anno 915.

Adalricus poſtmodum uxorem duxit filiam *Waltheri* de *Kyburg* et *Schwanehildis*, quam ut facilius nanciſceretur, S. Crucis particulam ſponsæ parentibus donavit eo circiter tempore, quo anno 919. *Burchardus* Sueviæ dux arcem Kyburgicam obſedit. *Schwanehildis* devotionis ergo ſimulque fratrem ſuum *Udalricum* monachum inviſura in Augiam divitem profecta eſt ſecum ferens S. Crucem, quam frater ſibi ſuoque monaſterio a ſorore expetiit atque obtinuit die 7. Nov. anno 925.

Adalrico ſub annum 940. defuncto ſucceſsit filius *Udalricus* inter Lenzburgicos comites huius nominis primus, ſub cuius advocatia virgines Schœnenſes bona ſua in pago Ciceriano amiſerunt; erat enim *Udalricus* infirma ſemper valetudine, unde moliri in adverſum nihil poterat; obiit anno 970. relinquens filium annorum 18. *Arnoldum*, qui cauſam Cicerianam adverſus epiſcopum Curienſem tuebatur quidem, ſed irrito conatu imperatoribus epiſcopo faventibus *b*). Tandem *Udalricus II.* cog-

a) Pouquet Recueil des Hiſt. T. VI. p. 80. *b*) Conf. Part. I. p. 57.

nomine *Dives*, qui anno 999. patri in Schœnensi advocatia ſuccesserat, apud *Henricum II.* imp. id effecit, ut episcopus Curiensis anno 1005. die 28. Maii decimarum Cicerianarum partem virginibus cederet. Idem ab *Henrico III.* imp. obtinuit, ut abbatiam Schœnensem anno 1045. die 30. Ianuarii in ſuam defensionem ſuſciperet *a*). Diploma ea de re Turegi confectum demonstrat, parthenium eo tempore iam abunde ditatum fuisse; possederat enim præter Nulensem et Mellinganam ecclesias varios fundos et redditus in *Knonau*, *Wilen*, *Reitnau*, *Gisingen*, *Fröwis*, *Gözis*, *Estan*, *Zizers*, *Thosters*, *Bendern*, *Fælers*, *Bludenz*, *Slins*, *Wallenstat*, *Murg*, *Flue*, *Winklen*, *Kaltbrunn* et aliis, quæ triginta tria loca numerantur, unde Schœnenses decimas aliosve annuos redditus hauserunt. Concessa illis præterea fuit facultas libere eligendi abbatissam: *Prædictum monasterium*, inquit diploma, *et ſanctimoniales eandem libertatem, quam ceteræ regulares habeant — Decrevimus autem atque constituimus, ut eadem ſanctimoniales inter se liberam potestatem habeant eligendi abbatissam, cui a regia potestate idipsum committeretur officium.*

Udalricus dives de cœnobio optime meritus et gravis ætate carnem posuit anno 1047. advocatiam ſuscepit eius nepos *Udalricus IV.* qui anno 1051. coniugem accepit *Richenzam Ratbotonis* Habsburgici filiam. Is idem est, qui anno 1077. *Gregorii VII.* papæ legatos ſuasu imperatoris in vincula coniecit *b*); defunctus est anno 1081. relictis tribus filiis, quorum natu maior *Arnoldus IV.* advocatiam ſuscepit. Hic ſequenti mox anno comites de *Habsburg* bello persecutus Ergoviam magna ex parte devastavit, ſicque grave damnum bonis monasterii intulit, quod resarciturus anno 1085. virginibus donavit fundos in *Benken*, *Bilten* et *Wassebwangen* ea tamen conditione, ut ad dies vitæ ſingulis feriis ſextis in ara Deiparæ pro defunctis missa celebraretur, ac post eius obitum anniversarium; chartæ clausula ſic ſonat: *Si plebanus ſive abbatissa huius cœnobii hoc officium neglexerint, ecclesiastico beneficio priventur, atque ab omnipotente Deo anathematizentur, amen.* Plebanus tunc erat *Wernherus* aliquis, cui *Arnoldus* prædium ſuum in *Smitten* cesserat.

SERIES ABBATISSARUM.

I. REGILINDA ſub *Arnoldo* IV. advocato occurrit defuncta anno 1091. Utrum omnium prima præfuerit, non constat; vero tamen ſimile est, ante annum 1045. nullas in Schœnis abbatissas fuisse, quod ex diplomate *Henrici II.* imp. ſupra memorato erui posse videtur.

a) Herrgott. Geneal. dipl. Habsb. T. II. P. I. p. 117. *b*) Honth. Hist. Trevir. T. I. p. 424. etc.

II. Ita redditus parthenii ſui plurimum auxit; ea enim diſponente *Arnoldus* advocatus, qui etiam comitatum Badenſem in Ergovia tenuerat, et *Udalricus* ambo Lenzburgici anno 1097. quidquid iuris et poſſeſſionis in Caſtris rhæticis habuerant, monialibus tradiderunt: locus præcipuus erat pagus *Benken* comitum Lenzburgicorum in Caſtris ſedes, cui adnexum fuerat integrum territorium, quo olim comites Curwaldenſes ea in regione gaudebant. Huius donationis inſtrumentum ſeculo XIII. in vernaculam translatum edidit Herrgottus noſter *a*). Obierunt haud diu poſt ambo benefactores *Udalricus* anno 1101. *Arnoldus* autem anno 1103. relinquens unicam filiam *Richenzam Wernhero* Kyburgico poſtea nuptam; advocatia vero Schœnenſis tranſiit ad *Arnolfum* ſenioris *Rudolphi* Lenzburgici filium, qui ab *Henrico IV.* imp. confirmationis diploma impetravit.

Præterea dives quidam *Dominicus* Curwaldenſis uxorem, proles bonaque ſua anno 1127. virginibus in Schœnis perpetuo ſubiecit; loca, quæ in charta referuntur, vix interpretari poteris, v. g. *Genis*, *Mundelwil*, *Fraxnaza*, *Salomes*, ubi opimos agros prataque *Dominicus* poſſederat. Aſt *Arnolfus* quod eſſet animo in monaſteria minus propenſo, Itam multis modis afflixit, prout habendi cupido dictaverat; ſed provectior ætate iniuriarum pœnitens damna illata reſarcire ſtuduit, ſuumque prædium in *Urnen* parthenoni tradidit die 11. Aug. eodem anno, *quia* inquit *in præfata ecclesia* Schœnenſi *Deo ſervientes multis modis offendi.* Mortuus eſt anno 1131. relictis quatuor ex coniuge *Hemma* filiis, quorum natu maior *Udalricus V.* advocatiam cœnobii ſuſcepit, quam tamen improlis anno 1139. unacum carne depoſuit ad patruum ſuum *Wernherum* devolutam. Circa idem tempus Ita defuncta creditur.

III. Magdalena de *Heidelberg* utrum *Itæ* ſucceſſerit ſtatim, an alia fors interponenda ſit non conſtat. Nacta eſt regimen ſat diutinum, felix, liberumque a vexationibus advocatorum. *Adelheidis* comes de *Kyburg Wernheri* et *Richenzæ* de *Lenzburg* filia anno 1144. eidem dono tradidit terram illam, ubi nunc Wettingenſis abbatia eſt, adiectis redditibus in *Rütti* et S. Laurentii Mart. reliquiis, quin et ipſa poſtremos vitæ ſuæ dies in Schœnis tranſegiſſe credi poteſt, præcipue quum *S. Adalgottus* epiſcopus Curienſis teſte *Arnoldo* Moguntino parthenii reformationem ſuſceperit *b*); antea quippe more puellarum laicarum vivebant, prout idem adſerit, ſed pii antiſtitis cura et auctoritate in ordinem redactæ fuerunt *c*). *Wernherus* advocatus ſine prole obiit anno 1156. dimittens comitatum et advocatiam *Udalrico VI.* quem altero mox anno defunctum excepit filius *Udalricus VII.* qui *Friderico* Barbaroſſæ in oppugnatione Mediolanenſi præſto fuit.

a) Loc. cit. p. 228. *b*) Manrique Annal. Ciſterc. T. II. p. 289. *c*) Vid. ſupra P. I. p. 78.

Erat hic inter comites Lenzburgicos postremus, quocum anno 1173. ipſamet ſtirps evanuit, comitatu ad Kyburgicos, advocatia vero Schœnenſi ad *Fridericum* imp. translatis.

IV. Adelheidis de *Buchberg* anno 1178. IX. Calend. Novembris Tusculani ab *Alexandro III.* papa peramplam bullam accepit, in qua ferme eadem loca occurrunt, quæ in diplomate Henriciano multis tamen adiectis molendinis agrisque: conceditur inſuper exemtio a decimis novalium, facultas ſuſcipiendi *perſonas liberas e ſeculo fugientes*, eligendæ abbatiſſæ etc. *a*). Interim *Henricus* quidam parochus in *Wolen* decimas Schœnenſes in *Niderweil* ſuæ eccleſiæ tribuendas eſſe prætendebat; Adelheidis ea de cauſa ſubſidium et arbitrium *Hermanni* episcopi Conſtantienſis imploravit, qui pro dirimenda lite *Udalricum* præpoſitum ablegavit: abbatiſſa litteris ius ſuum luculenter demonſtrante, et parocho adpellationem interponente præpoſitus decimas parthenio adiudicavit, Wolenſi autem parocho decem libras Turicenſes, quas abbatiſſa eidem non pro decimis ſed vexis redimendis perſolvere debuerat *b*).

Anno 1190. *Friderico* imp. penes quem Schœnenſis advocatia per 17. annos fuerat, morte ſublato illa ad comites de *Kyburg* utpote legitimos comitatus Lenzburgici hæredes pervenit; nec diu ſuperſtes eſſe potuit Adelheidis, ignotum tamen, quando obierit, et quænam illi ſucceſſerit. Teſtatur Leo Tigurinus *c*) *Henricum* comitem de *Rapperswil* anno 1227. locum in *Wettingen* a virginibus in Schœnis coemiſſe pro conſtruendo ibidem monaſterio; forſan in emtionis inſtrumento nobis ignoto nomen cuiusdam abbatiſſæ legitur.

V. Euphemia de *Bichelnſee* primum occurrit in charta anno 1237. *d*) cuius teſtimonio moleſtias ſuſtinuit a quodam *Hugone* equite in Schœnis, cui ad dies vitæ conceſſit uſum fructum fundi in *Moſe* pro 10. pecuniæ libris ea conditione, ut monaſterium nulla deinceps in re vel *Hugoni* vel poſteris eius obnoxium habeatur. Porro reperitur eadem anno 1240. bonorum permutationem iniviſſe cum *Wernhero* abbate Capellenſi Ord. Ciſterc. cui pro perpingui prædio in pago Barenſi prope Tugium tradidit prædium ſuum in *Holuneich* unacum agris in *Nydelsberg e*). Sequenti anno 1241. ſigillum ſuum chartæ adpoſuit, qua villicus quidam Glaronenſis adverſus Tartaros profecturus *allodium* ſuum *Horalpe* hominibus Schœnenſis monaſterii conſignavit *f*). Occurrit dehinc anno 1252. quo prædicto equiti *Hugoni* pro annuo cenſu fundum in *Moſe* denuo conceſſit *g*); necnon anno 1257. quum ex licentia episcopi Curienſis *Henrici* prædium Buti-

a) Cod. prob. N. LVI. *b*) Ibid. N. LVIII. *c*) Helvet. Lexic. T. XVI. p. 152. *d*) Herrgott. loc. cit. p. 252. *e*) Ibid. p. 257. *f*) Ibid. p. 264. *g*) Cod. prob. N. LXXV.

cenſe cum 16. ovibus *Hugoni* de *Stage* divendidit *a)*, *ad inſtantiam dominarum*, ait episcopus, *propter urgentem inopiam et neceſſitatem monaſterii.* Demum anno 1262. die 11. Iulii ſororibus in *Bollingen* pratum in *Guble* pro annuo cenſu unius denarii dimiſit *b)*. Parthenii advocatia obeunte *Hartmanno* Kyburgicorum poſtremo anno 1264. ad *Rudolphum* de *Habsburg* illius ex ſorore nepotem transiit *c)*.

VI. Adelheidis II. de *Sigberg Euphemiam* excepit defuncta anno 1271.

VII. Mechtildis ignotæ nobis proſapiæ quatuor annis virginibus præfuit, demortua anno 1275.

VIII. Elisabeth de *Schalken* arce nobilium in parochia Wildberg ditionis Turicenſis *d)* anno 1282. ad *Rudolphum* episcopum Conſtantienſem litteras dedit ſignificans, ſuo et totius capituli conſenſu cœnobium *Gnadenthal* a parœcia in *Niederweil* ſeiunctum eſſe, in qua eccleſia Schœnenſes iure patronatus gaudebant *e)*. Legitur quoque ad annum ſequentem *f)*. Huic abbatiſſæ negotia facesſebat nobilis *Ioannes* de *Windek*, qui aliquos monaſterii homines proprios, prout tunc haberi conſueverant, ſuo dominio ſubiicere conabatur; illa ad arbitrium ſenatus Turicenſis provocante *Ioanni* dies indicta et cauſa in favorem Schœnenſium deciſa fuit die 16. Martii anno 1301 *g)*. Eodem anno die 9. Aug. vel ob pecuniarum penuriam vel commodi ergo cum monialium ſuarum conſenſu pro 22. marcis argenti *Henrico* de *Wildenberg* vendidit villam in *Ienins*, et decimas in *Malans h)*; ipſa vero brevi poſt vitam cum morte permutavit.

IX. Anna I. vix regimen ſuſceperat, quum *Ioannes* de *Windek* litem nuper ſedatam reſuſcitaret; deciſa eſt a *Rudolpho Sumero* Amanno Glaronenſi, cui archiduces Auſtriæ advocatiam ſuo nomine adminiſtrandam commiſerant: factum id anno 1302 *i)*. Vicini quoque Suitenſes rapinis, incendiis aliisque iniuriis moniales afflixerunt, ut docent litteræ, quibus Anna pro ſua dilectione illis omnium veniam conceſſit die 12. Dec. anno 1303 *k)*. *Quidquid damni*, inquit abbatiſſa in charta vernacula, *partim cænobio partim eccleſiæ vel incendio vel rapina aut alio quocunque modo intulerunt, id omne tam a nobis quam poſteris noſtris oblivioni traditum habeatur.* Mortua eſt pia abbatiſſa anno circiter 1308.

X. Elisabeth II. vix biennio abbatiſſa fuit, devixit ineunte anno 1310.

XI. Williburgis iam 24. Maii anno 1310. homines proprios in *Raitnau* diviſit inter ſuum et Beronenſe monaſterium in Ergovia *l)*.

a) Herrgott. loc. cit. p. 334. *b)* P. Trudp. Neugart Cod. Alemann. T. II. p. 246. *c)* Leu loc. cit. *d)* P. Neug. loc. cit. p. 150. *e)* Herrg. loc. cit. T. II. P. II. p. 542. *f)* Tſchud. Chron. Helv. T. I. p. 191. *g)* Cod. prob. N. XC. *h)* Ibid. N. XCI. *i)* Ibid. N. XCII. *k)* Ibid. N. XCIII. *l)* Zurlauben Stemmatograph. Helvet. T. XXI. p. 120. msc.

XII. Catharina anno 1321. electa perhibetur ſolo cæteroquin nomine nota.

XIII. Ursula de *Grünenſtein*, Balgacenſis pagi caſtro, abbatiſſa evaſit anno 1330. ineunte; in huius favorem *Hermannus* de *Landenberg* litem compoſuit, qua illa ob pratum aliquod cum *Henrico* de *Huſe* implicabatur, die 20. Ianuar. anno 1330 *a*). Utebantur Schœnenſes iure, ut vocant, caduci ſupra montem *Lägernberg*, quæ regio tunc Auſtriacæ potestatis erat. In dubium vocaverat ius illud dux *Otto*, eius tamen iuſſu prædictus *Hermannus* rem diſcuſſit, atque die 23. Aprilis anno 1335. ſententiam pro monialibus tulit *b*). Carnem poſuit Ursula die 22. Sept. anno 1343.

XIV. Anna II. de *Arbona*. Huius frequentior ac præcedentium in monumentis mentio fit; inprimis enim gloriæ divinæ et animarum ſalutis ſtudioſa anno 1345. fundum et hortum in *Uſchbühl* pro erigenda ibi capellania *Ioanni Uolio* pagi S. Galli presbytero tradidit, pro qua largitate obtinuit ius feudi et patronatus in dictum ſacellum, nec non a ſacellano unam libram piperis. Anno autem 1347. adverſum *Rudinum Samnerum* quemdam ſe ſuasque tueri neceſſe habuit, utpote qui neſcio quid iuris in monaſterii famulos prætendebat; indemnem hoc in negotio abbatiſſam præſtitit *Albertus Wichslerus* vicepræfectus Glaronenſis. Eodem anno die 15. Sept. a *Ioanna* Auſtriaca *Alberti* ſorore in *Brugg* ſpecialis protectionis diploma impetravit, in quo id memoratu dignum occurrit, quod Scœniſium prima vice *principale* monaſterium vocetur *c*). Adhæc anno 1356. in gratam beneficiorum memoriam comiti *Friderico* de *Toggenburg* dominium in certos homines conſignavit *d*).

Quum porro nunquam deeſſent, qui cœnobii iura et poſſeſſiones quoquomodo arroderent; Anna Auſtriæ ducem *Rudolphum* rogavit, ut ſua poteſtate perverſorum audaciam cohiberet; quapropter Rudolphus datis litteris Rhinfeldæ die 9. Ian. anno 1358. omnes ſuæ ditionis præfectos, Glaronenſes præſertim hortatus eſt, ut parthenonem adverſus omnem iniuſtitiam tuerentur *e*). Nec ſilentio prætereundum, quod abbatiſſa menſe Novembri eiuſdem anni a nobili Tſchudio in *Bilten* binas fœminas pro duobus florenis teſte charta, quam vidimus, coemerit. Tanta tunc erat vel pecuniæ caritas, vel hominum plebeiorum vilipenſio. Vivere deſiit Anna menſe Aprili anno 1359.

XV. Agnes de *Willenberg* nullibi legitur uſque ad annum 1367. quo eam inter et domicellas ſubditas diſſenſio quædam emerſiſſe videtur circa victum et redditus monaſterii; plura ſiquidem abbatiſſa ſibi, ac par erat, vindicaſſe credebatur,

a) Cod. prob. N. C. *b*) Ibid. N. CII. *c*) Collect. dipl. msc. Tſchud. *d*) Cod. prob. N. CVII.
e) Archiv. Schœnens.

inde primum murmur, dein apertum diſſidium. Itaque pro pace reſtituenda pactum ad triennium initum, quo abbatiſſa cuivis domicellæ annuam portionem vini et eccleſiæ Benkenſis redditus, gallinas ſi exceperis, diſpenſare adſtringebatur; ſtatutum quoque vinum honorarium, ſi vindemia faverit, cuius abundantiam vel parcitatem tribus arbitris diiudicandum reliquerunt *Eglolfo* de Amiſio præfecto Glaronenſi, priori fratrum Prædicatorum Curiæ et *Petro* Scamſenſi; quæ quidem res tum paupertatis tum in Agnetem diffidentiæ indicium est *a*). Biennio post *Leopoldus* Auſtriæ dux in *Weſen* litteras protectionis cœnobio conceſſit *b*); Agnes autem obiit anno 1399.

XVI. Adelheidis II. de *Schwandek* nobilium ſede prope *Waltelingen* in agro Turicenſi electa demum fuit anno 1402. Hæc pro ſublevandis variis monaſterii neceſſitatibus anno 1412. 23. Febr. redditus in *Bilten* et *Mulinbach* pro annuo cenſu vendidit *c*). Defuncta est anno 1420.

XVII. Elisabeth III. de *Greiffenſee* 31. annis præfuit. Sub ea dominium in Castra rhætica, *Gaſtern*, a *Friderico* ſeniore duce Auſtriaco cantonibus Suitenſi et Glaronenſi unacum advocatia Schœnenſi traditum fuit anno 1438.

XVIII. Adelheidis III. de *Troſtberg* parthenium gubernavit ab anno 1451. usque ad diem mortis ſuæ 22. Auguſti anno 1460.

XIX. Agatha de *Seengen* nobili quondam familia in Bernenſi præfectura Lenzburgica prope caſtrum *Hallweil* undecim annos abbatiſſa vixit, mortua anno 1471.

XX. Dorothea de *Ieſteten* in Cleggovia, præeſſe et vivere deſiit anno 1482.

XXI. Barbara I. *Blarerin* de *Wartenſee* antiquiſſima familia ad lacum Bodamicum *d*). Obiit anno 1491.

XXII. Elisabeth IV. de *Goldenberg*, arx eſt in præfectura Andelfingen ditionis Turicenſis, virgines rexit 6. annis, defuncta anno 1497.

XXIII. Susanna I. de *Saal* Vitodurana ſtatim poſt electionem deceſſit anno 1498.

XXIV. Barbara II. *Trillerin* anno 1506. parthenii templum vetuſtate collapſum e fundo reſtituit. Zwinglio poſthac novationem ſuam inducente annos valde nefaſtos experta eſt maxime circa vitæ ſuæ finem; quum ipſimet pagi Schœnenſis incolæ monaſterio vicini omnes ab avita religione deficerent; ipſa ſenio et mœrore contabuit anno 1525.

XXV. Ursula II. *Mundbrat* de *Spiegelberg* Conſtantienſis *Barbara* inde felicior, quod ea præſidente pagus Schœnenſis iuſſu cantonis Suitenſis ad priſtinam catholicam fidem redierit. Iniunxerunt porro Suitenſes, ut ab omnibus in ſuæ perfidiæ

a) Collect. dipl. msc. Tſchud. *b*) Archiv. Schœnenſ. *c*) Cod. prob. N. CXV. *d*) Leu Helvet. Lexic. *Blarer*.

pœnam ſingulis annis ad ſacellum S. Sebaſtiani publice ſupplicatum iretur. Huic proceſſioni famulitium parthenonis intereſſe nec ſolet nec tenetur publicis laboribus tunc vacans, eoquod nemo unus ex monaſterio a religione deſciverit *a*). Anno 1547. URSULA ex capituli et advocatorum Suitenſium et Glaronenſium conſenſu ius caduci in pagis *Niderurnen* et *Bilten* pro 25. coronatis vendidit. Mortalitatem exuit anno 1554.

XXVI. ANNA III. de *Mosheim* 20. annis cum laude præfuit vivis erepta a. 1575.

XXVII. BARBARA III. *Blarerin* de *Wartenſee* agere debuit cum hominibus minus æquis, et ad debita ſolvenda ſegnioribus. Tales præprimis erant Kirenzani olim ad parœciam Schœnenſem ſpectantes; ac proin ad decimas parthenio ſolvendas obſtricti; eſt autem Kirenzum mons ad ſiniſtrum litus lacus Wallenſis, cuius incolæ poſtquam circa annum 1525. a religione catholica deſciviſſent, conſuetas præſtationes facere neglexerunt. Quapropter BARBARA pacis amore ex Suitenſium conſilio die 25. Ian. anno 1581. decimas Kirenzanas pro 300. flor. vendidit *b*) paulo poſt demortua.

XXVIII. CATHARINA II. *Brümſin* de *Herblingen* proſapia antiquiſſima, quam recenſet Leo Tigurinus. Primum negotium cum Kirenzanis habuit; quamvis enim lis de decimis ſopita iam eſſet, reſtabant tamen alia, quibus iſti tanquam parochiani pro veteri more ſtringebantur, velut oblationes quatuor temporum, ſtipendia æditui et in fabricam eccleſiæ ſolvenda, a quibus, quod eſſent alterius religionis, ſe abſolutos arbitrabantur. Igitur ad præcavenda ulteriora diſſidia conventum ex utraque parte fuit, ut Kirenzani 100. abbatiſſæ 200. flor. civibus in Schœnis numerarent, exin vero ab omni prorſus onere reſpectu eccleſiæ parochialis immunes eſſent, quod CATHARINA datis die 18. Mart. anno 1583. litteris teſtatum fecit.

Subſecutus annus 1585. Schœnenſibus valde nefaſtus fuit; quo non ſolæ domicellarum ædes ſed ipſa quoque S. Sebaſtiani eccleſia triſtes in fumos abierunt: frumenta, domeſticam ſuppellectilem, monumenta omnia pœne vorax flamma conſumſit. Reſtaurare ruinas CATHARINA totis viribus conata eſt, et intra quinquennium iam plura perfecerat, dum ecce! acerbiore infortunio malignorum hominum perfidia a. 1610. ædes recens extructæ rurſus conflagrarunt.

Anno 1602. verno tempore *Iacobus Heinzel* de *Degerſtein* Auguſtanus a CATHARINA licentiam petiit in ſilva quadam ad cœnobium ſpectante ligna cædendi et exercendi carbonariam, habebat is quippe ferri fodinas et fabricas in *Flums* comitatus Sarganenſis. Abbatiſſa negotio mature diſcuſſo petitam facultatem

a) Ex monum. Domeſt. *b*) Ex collect. Halleriana.

ſub certis conditionibus die ultima Maii conceſſit. Ad feliciorem vitam tranſiit anno 1611.

XXIX. Anna IV. de *Bellheim-Bamgarten* præfuit uſque ad annum 1638.

XXX. Maria de *Ramſchwag* electa die 30. Auguſti anno 1638. Hæc in conſtituendo præfecto iuris vel formæ aliquid omiſerat; inde legati Suitenſes et Glaronenſes anno 1646. die 26. Febr. in publico iudicio congregati ſanxerunt, *Wilhelmum* præfectum in Schœnis ob defectum debitæ electionis deponendum, principi abbatiſſæ integrum quidem eſſe, præfectum vel Amannum, quem mallet, conſtituere, dummodo is Suitenſibus et Glaronenſibus homagium præſtet: voluere etiam, ut ſcriba, utpote alienigena bello modo dimitteretur ſtatuentes, ne in futurum alius niſi Helvetus ad id muneris adſumatur. Vivis exceſſit Maria die 4. Maii anno 1652.

XXXI. Maria Cæcilia de *Greut* antiqua nobilium ſtirpe, quæ variis in locis, etiam Scaphuſii et in Augia Rheni ſedem fixerat. Obiit die 24. Mart. a. 1664.

XXXII. Maria Francisca *ze Rhein* electa 30. Mart. 1664. defuncta 27. Septembris 1677.

XXXIII. Maria Eva *Schenk* de *Caſtello* abbatiſſa evaſit die 11. Nov. 1677. mortua die 28. Maii 1701.

XXXIV. Maria Susanna II. *ze Rhein* præfuit ab anno 1701. ad diem 20. Aug. anno 1711.

XXXV. M. Eva Rosa de *Romersthal* in tractu Baſileenſi familia perveteri modo extincta, Gallis dicebatur *Rambevaux*; regimen accepit 7. Octob. 1711. poſuit vero cum carne die 21. Ian. 1713.

XXXVI. M. Clara Salome de *Roggenbach* prope Baſileam, electa die 13. Febr. anno 1713. Quum infirma ſemper eſſet valetudine, anno 1722. in ſubſidium cum iure ſuccedendi accepit *M. Annam Eleonoram Reichlin* de *Meldek* die 30. Iulii; verum ante Claram *Eleonora* obiit die 12. Ian. anno 1735. quin abbatiſſæ dignitatem obtinuerit. Sequenti menſe Clara reſignavit ac mortua demum eſt die 16. Febr. anno 1736.

XXXVII. M. Anna Francisca II. *ze Rhein* poſt reſignationem *Claræ* de *Roggenbach* princeps abbatiſſa renuntiata eſt die 14. Febr. anno 1735. quæ exacto diutino et felici regimine vivis exceſſit die 7. Iulii 1763.

XXXVIII. Maria Anna V. de *Epptingen* fauſtis ominibus electa eſt die 27. Sept. anno 1763. Hæc vigili cura hactenus rem domeſticam auxit, et domicellarum ædes ab anno 1782. ad 1784. in meliorem formam reſtituit. Anno ſequenti datis gratioſe litteris monumentorum raritatem ob iterata incendia excuſavit,

Trigeſimum tertium iam regiminis annum attigit optima princeps, cui omnimodam felicitatem adpercamur.

Domicellæ, quæ anno 1794. parthenium reapse incolebant, ſunt ſequentes:

M. Ioanna de *Schönau Wehr* ingreſſa anno 1752.

Waldburga de *Liebenfels Worblingen* anno 1754.

Friderica de *Zehmen* anno 1771.

Veronica comitiſſa de *Fugger Kirchheim* anno 1784.

Ioſepha de *Münſter* de *Niederwerra* anno 1786.

Auguſta de *Schönau Wehr* anno 1786.

Waldburga Reichlin de *Meldek Weilheim* anno 1790. exſpectans.

CAPUT II.

CACIUM VULGO CATZ
SS. APOST. PETRI ET PAULI
ORDINIS S. AUGUSTINI.

Ad pedes montis Heinzeni in valle Domeſtica Thuſianæ iuriſdictionis parte ſitum eſt monaſterium virginum antiquis *Cazias* dictum, hodie *Katz* et *Kaetzis*, cuius origo paulo altius repetenda, quam a Gulero, Bruſchio aliisque traditur. Certum eſt, *Paſchalem* epiſcopum Curienſem primum huius parthenonis fundatorem eſſe habendum; is enim quum ante adeptum epiſcopatum *Aeſopeiam* Rhætiæ altæ comitem matrimonio ſibi iungeret, vallis Domeſticæ dominus evaſit, ſuæque piiſſimæ coniugis hortatu in loco *Cazias* monaſterium extruere cœpit ſub ſeculi VII. finem *a*). Opus cœptum perfecit eius filius et in epiſcopatu ſucceſſor *Victor I b*).

Perpauca ſuperſunt, quæ de hoc cœnobio referamus, eius mentionem faciunt præter alios Gulerus *c*), Bruſchius *d*) et Leo Tigurinus *e*), qui catalogum abbatiſſarum ſubnectunt valde mancum. Addemus ea, quæ a monumentis parce admodum ſuppeditantur; variam quippe ſortem expertæ fuerunt Cazenſes ita, ut non ſemel prope excidium fuerint.

a) Vid. ſupra P. I. p. 17. et 18. *b*) Loc. cit. *c*) Rhæt. alp. Lib. VII. p. 87. *d*) Chron. monaſt. Germ. p. 37. *e*) Lexic. Helvet. voce *Käzis*.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Vespula *Paſchalis* filia et *Victoris* fundatorum ſoror ad ſeculi VIII. initia præeſſe cœpit, cui cum aliis virginibus se ſubmisit uterina ſoror *Urſicina.* Quin regulares vixerint, nullus dubio locus est; ſucceſſu vero temporis duodecim circiter puellæ nobiles gubernante abbatiſſa abſque votis, quod et aliis piis locis contigit, ſuſtentari conſueverunt, donec S. Auguſtini et Dominici ſtatutis ſubiicerentur.

II. Waldrada.

III. Calumniosa.

IV. Opportuna tres iſtæ occurrunt in catalogo fratrum conſcriptorum monaſterii S. Galli apud Goldaſtum *a)* a Bruſchio et aliis omiſſæ, quas ſeculum VIII. confeciſſe putem. Inde vero conſtat, vitam regularem ab iis obſervatam fuiſſe, ſecus fraternitatis iura a S. Gallenſibus non obtinuiſſent. Memorantur porro ibidem *Columba*, *Paſſiva* et *Maxantia* moniales Cazenſes.

V. Iudentha quo tempore præfuerit ignotum; interim *Imma Gebenii* Fabarienſis abbatis mater defuncto marito in Cazenſi cœnobio monialis vixiſſe refertur a Bruſchio *b)*, quod circa ſeculi VIII. finem factum fuiſſe oportet, quum *Gebenius* ad ſequentis initium abbas fuerit *c)*. Dehinc longo tempore ne apex quidem de hoc parthenio ullibi legitur; ſeculo X. multa paſſum fuit a Saracenis, quamobrem *Otto* imp. anno 940. *Waldoni* episcopo Curienſi eccleſiam S. Martini in Sexamnio ea lege donavit, ut poſt eius obitum Cacenſibus cederet: *illam*, *quæ in Sexamnes est*, ait diploma, *ad ſuſtentationem ſanctimonialium in* Chazzes *Deo ſervientium pro noſtra eleemoſyna et æterna remuneratione concesſimus* *d)*.

Lapſu vero temporis virgines in eam licentiam prolabebantur, ut eas *S. Adalgottus* anno 1150. *in maligno poſitas et Sathanæ ſynagogam* appellarit *e)*, quam ut expelleret, eiusque loco virgines caſtas introduceret, duorum pontificum *Eugenii III.* et *Adriani IV.* nec non *Octaviani* cardinalis presbyteri ſubſidio et auctoritate utebatur. Superatis multis viriliter obſtaculis quatuor circiter annorum negotio illis regulam S. Auguſtini cuſtodiendam tradidit; neque tam facile in priſtinas ſordes relaberentur, eis magiſtram præfecit, et priorem aliquem ex religioſis canonicis S. Lucii; varios quoque redditus ex ſuis parthenio addixit, inter alios S. Martini et S. Albani eccleſias, et aliquot locorum decimas, qui-

a) Rer. Alem. T. II. P. II. p. 145. *b)* Loc. cit. p. 51. *c)* Vid. ſupra ſect. I. cap. II. *d)* Cod. prob. N. XVI. *e)* Ibid. N. XLVII.

bus conſervandis et diſpenſandis præpoſitus S. Lucenſis invigilaret. Hac ratione Cacium formam monaſticam denuo induit quam per plura ſecula retinuit.

VI. Helena in catalogis omiſſa, magiſtra a *S. Adalgotto* conſtituta ſancto præſuli in omnibus obediens ſuo munere procul dubio ſtrenue defuncta eſt. Pro ordine etiam in poſterum conſervando curavit, ut quæ geſta fuerant, in litteras redacta pontificis auctoritate confirmarentur; nam *S. Adalgottus* anno 1156. celebri charta parthenonis reformationem articulatim enarrat, quam *Adrianus IV.* papa data eodem anno die 9. Decembris bulla ſtabilivit *a*).

Quæ Helenam ſubſecutæ fuerunt vel abbatiſſæ vel magiſtræ non omnes ſunt cognitæ, quas detegere potuimus, ſubiungimus.

VII. Regula de *Reichenbach* ex nobili Rhætorum familia.

VIII. Ita de *Wartz* vel *Wart* forſan eiuſdem ſtirpis ac Blaſianus noſter *Arnoldus* ſeculo XII. monachus ex Zürichgovia.

IX. Agnes de *Amiſio* vel *Ems.*

X. Anna de *Schauenſtein*, quo nomine inſignita erat olim arx prope pagum Maſeinum iuriſdictionis Thuſianæ in fœdere Griſeo. Hæc vivere deſiit a. 1325.

XI. Guta I. reperitur anno 1358. *b*) et ſequenti, quo ſua prædia in *Schanzach* et *Milens* in valle Venuſta *Petro* epiſcopo Curienſi conceſſit pro iure patronatus in eccleſia Rhætiæ altæ, *Rialt*, die 1. Iunii; notandum porro, quod Guta in litteris hac de re conſcriptis ſe *divina permiſſione abbatiſſam* nominet *c*).

XII. Guta II. de *Schauenſtein Burchardi* equitis filia electa fuiſſe videtur circa ann. 1369. Haud diu poſt totus ferme parthenon in cineres abiit, quem dehinc abbatiſſæ cognatus *Albertus* de *Schauenſtein* collatis 1000. aureis ſplendide reſtituit, atque ibidem ſibi ſuiſque poſteris ſepulturam ſelegit; merito proin alter fundator habitus. Obiit Guta anno 1382 *d*).

XIII. Verena *Feyſplina* anno 1384. invenitur, igitur *Gutæ* ſuccedens monaſterii ædes perfecit.

XIV. Wandelberga apud Gulerum habetur anno 1401. anno autem 1411. die 13. Martii ab *Hartmanno* epiſcopo Curienſi varios redditus pignoris loco recepit *e*).

XV. Hildegardis de *Reitnau* familia nobilium, qui primum ſedem in comitatu Lenzburgico dein in Algovia habebant. Præfuit adhuc anno 1426. dum die 9. Auguſti ex conſenſu vicedomini Cazenſis, qui tunc erat *Rudolphus* de *Iuvalta*, villas aliquas in feuda elocavit.

a) Cod. prob. N. XLVII. *b*) Guler. loc. cit. p. 87. *c*) Cod. prob. N. CIX. *d*) Guler. loc. cit. et Bruſch. loc. cit. p. 38. *e*) Cod. prob. N. CXIV.

XVI. Ursula de *Altmanshofen* cœnobium rexit usque ad annum 1486.

XVII. Margarita de *Reitnau* modo minus legitimo electa ab *Ortliebo* Curienſi episcopo repulsa fuit; postea tamen defectibus ſuppletis agnita et acceptata creditur, quum ab anno 1496. ad 1498. templum magnifice extruxisse legatur *a)*. Vitæ finem fecit anno 1508.

XVIII. Clara de *Reitnau* iniquitatem temporis morte feliciter evasit anno 1525.

XIX. Scholastica de *Reitnau* vixit annos maxime lugubres. Certe post conditos anno 1526. Ilantii de religione articulos, quorum quinto monasteriis utriusque ſexus tironum ſusceptio prohibebatur, in Cazensi cœnobio non ſolum nulla virginum ad vota admitti potuit; ſed ipsæmet ædes lapsu temporis omniaque bona tam mobilia quam immobilia venum exposita fuerunt, adsignata ad dies vitæ, quæ ſupererant, monialibus annua pensione. Pretia inde hausta inter communitates Griseas distributa.

XX. Catharina de *Marmore* anno 1537. electa se ſuasque annuis pensionibus ægre ſustentavit usque ad annum 1550.

XXI. Ursula II. de *Saxo* abbatissarum postrema, quacum ipsemet parthenon virginibus omnibus pedetentim morte ſublatis ad tempus extinctus est. Eius direptionem narrare iuvat verbis *Augustini Stæcklini*, qui anno 1633. rem omnem accepit ex relatione testis occulati D. *Ioannis Castelbergii* viri propemodum octogenarii, quæ utut ſint, ſic habent:

„Anno Christi 1570. circiter divisio facta est et partitio monasterii in Catzis præcipue auctoritate et ope Dom. *Ioannis* de Planta domini in Räzuns, cuius postea bona fisco addicta, et ipsemet infami carnificis gladio iudicantibus tribus ligis palam Curiæ decollatus est anno 1572.„ Supplicium describit Dominicus Rosius a Porta *b)*.

„Alter, qui divisionem Caciensem iuvit, fuit fœderis præses (Landrichter) de *Monte* ex Lugnitia, qui deinde in lacu Wallenstadiano naufragus periit. De valle Mesauci unus *Maggius* nomine accepit monasterii ſuppellectilem ſtanneam, et cum per artifices ſtannarios adhibito instrumento ferruminario delere vellet monasterii insignia et ſua imprimere, nulla arte potuit artifex, ſed re infecta coactus est abire; tandem domus ipsius tota ipso inspectante conflagravit: exprobrante eidem quodam nobili *Maſeo: Nonne dixi tibi, quod non debeas te huic rei immiscere?* Respondit: *Iam est nimis ſero.*„

a) Guler. loc. cit. *b)* Hist. reform. eccles. Rhæt. Lib. II. p. 580.

„*Caſpar* de *Schaueuſtein*, qui uxorem habuit ſororem epiſcopi *Thomæ* de *Planta*, emit bona monaſterii de Cazis, et ipſe poſtmodum cum filio ſuo *Remigio* intra paucos dies periit. Is ipſe cum adhuc ſuperſtes eſſet, conſanguineum habuit *Thomam* a *Schauenſtein* dictum de *Ehrenfels*, qui cum eſſet inſeſſor huius monaſterii, non potuit vivam prolem habere, et ſic coactus vendidit ædificia monaſterii cognato ſuo *Ioann. Bartholomæo Planta*, cuius filii nunc poſſident. Dictus autem *Thomas* de *Schauenſtein* cum exiret aliquando eques et parum moraretur retro, tanta corvorum multitudo eum circumdedit et invaſit, ut niſi occurriſſet famulus, fuiſſet a corvis diſcerptus. Idem noctu tantum timebat, ut nunquam poſſet eſſe ſolus ac ſine lumine, et ad motum folii tremebat.„

„Illi de *Ruſchein* acceptam ſuam partem applicaverunt pro ſolvendis alpibus; ſed ex eo tempore ſentiunt maiora annuatim damna, adeo ut ipſi dicant, ſe ex illis acceptis bonis graviſſima perpeti, et ſemper velle libentiſſime refundere.„

Iſta, ſi reapſe contigerunt, Rhætis quaſi præludio fuiſſe videntur, ut ſuo tempore parthenium Cazenſe reſtituerent, id agi cœptum ſtatim anno 1624. quo cœnobium die 7. Febr. a fœdere Griſeo nuntio apoſtolico traditum fuit. Quum vero obſtantibus multis impedimentis bona abſtracta parce redirent, negotium nonniſi lente urgeri potuit. Fiebant reſtitutiones ſucceſſive, imo et largitiones, quibus adiutus tandem *Ioannes VI. Flugius* epiſcopus Curienſis anno 1647. virgines aliquot Cacii congregavit, quæ ſub S. Dominici habitu regulam S. Auguſtini profiterentur *a*).

Exinde parthenium a prioriſſis regi cœpit, quas ſubnectimus:

I. IOANNA *Gauwin* Feldkirchenſis ex cœnobio S. Petri Bludentino anno 1647. die 14. Iulii poſtulata ab epiſcopo ſecundæ reſtaurationi antiquiſſimi huius monaſterii initium dedit. Præſtito præſuli homagio confirmationem ab eodem petiit, quæ die 4. Auguſti ſubſecuta eſt; quumque virgines proprio communi ſigillo carerent, inſtrumentum ea de re confectum a *Chriſtophoro Mohr* Curienſi tunc præpoſito roborabatur. Præterea epiſcopus anno 1650. *Ioannem Meiſſenum* Amannum conſtituit, qui cœnobii redditus tueretur; quæ omnia patent ex chartis epiſcopalibus Curiæ.

II. M. DOMINICA *Ioſin* præter exactam regularis diſciplinæ obſervantiam rem œconomicam eo perduxit, ut annis 1660. et 1662. non mediocrem pecuniæ ſummam ad cenſus elocare potuerit.

III. M. IOANNA *Cameng*.

a) Archiv. Curienſ.

IV. M. Anna Margarita *Caduſ* anno 1677.

V. M. Catharina de *Monte* anno 1682. mortua.

VI. M. Ioanna *Linard.* Sub hac cives Cazenses monialibus iura quædam denegare cœperunt; ast *Udalricus* episcopus die 10. Aprilis anno 1687. datis litteris mandavit, ut moniales iisdem iuribus, ac cives, uti permitterentur.

VII. M. Margarita *Moronin* ab anno 1690. usque 1697. præfuit.

VIII. M. Francisca *Meissin* vixit usque ad annum 1737.

IX. M. Agatha *Sigronin* tribus annis gubernavit.

X. M. Anna Ludovica de *Porta* priorissa denominata est anno 1741.

XI. M. Augustina anno 1758. resignavit, quum nonnisi tredecim virgines in cœnobio numerarentur.

XII. M. Rosalia die 28. Iulii anno 1758. electa, anno 1787. adhucdum præerat.

CAPUT III.

COENOBIUM NOBILIUM S. IOANNIS BAPTISTÆ VULGO MÜNSTER ORDINIS S. BENEDICTI.

Rhætiam et Tyrolim vallis coniungit *Monasteriensis* dicta ab antiquissimo Ord. S. Benedicti parthenone S. Ioanni Baptistæ ſacro, qui communi nomine *Monasterium*, *Münster* appellatur. Eius fundationem *Carolo Magno* tribuunt et quidem, ut videtur, non absque argumentis; nam inprimis ſeculo IX. iam celebre fuit *Tobrense* cœnobium non quidem virginum ſed virorum episcopo Curiensi ſubiectum, prout patet ex diplomate *Arnulphi* regis anno 888. *a)* necnon ex catalogo fratrum conscriptorum S. Galli apud Goldastum, ubi inter *fratres Tobrenses* primo loco legitur *Richpertus abbas*; in manuscripto autem a nobis viso præter dictum abbatem continentur ultra 100. nomina tam presbyterorum quam monachorum, imo et octo fœminarum cum hac inscriptione: *Incipiunt nomina fratrum Tobrensium.*

Iam vero in tota Curiensi diœcesi nullibi probabilius aliqua *Tobrensis* huius abbatiæ vestigia comparent, præterquam in valle Monasteriensi, ubi adhucdum visitur

a) Grandidier Hist. Straſsb. T. II. p. CCLXXXI.

pagus *Tuberium* vulgo *Taufers* a parthenio vix milliario diſtans. Certum quoque eſt, ibidem abbatiſſas recenſeri ante abbatiæ Mariæmontanæ primordia, ſi eius fundatores primos ſec. XI. exeunte comites de Taraſpo ſtatuas. Opinari equidem quis poſſet, Mariæmontanos primum Tobrenſes fuiſſe, aut certe in eorum locum poſtliminio reſtitutos; nam a vero diſſimile non eſt, *Caroli M.* tempore *Tuberii* tam pro monachis quam virginibus ædes extructas eſſe, utraſque vero temporis iniuria bellis, incendiis, ut fieri ſolet, collapſas annorum ſucceſſu reſuſcitari cœpiſſe, ædes quidem monachorum primum in *Schuls*, dein in Monte Mariano, parthenium autem eo in loco, ubi hodiedum exiſtit. De poſteriore hoc rem vix non evincunt medii ævi monumenta, uti ad me perſcripſit reverendiſſimus D. *Placidus Zobelius* Mariæmontis abbas, in quibus Monaſterienſes abbatiſſæ de Taufers dicuntur: *Abbtiſſin zu Taufers im Münſterthal ob der Kalfa gelegen.* *Calva* planities eſt pugna anno 1497. Auſtriacos inter et Rhætos commiſſa celebris.

His accedit, quod *Udalricus* de *Taraſpo* in charta de anno 1186. *fundator utriusque monaſterii* dicatur *a*) tam Mariæmontani, quam Monaſterienſis; quod non ita intelligendum eſt, quaſi ante *Udalricum* parthenon nunquam extiterit, quum uſque ad eius epocham ſaltem decem abbatiſſæ recenſeantur; ſed quod eo iuvante tanta incrementa cœperit, ut velut recens fundatus exiſtimari poſſet. Eodem namque tempore, quo *Udalricus* Montem Mariæ dotavit, nimirum anno 1161. eius uxor Uta in dicto parthenio cum aliquot ſororibus ex familia Taraſpenſi velum aſſumſit, pro quarum amore non ſolum *Udalricus*, ſed et eius ex fratre nepos *Gebhardus* varia bona illuc contulerunt; ſorores iſtæ videntur fuiſſe *Irmengardis*, *Adelheidis* et *Hedwigis*: hæc omnia ex chartis manifeſta fiunt *b*).

Dolendum interim, pleraque monumenta interiiſſe, ut præter nudum abbatiſſarum catalogum, et ne hunc quidem exactum, vix quidpiam ſiſtere poſſimus. Sic enim *D. Bernarda Franciſca* de *Deſſeni* abbatiſſa ad *P. R. D. Auguſtinum* de *Porta* Deſertinenſem, qui pro nobis ſubſidia hiſtorica inde petierat, perſcripſit: bella, lues, terna incendia, defectionem accolarum a fide, negligentiam et perfidiam œconomorum id effeciſſe, ut præter diplomata et chartas plurimi quoque redditus et iura perierint; hinc non eſſe, quod eruditi expectare poſſint.

Dum nova eligitur abbatiſſa, bini adeſſe commiſſarii ſolent alter Auſtriacus, Rhætus alter; monaſterium quippe ſub duplici advocatia eſt, ſcilicet Auſtriaca Tyrolenſi et illa trium ligarum Rhætiæ, in quarum territorio iacet. Abbatiſſarum

a) Cod. prob. N. LIX. *b*) Ibid. N. L. LI. LII. LV. LVII. not. *i*. et LIX.

catalogum a Mariæmontanis transmiſſum tradimus hinc inde ex monumentis Curienſibus vel correctum vel auctum. Anni tribus primis ſeculis adpoſiti integram fidem vix merentur.

SERIES ABBATISSARUM.

I. MARIA ADELHEIDIS de *Zinkenberg* prima quæ ſcitur electa anno 1000. reſignavit anno 1030.

II. GALLA de *Cazis* obiit anno 1050.

III. DIETRUDIS de *Vallis* electa anno eodem.

IV. ANNA de Monte alto ſeu *Montalt* vetuſtiſſima nobilium arce in liga Griſea anno 1060.

V. LUCIA de *Ortenſtein* anno 1070. Fuit *Ortenſtein* dominium in Domeſtica valle, quod aliquando nobiles de Vatio, dehinc Werdenbergici poſſederant *a)*.

VI. IOANNA de *Sala* anno 1078.

VII. ADELHEIDIS II. de *Auer*, fors *Avers* ditione Rhætica ad Septimum Montem anno 1080.

VIII. ANNA II. de *Veſulina* 1090.

IX. ANGELINA de *Planta - Wildenberg* in Engadina inferiore anno 1110.

X. CATHARINA *Carlin* de *Hochenbalken* familia prænobili urbis Curienſis modo extincta anno 1140.

XI. SYBILLA *Rinkin* de *Waldenſtein*, melius *Baldenſtein* ex nobilibus de *Rink - Baldenſtein* in Rhætia anno 1160.

XII. ANNA III. de *Schauenſtein* arce antiqua prope Maſeinum in valle Domeſtica, ſub hac UTA de Taraſpo velum accepit, præfuit usque ad annum 1182.

XIII. ADELHEIDIS III. de Monte anno 1190.

XIV. ANNA IV. *Planta* de *Wildenberg* anno 1220.

XV. DOROTHEA de *Caſtelmuro* anno 1230.

XVI. DIETRUDIS II. de *Wazi* anno 1240.

XVII. CATHARINA II. de *Mohr* anno 1260.

XVIII. CATHARINA III. de *Planta - Wildenberg*, ſub qua ortum eſt diſſidium cum civibus in *Tſchengels*, ad quod componendum anno 1306. *Sifridus* epiſcopus Curienſis *Ioannem* abbatem Mariæmontanum conſtituit.

XIX. URSULA I. de *Schlandersberg* anno 1320.

a) Tſchud. Gall. comat. p. 292.

XX. Agnes, cuius obitum refert *Goſwinus* Mariæmontanus coævus ad ann. 1332. dum ad ann. 1361. ſcribit, *abbatiam per mortem dominæ* Agnetis *vacaſſe annis viginti novem a)*. In transmiſſo catalogo Agnes plane omittitur, eius vero loco tres aliæ ponuntur *Adelheidis Traverſia*, *Eliſabetha* de *Prozii*, et *Urſula* de *Planta* nullius interruptionis facta mentione.

XXI. Lucia II. *Rinkin* de *Baldenſtein* electa anno 1361. et in feſto aſſumtæ in cœlos Deiparæ benedicta a *Petro* Curienſi epiſcopo, eodem Goſwino teſte *b)*.

XXII. Agnes II. de *Pizii* anno 1390. Circa hoc tempus regionem primum miles Auſtriacus, dein copiæ *Hartmanni* ep. Curienſis cum magno parthenii detrimento impleverant *c)*.

XXIII. Magdalena de *Zeni* anno 1410. qua ſuperſtite *Sigiſmundus* imp. declaravit, advocatiam Monaſterienſem ad epiſcopum Curienſem pertinere a. 1418.

XXIV. Anna V. de *Planta - Wildenberg* 1430.

XXV. Catharina IV. de *Petſchi* anno 1440.

XXVI. Anna VI. de *Planta - Wildenberg* anno 1466.

XXVII. Ursula II. de *Schlandersberg* electa anno 1470.

XXVIII. Barbara de *Caſtromuro* anno 1490.

XXIX. Emerita de *Planta* in catalogo prætermiſſa præfuit fervente bello, quod Suevicum vocant. Anno 1499. tota vallis Monaſterienſis igne ferroque ab Auſtriacis depopulata fuit, ipſumque parthenium flammis traditum, et abbatiſſa cum tribus monialibus capta *d)*.

XXX. Catharina V. *Rinkin* anno 1520. præeſſe cœpit. Diutina eius præfectura fuit; ſiquidem illam legimus in litteris quibuſdam anni 1541. defuncta creditur anno 1558.

XXXI. Ursula III. de *Porta*.

XXXII. Catharina VI. de *Planta* anno 1580.

XXXIII. Ursula IV. de *Hochenbalken* non reperitur in catalogo, eius tamen obitus in monumentis Curienſibus adſignatur ad diem 13. Nov. anno 1608.

XXXIV. Maria de *Planta* pariter omiſſa *Urſulæ* ſucceſſiſſe legitur die 24. Nov. eiuſdem anni. Abbatiſſa fuit annis ſeptemdecim, mortua anno 1625.

XXXV. Catharina VII. de *Mohr*, cuius conſanguineus *Ioſephus* de *Mohr* epiſcopus Curienſis anno 1630. die 10. Iulii ab *Urbano VIII.* papa in mandatis accepit, ut diœceſis ſuæ parthenia reformaret, quæ ob continuas ferme turbas diſciplina deſtitui cœperant. Vivere deſiit Catharina anno 1639.

a) Cod. prob. N. CXII. *b)* Ibid. *c)* Vid. ſupra P. I. p. 117. *d)* Sprecher. Pall. rhæt. p. 104, Vid. ſupra P. I. ad hunc ann.

XXXVI. Ursula V. *Carlin* de *Hochenbalken.* Huic episcopus Curienſis anno 1660. leges præscripsit, ſecundum quas moniales ſuas dirigeret. Decessit a. 1666.

XXXVII. Dorothea II. de *Albertis*, quam ut in officio contineret *Udalricus* episcopus Curienſis, ſequentes leges ſtatuit: 1. Abbatissa et conventus inconsulto confessario nihil decernant aut innovent. 2. Regula S. Benedicti ſtrictius observetur. 3. Præter confessarium ordinarium hinc inde alii admittantur. 4. Ex tribus monasterii portis binæ obstruantur. 5. Erigantur tribunalia ſacra cum cancellis ita, ut confessarius extra, pœnitentes intra murum consistant. 6. Litteræ tam recipiendæ quam dimittendæ ſemper abbatissæ vel priorissæ ostendantur. 7. Pecunia omnis in manus ſuperiorum deponantur. 8. Moniales rationes expensarum confessario exhibeant. 9. Sine episcopi licentia nullæ novitiæ ſuscipiantur. Obiit Dorothea die 16. Dec. anno 1686.

XXXVIII. Lucia Francisca de *Quadris* vixit ad annum 1711.

XXXIX. Regina de *Planta-Wildenberg* quacum res monasterii multum nutabant; quum iam ultra 20. annos præfuisset, anno 1733. in ſubsidium adsumere debuit *Augustinam* de *Troyer*, paulo post defuncta.

XL. M. Augustina de *Troyer* in *Aufkirchen* anno 1733. et 1737. litteras dedit plenas querimoniis tam de temporali quam ſpirituali monasterii ſtatu. Vitam protraxit usque ad annum 1747.

XLI. Angela Catharina *Hermannin* in *Reichenfeld* resignavit anno 1778.

XLII. Bernarda Francisca de *Desseni* electa anno 1779.

SECTIO III.

MONASTERIA MINORA.

CAPUT I.

MONASTERIA MINORA VIRORUM.

N. I.

MONASTERIUM CURWALDENSE ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Inter opaca ſilvarum in arduo monte antiquæ viſuntur ædes cœnobii *Curwalden* apud Corvantios, quæ binis circiter horis a Curia urbe diſtant, unde aſcenſus ſat aclivis eſt. Subiacet Curwaldia abbatiæ Roggenburgenſi unacum adnexa olim præpoſitura S. Iacobi in Rhætigoia. Narratur huius cœnobii origo in chronico, quod Conradus quidam inventum Roggenburgi e teutonico in idioma latinum tranſtulit; recitatur in annalibus Præmonſtratenſium *a*), anachroniſmis et aliis erroribus refertum: inter alia ex Curwaldia coloniam ad S. Lucium deductam mentitur, et *Conradum* epiſcopum Curienſem, qui Præmonſtratenſes in ſuam diœceſin invexit, ad tempora *Friderici* imp. collocat.

Quæ veritati magis conſentanea exinde colligere licet, hæc ſunt. Ante medium ſeculi XII. *Rudolphus* de *Aqua rubea b*) vitæ ante actæ pœnitens cum tribus ſociis *Gerardo*, *Ebemo* et *Addone* apud Corvantios cœnobium cum ſacello extruere cœpit accepta poſtmodum a S. Lucenſibus vivendi regula. Ab initio Curwaldenses proprios præpoſitos non habebant uſque ad ſeculi XII. finem, ſed præpoſitis S. Lucii *Haymoni* et *Vigilio* parebant, quo tempore intra annum 1166. et 1169. miles quidam natione Thuringus Curwaldiam infirmus advenit, ubi quum omni hoſpitalitatis et charitatis obſequio foveretur, gratitudinis ergo bona ſua cœnobio addixit paulo poſt demortuus. *Rudolphus* fundator milite ſepulto cum eiuſdem ſociis iter in Thuringiam adgreſſus, ut bona legata repeteret, Elwangæ febri correptus obiit. Novennio poſt eius corpus in Curwaldiam relatum ibidem quieſcit.

a) T. I. p. 574. ſeq. *b*) Sprecher. loc. cit. p. 259.

SERIES PRÆPOSITORUM.

I. UDALRICUS reperitur primum a. 1200. quo *Reinherius* ep. Curienſis bona quædam teste charta cum Curwaldenſibus permutavit; eodem anno UDALRICUS confirmationis bullam ab *Innocentio III.* papa accepit. Anno 1206. monasterium Rutinenſe in tractu Turicenſi instituere cœpit, cuius rei meminit charta *Lutoldi* de *Regensperg* ad ann. 1217. *a)* his verbis: *Predium hoc in Rüti prepositus quondam in Curwalde nomine* UDALRICUS *eo intuitu vice fratrum ſuorum recepit, ut Premonstratensium ordinem ibi instituerent.* Vivebant Curwaldiæ etiam fratres laici, ſeu *conversi*, qui nescio qua de causa præpositum vehementer affligere ſolebant, quos UDALRICUS fugiens circa annum 1210. in Rutinenſe monasterium se recepit. Obiit Urspergæ anno 1224 *b)*.

II. SWIKERUS iam anno 1210. bonorum permutationem iniit cum *Alberone* de *Tinzen* adhibito etiam fratrum laicorum conſilio, forte ne idem cum ſuo antecessore fatum experiretur *c)*. Anno 1220. XIII. Calendas Martii ab *Henrico* Rom. rege diploma, et anno 1222. IX. Cal. Iunii ab *Honorio III.* papa bullam obtinuit, quibus cœnobium Curwaldenſe ab omni exactione liberum declaratur: anno 1231. ad diem 21. Aug. prædium cum *Bertholdo* ep. Curienſi permutasse legitur. Inter monasterii benefactores recenſentur ambo *Waltheri* pater et filius de *Vatio*, qui anno 1237. VIII. id. Martii cum fratruele *Marquardo* donarunt bona ſua villæ *Pascual* unacum iure patronatus. Anno 1253. a ſede Romana SWIKERUS negotium accepit, Desertinam ab iniqua vexatione liberandi; vixit usque ad annum 1260. mendaci prorsus calamo notatus ab Hirschingo *d)* quasi homo libidini deditus, qui cœnobium in lupanar mutaverit: falſum porro est, quod ſcribit, *Conradum I.* præpositum, in cuius locum ſuffectus ſit Swikerus, a fratribus pulsum fuisse, quum eo tempore nullus Conradus præfuerit.

III. BERTHOLDUS I. reperitur primum anno 1263. cambium cum *Ioanne* S. Lucii præposito iniisse *e)*; postea anno 1280. quo nobilis vidua *Waltheri* de *Vatio* V. Calend. Iunii prædium in *Lumine* vallis Vatianæ cœnobio donavit.

IV. UDALRICUS II. ſolo nomine notus.

V. CONRADUS, cuius epocham Hirschingus aliique pervertunt, illum ſuo ſuccessori postponentes, *Eglolfum* de *Asperomonte* Curwaldenſibus infensum ſua moderatione eo adegit, ut anno 1295. datis litteris promiserit, se bonorum in *Maienfeld*

a) P. Trudp. Neugart Cod. Alem. T. II. p. 135. *b)* Bayrh. Hist. Roggenb. cap. 8. §. 4. *c)* Cod. prob. N. LXIV. *d)* Closter-Lexicon T. I. p. 723. *e)* Cod. prob. N. LXXVIII.

ſitorum cauſa, quæ hactenus arroſerat, cœnobio nullam poſthac moleſtiam illaturum. Auxit præterea hic præpoſitus Curwaldiæ redditus; anno enim 1299. varia prædia coemit, inter alia *Beſreugum* et *Fontanam*, et die 13. Decemb. a Conradino de *Straſsberg* pro 32. marcis fundum aliquem comparavit. Anno 1305. conſentiente *Sifrido* ep. Curienſi VII. Calend. Februarii parœciam in *Balzers* ſuo cœnobio adnexam permutavit cum illa in *Feldsberg* viciniore *a*). Deceſſit hoc vel ſequenti anno.

VI. Bertholdus II. legitur iam in monumentis anno 1307. et 1309. erga hunc beneficus fuit *Udalricus* de *Straſsberg* miles; nam anno 1310. XVI. Calend. Ianuarii cœnobio aliqua donaſſe legitur. Tribus hoc tempore ædificiis conſtabat Curwaldia, monaſterio S. Mariæ, quod Curwaldia *ſuperior*, clauſtro monialium, quod Curwaldia *inferior* nominabatur, et hoſpitio in commodum peregrinorum teſte charta de anno 1311. quam ipſimet vidimus. Bertholdus ultima vice occurrit anno 1312. ad IV. nonas Martii; obiiſſe creditur anno 1318.

VII. Iacobus. Hunc annis 1320. et 1321. chartæ exhibent. Ingens facinus eo præſidente abs Curwaldenſibus in vicino parthenone patratum refert Roſius de Porta *b*): unde narrationem hauſerit, ignotum. Siquidem illi fides, *Donatus* de *Vatio* equo prætervectus talia conſpexit, quæ referre pudor vetat, et parthenium illico dirui vel incendi iuſſit. Verum ſi perpendas, qualis fuerit *Donatus* iſte, quodque eodem tempore atrox bellum adverſus *Rudolphum II.* ep. Curienſem geſſerit; facile augurari poteris, qua de cauſa Curwaldiam vaſtaverit *c*).

VIII. Ioannes *Schuldheiſs* de *Lenzburg* frater *Udalrici* ep. Curienſis, cuius conſenſu anno 1341. XIII. Calend. Iulii a parocho S. Martini Curiæ eccleſia Feldspergenſi inveſtitus eſt, non vero in præpoſitum inauguratus, ut ſcribit Hirſchingus.

IX. Conradus II. refertur in monumentis exigui alias momenti annis 1353. 1356. et 1361. præterea medio menſe Aprili anno 1358. permutationis pactum iniit cum *Henrico* de *Satains*; ſequenti autem anno die 14. Febr. fundos in *Umbilico* dono accepit. Vixit ultra annum 1367.

X. Udalricus III. die 11. Martii anno 1373. cum *Nicolao Koblero* Curienſi cive concambium iniit; præfuit adhuc anno 1382. quo in S. Antonii feſto die VI. Ianuar. *Urſula Eglolfi* de *Iuvalta* coniux Curwaldiæ anniverſarium inſtituit. Errat proinde Hirſchingus illum iam anno 1374. defunctum adſerens.

XI. Gerungus comparet in litteris Curwaldenſibus ab anno 1389. ad 1395. magnæ litteraturæ vir et pietatis adhuc maioris, acerrimus diſciplinæ vindex, quam etiam in cœnobio Minoris Augiæ reſtituit, poſtquam anno 1396. per Rothen-

a) Archiv. Curwald. *b*) Hiſt. reform. eccleſ. Rhæt. T. I. p. 41. *c*) Vid. ſupra P. I. p. 103. et 104.

sem, Rütinensem et Sorethanum prælatos istius loci abbas denominatus est. Dicitur interfuisse ſynodo Constantiensi: abbatiam posuit anno 1423 *a*).

XII. Udalricus IV. frequens legitur in chartis ab anno 1397. ad 1409. Chronologiæ adversatur, quod Sprecherus ſcribit *b*), monasterium hoc tempore conflagrasse, id enim ſerius contigit.

XIII. Nicolaus die 16. Sept. a. 1413. a *Sigismundo* Curiæ confirmationis diploma accepit, domos insuper et prædia pro annuo censu elocavit *c*). Obiit a. 1415.

XIV. Conradus III. ſistitur in monumentis ab anno 1420. ad 1428. quibus varia bona monasterio ſuo adquisivisse adseritur *d*). Mortuus est anno 1429.

XV. Georgius *abbas primus* in præpositum denominatus est anno ſtatim 1429. nam die 1. Sept. in chartis iam legitur. Eo monasterii res excreverant, ut ex præpositura mutari in abbatiam posset. Georgius reapse anno 1446. abbas inauguratus est, qualis aliquoties in litteris anno 1456. reperitur. Vitam posuit anno 1461.

XVI. Ludovicus *abbas ſecundus* electus die 26. Aprilis eiusdem anni ab undecim religiosis canonicis, quibus tum Curwaldia constabat *e*); aderant præsides *Ioannes Deyringer* Roggenburgi, *Ioannes* S. Lucii abbates, et *Udalricus* S. Iacobi in Rhætigoia præpositus *f*). Benedictionem accepit a *Ioanne Nello* Curiensi tunc ſuffraganeo. Anno 1468. confraternitatem iniit cum *Udalrico* abbate Rutinensi. Anno 1472. omnes monasterii ædes concepto igne in fumos abierunt, quibus restaurandis Ludovicus omnem reliquam vitam insumpsit. Visitur adhuc penes aram maiorem testimonium lapidi insculptum, ædes feliciter ab hoc abbate restauratas referens, et ſuggestus ligneus eiusdem nomine insignitus. Ad urgendum negotium pecuniis erat opus, quas elocatis anno 1482. ad census fundis conquisivit; ſua interim ſedulitate tantum æris comparavit, ut anno 1488. die 4. Iulii plura bona emere potuerit. Ad immortales abiit eodem anno.

XVII. Ioannes a *Trostberg abbas tertius* electus est die 13. Martii anno 1489. hucusque monasterii prior, cui annales Præmonstratenses perperam tribuunt, quæ ab eius demum ſuccessore gesta fuerunt. Hic in restaurato templo elegantem aram in honore SS. apostolorum Petri et Pauli fieri, et anno 1494. consecrari curavit. Vivis excessit anno 1497 *g*).

XVIII. Gerardus *Benzius abbas quartus* liti implicitus cum quodam *Bartholomæo Monstralio*, qui decimas parœciæ in *Lenz* cœnobio ſurripere conabatur; finita controversia est die 14. Iulii anno 1513. Plus negotii illi facessebat reformatio

a) Bayrham. loc. cit. p. 46. *b*) Pall. rhæt. p. 259. *c*) Bayrham. loc. cit. p. 53. *d*) Loc. cit. *e*) Ibid. p. 59. *f*) Annal. Præmonstr. T. II. p. 680. *g*) Bayrham. loc. cit. p. 75.

Zwingliana, cui ſtrenue se opposuit non ſolum pro ſui monaſterii, ſed etiam præpoſituræ S. Iacobi conservatione, cui tres ſucceſſive rectores ſubmiſit, qui religionem ibi illæsam custodirent. Ast *Bartholomæus Bulgerus* tunc præpoſitus anno 1525. vel ſequenti uxore ſacrilege ducta ſeculum repetiit; ædes ipsæ canonicis dilapsis poſt aliquot annos in ſecularium manus devenerunt.

Cæterum ſub hoc abbate templum Curwaldense perfectum ac die 29. Sept. anno 1502. ſolemni ritu dedicatum eſt *a*). Ut porro monaſterii iura certius adverſus vim custodirentur, omnia monumenta et litteras GERARDUS in unum corpus anno 1508. collegit, turrim anno 1519. quatuor campanis inſtruxit, varia paſſus ab acatholicis, qui usum cuiusdam conclavis et ſilvæ ſibi proprium faciebant, quod fusius narrat Hirschingus *b*), qui malitiose tam abbati quam canonicis uxores affingit, quaſi vero, ſi tantæ libidinis fuiſſent, ad *Bulgeri* confratris ſui exemplum non potuiſſent ad novatores tranſire. Præfuit cum laude GERARDUS usque ad diem 5. Auguſti anno 1536.

XIX. FLORINUS *Ioanetus* vel *Ianut abbas quintus* conſtitutus fuit a *Ioanne* Roggenburgenſi die 13. Sept. anno 1536. erat canonicus S. Lucii et parochus in *Bendern*. Luctuoſos is egit dies, ſcribit *Hugo* Stivagienſis, in aqua brevi et arcto pane *c*). Incolæ Curwaldenſes vi facta intruſerunt pseudo-abbatem *Martinum Buff* aliis *Dusch* ea ipſa die, qua FLORINUS inauguratus eſt; violentiæ cedere coactus cum abbate Roggenburgenſi regimen Oenipontanum in ſubſidium vocavit, cuius auctoritate anno 1540. quietam abbatiæ poſſeſſionem adiit. Dehinc de bonis præpoſituræ S. Iacobi iam ad ſeculares devolutæ agi cœptum: FLORINUS abbatis Roggenburgenſis, *Balthaſſaris Ramschwagii* præfecti in *Guttenburg*, et *Petri Fineri* præfecti caſtrenſis, quos rex *Ferdinandus* ſubmiſerat, auctoritate et conſilio usus cum 10. iudiciorum liga pactum iniit anno 1548. vi cuius omnia bona iuraque præpoſituræ ſecularibus in perpetuam emphitheusin pro CXI. libris Rhæticis tradidit, ex quibus Curwaldenſes quotannis 30. circiter florenos haurirent *d*). Obiit FLORINUS eodem anno.

XX. EBERHARDUS *Rünk* vel *Renk* ſacerdos ſecularis et ſacellanus Cazenſis a quatuor commiſſariis Auſtriacis, totidemque Griſonibus Curwaldiæ *abbas ſextus* a. 1549. impoſitus eſt, poſtquam *Petrus Panolus* parochus in *Schiers* ad eam dignitatem denominatus obiiſſet. In ordinem Præmonſtratenſem aſſumtus ab abbate Roggenburgenſi EBERHARDUS nihil canonico dignum geſſit, ſemper vagus tantumque prodigus, ut regimen Oenipontanum cum prædicto abbate plura

a) Bayrham. loc. cit. *b*) Loc. cit. p. 730. etc. *c*) Annal. Præmonſtr. T. I. p. 585. *d*) Ros. a Porta loc. cit. p. 163. etc.

Curwaldiæ bona ad debita ſolvenda vendere debuerit. Sine laude præfuit usque ad annum 1562.

XXI. Nicolaus *Ieñatius abbas ſeptimus* ex ſacerdote ſeculari et parocho Lacuprati a poteſtate laica electus atro calculo notatur a Bayrhamero *a*). Vivere deſiit anno 1580. vel, ut alii dicunt, abbatiam reſignavit ære alieno gravatam die 10. Ianuar. anno 1588.

XXII. Ioannes *Wyſmann abbas octavus* a Roggenburgenſibus transmiſſus vivis exceſſit anno 1589.

XXIII. Silvester *Schrof abbas nonus et ultimus* canonicus S. Lucii, electus eſt die 29. Ianuarii anno 1589. qui mala et improvida ſua gubernatione abbatiam in præcipitium egit. Accedit, quod acatholici anno 1593. cœnobium violaverint, et abbate pulſo ſectarios intrudere tentaverint, quod patet ex reſponſione *Leopoldi* archiducis anno 1621. menſe Maio legatis Griſonum data *b*). Mortuus eſt Silvester anno 1599.

Ex eo tempore Curwaldia nonniſi a ſubmiſſis ex Roggenburgo *adminiſtratoribus* ab omnimoda ruina defendebatur. Quoſdam eorum iuvat ſubnectere.

Michael *Iäger* per biennium utiliter præfuit, quem ſequutus eſt alter

Michael *Probſt*, qui Curwaldiam rexit usque ad diem 7. Martii anno 1610. quo abbas Roggenburgi evaſit.

Ioannes *Buck* vir zelo animarum inſignis, qui acatholicis templum conſtanter occupare adniſis reſiſtens ſuggeſtum extra illud ſub dio conſtruxit, ut populum facilius in fide catholica inſtrueret ac confirmaret. Rhætigoii ab annua 34. flor. ſolutione anno 1612. per 535. florenos ſe exemerunt *c*).

Casparus *Keck* vix menſes aliquot in Curwaldia transegit; nam anno 1613. parœciam in *Wiſenbach* regendam ſuſcipiens ibi peſte extinctus eſt.

Carolus *Pertſchius* Roſio a Porta teſte *d*) cœnobio Corvantiorum adminiſtrator datus fuit anno 1614. vir et in officii ſacri partibus defungendis, et in œconomica re curanda diligentiſſimus ac ſolertiſſimus, quique omni ſtudio obnitebatur, ne prædicatio acatholica institueretur, quam Curienſis et Davoſianus paſtores quacunque ratione invehere adlaborabant. Violentiæ tandem ſuccubuit Caroli conatus; quum enim anno 1616. die 17. Octobris incolæ regionis Corvantianæ, ad quam *Umbilicum*, *Parpanum* et *Tſchierſch* pertinent, Curwaldiæ congregati in maiori cœnobii hypocauſto conſiderent; regionis iudex conſultandum propoſuit, annon æquitati conſonum foret, in primario totius regionis tem-

a) Loc. cit. p. 94. *b*) Ros. a Porta loc. cit. T. II. p. 439. et Bayrham. loc. cit. p. 104. *c*) Ros. a Porta loc. cit. p. 636. *d*) Ibid. p. 285.

plo, quod Curwaldenſe eſt, miniſtrum acatholicum inſtituere, quum alias maior populi pars religionem catholicam miſſam fecerit? omnibus, quotquot aderant, acatholicis iuſtiſſimum id eſſe conclamantibus concluſum eſt, rem propoſitam effectui dandam executione in diem alteram dilata. Sequenti igitur die 18. Oct. eodem in loco congregati primo omnium rerum mobilium in cœnobio inventarium confecerunt, dein ad veſperam per duos nuntios CAROLO ſignificarunt, ſine mora, quæ ſua eſſe probarentur, avehi vel deportari curaret, ipſe vero mox domo excederet, in viaticum binos illi florenos offerentes. Miſeratione tactus quidam ab inhumanis Corvantiis petiit, ut CAROLO inſtantem ſaltim noctem in cœnobio tranſigere liceret; ægerrime id obtinuit, adminiſtrator autem primo mane die 19. Oct. regionem horridam reliquit.

In expulſi locum miſſus eſt miniſter acatholicus *Iodocus Gantnerus* Curienſis: hæſit ibi annos tres et menſes ſex, tandemque deſperatione agitatus miſer anno 1620. e feneſtra in voluntarium exitium præcipitem ſe dedit. Comperto hoc caſu *Ioannes Flugius* epiſcopus Curienſis abſque mora *Georgio Hæberlino* Curwaldiam commiſit, quin aliquis ſe opponere auderet, milite *Leopoldi* archiducis Auſtriæ Rhætiam implente. Ipſemet CAROLUS *Pertſchius* anno 1622. in Corvantiam rediit, et cœnobium multo ſat tempore pacifice adminiſtravit; advenit quoque *Alexander Scapius* nuntius apoſtolicus. Hac occaſione utendum ratus *Michael* Roggenburgi abbas anno 1624. *Fridericum Romelium* ſubpriorem Curwaldiam ablegavit, qui cœnobii bona per manus acatholicorum iam dilapſa denuo collegit, viamque communem, quam illi per monaſterii aream fecerant, obſtrui curavit.

GEORGIUS *Haberlinus*, qui interim Weſeni animarum curam egerat, anno 1639. in adminiſtratione Curwaldenſi *Carolo* ſucceſſit. Vix ſedati erant bellici motus, quum Corvantiani uſum templi illico repeterent; reſtitit pro viribus GEORGIUS; verum illi in effrænam licentiam effuſi anno 1646. vi adhibita templum efregerunt tantum ex cœnobii redditibus auferentes, quantum præconis ſuſtentationi ſufficere videbatur. Fortiſſime reclamavit *Fridericus Romelius* Roggenburgi tunc abbas implorata etiam archiducis ope. Aſt nihil effectum; heterodoxi enim exinde ad noſtra uſque tempora in bonorum templique uſu ita perſeverant, ut ſub eodem tecto pariete ſolum interpoſito utriuſque religionis exercitium pacifice vigeat. Catholici paſtoris munere defungitur canonicus aliquis ex Roggenburgenſibus, qui Curwaldiæ adminiſtratoris nomen gerit.

N. II.

CŒNOBIUM S. IACOBI

PRÆPOSITURA PRÆMONSTRATENSIS IN RHÆTIGOIA

VULGO

KLŒSTERLE.

In fœdere X. iudiciorum ſecunda iuriſdictio *Cœnobiana* adpellatur a cœnobio ſeu præpoſitura Præmonſtratenſi ad *S. Iacobum* in valle Rhætigoia vulgo *Bretigeu.* Quando et a quonam fundata ſit certo definiri non poteſt; veroſimillimum eſt, initium ſumsiſſe medio ſeculo XII. quum Præmonſtratenſes in Rhætiam accerſerentur. Præpoſitura hæc matrem Curwaldiam agnovit; hinc auguramur, coloniam Præmonſtratenſem ex Corvantia ad Rhætigoios deductam fuiſſe, chronici vero Curwaldenſis auctorem *a)* in ſolo nomine deceptum, dum pro *S. Iacobi* cœnobio illud *S. Lucii* ponit, ac canonicos cum ſuppellectili ex Curwaldia illuc evocatos adſerit. Certe abbatiam fuiſſe *S. Iacobi* ædem nullibi legimus, nec præpoſitorum, qui illam rexerunt, ſeriem texere poſſumus; ſufficiat ergo lugubrem eius interitum retuliſſe.

Quum poſt ſeculi XVI. initia reformatio Zwingliana omnes ferme Rhætiæ angulos pervaderet, præpoſituram *S. Iacobi* gubernabat *Bartholomæus Bilger* Curienſis, cui veſtis regularis iam dudum tormentum fuerat; hac igitur abiecta ad novatores tranſiens anno 1525. vel ſequenti nuptias contraxit cum ſorore *Bartholomæi Egeni* in iuriſdictione Cœnobiana tunc prætoris, atque in ſuum natale ſolum Curiam ſeceſſit. Canonici tum præpoſiti ſui infamia tum incolarum minis conſternati in fugam omnes dilapſi ædem vacuam reliquerunt; Rhætigoii vero miſſa abrogata confractisque SS. imaginibus *Spreiterum* quemdam novæ ſectæ miniſtrum illuc induxerunt, bonis præpoſituræ ad iuriſdictionem Cœnobianam devolutis.

Aegerrime rem tulerunt Auſtriaci, qui et præpoſituram et religionem catholicam in Rhætigoia reſtituere adnitebantur. Verum anno 1533. Glurnæ apud Vennones conventione inita incolis cœnobianis rei perpetratæ gratia facta et præpoſitura pro hac vice in eorum poteſtate relicta fuit. Interim Roggenburgi et Curwaldiæ abbates nihil non egerunt, ut iura, quibus *paternitatis* titulo gaudebant, aliquo ſaltem modo reſuſcitarent; hinc anno 1548. cum Rhætigoiis pactum inivere, quo præpo-

a) Annal. Præmonſtr. T. I. p. 574. ſeq.

ſituræ bona pro annua ſolutione 111. librarum Rhæticarum in perpetuam emphitheuſin tradebantur, ut ſupra iam diximus. Conventum porro, ut abbati Curwaldenſi quotannis 34. floreni, paſtori acatholico in S. Iacobum recens inducto 70. Serneuſio autem 10. totidemque pauperibus, ac demum *Bollino* cuidam ſeni 3. ſolverentur. Adiecta tamen provida fuit conditio, ut ſi aliquando catholicorum numero prævalente præpoſitura reſtitueretur, incolæ tot tunc prata dare tenerentur, quot alendis 4. vaccis ſufficerent. *Leopoldus* archidux Auſtriæ Rhætigoia in ſuam poteſtatem redacta catholicam religionem rurſus illuc implantare adlaboravit, maxime anno 1623. imo iam aliqui ſacerdotes *S. Iacobi* ædes iterum inhabitaſſe videntur, qui exercitu Gallico anno 1624. adveniente ultro diſceſſerunt; Rhætigoii vero a dominio Auſtriaco liberati ſuique iuris facti cœnobium ad noſtram usque ætatem pacifice retinent *a*).

Quamdiu præpoſitura viguit, tota ſuberat diſpoſitioni abbatis Curwaldenſis, ad cuius nutum præpoſitus ipſemet amoveri poterat, et quidem vigore iuramenti, quod in ſua inſtitutione præſtare tenebatur; quo ſoluto annulum aureum ab abbate accipere conſueverat: in perpetuum vero ſuæ ſubiectionis monumentum ſubpriori Curwaldenſi ſingulis annis 8. florenos numerare adſtringebatur.

N. III.

CARTHUSIA IN SCHNALS
OMNIUM SS. ANGELORUM.

E regione urbis Meranenſis in loco *Schnals* maxime horrido et montibus undique cincto ultra quatuor ſecula viguit domus Carthuſianorum, quam *Henricus* Bohemiæ rex et comes Tyrolenſis pro tredecim monachis anno 1326. fundaverat, qui *Godefrido* priori Maurbacenſi in Auſtria inferiore pluribus adſignatis bonis negotium commiſit, cellas in *Schnals* quamprimum fieri poſſet, ædificandi *b*). Domum hanc ſingulari favore proſecutus eſt ſeculo XV. *Henricus* epiſcopus Curienſis, quare anno 1493. ab HIERONYMO tunc priore gratitudinis ergo accepit ius piſcandi in lacu ſuper *Chrustle c*). Carthuſiam hanc *Ioſephus* II. imp. ſuſtulit.

a) Annal. Præmonſtr. T. I. p. 851. Sprecher. loc. cit. p. 253. Ros. a Porta loc. cit. T. I. p. 163. et T. II. p. 633. etc. *b*) Cod. prob. N. XCVIII. *c*) Ibid. N. CXXVII.

N. IV.

CŒNOBIUM S. NICOLAI CURIÆ

ORDINIS S. DOMINICI.

Floruit olim in urbe Curienſi cœnobium *S. Nicolai* fratrum Prædicatorum, cuius ignota fundatio est; perstitit usque ad annum circiter 1538. quo fratres expulsi ſunt. Restituti quidem postea fuerunt unacum canonicis S. Lucii a. 1624. *a*) quin tamen diu ſubsistere potuerint tota urbe ſacra catholica relinquente.

N. V.

MONS S. VICTORIS

ORD. MIN. S. FRANCISCI.

Duabus circiter horis ab urbe Feldkirchensi prominet mons præaltus e regione antiqui castri *Montisfortis*, olim mons volucrum, *Vogelsberg*, dictus, si Iosepho a *Wendenthal* fides *b*), qui montem hunc demum anno 1370. *S. Victoris* nomine insignitum ſcribit ob translatas a comite *Rudolpho* de Monteforti ſancti huius viri exuvias, quæ tamen iam ſeculo IX. ibi colebantur. Patet id ex diplomate Caroli Crassi imp. anno 882. die 23. Sept. montem istum S. Gallo tradentis: *Quemdam montem*, inquit, *quo reliquiæ et ecclesia ſancti* VICTORIS *constructa esse dinoscitur, atque religioso quorumdam Scotorum conventu incolitur, ad monasterium S. Galli iure proprietario contulimus* *c*). Erant tunc igitur ibi monachi, quos inter præcipuus *S. Eusebius* Scotigena; non putem, illum ab Hartmuto abbate S. Galli transmissum, aut eidem ſubiectum, donec locus ipse regia liberalitate S. Gallensibus donaretur: neque ſolum monachus, ſed ſacerdos etiam *S. Eusebius* fuisse videtur, ſiquidem per 30. circiter annos ibidem laboribus apostolicis defunctus incolarum odia ſibi contraxit, a quibus anno 884. crudelem in modum falcibus peremtus est. Ergo hic locus ſaltem 28. annis a monachis incultus est, antequam ad S. Gallum transferretur, fuitque nomine et reliquiis *S. Victoris* eo iam tempore clarus.

Coniuncta erant pio loco varia bona vineæ ſilvæque in *Venomnia*, quæ *Rankwila* fuisse videtur, et *Rautena* hodie *Rötis*; illa Carolus imp. anno 885. ea conditione

a) Vid. ſupra ſect. I. cap. IV. *b*) Austr. S. T. II. P. I. p. 68. *c*) P. Neug. Cod. Alem. T. I. p. 436.

S. Gallo ceſſit, ut exinde ſemper 12. peregrini in *Monte S. Victoris* ſuſtentarentur *a*). Peregrinos hosce vix alios fuiſſe opinamur, niſi Scotos, quorum multi eo tempore Franciam et Alemanniam religionis propagandæ cauſa pervaſerunt.

Anno 896. ibidem vixit *Valerius* presbyter, *Mauretianus*, *Urſicinus* aliique fratres, qui cum *Engelberto* S. Galli decano pactum de dividendis loci reditibus iniverunt.

Seculo XIV. *S. Victoris* mons comitibus de *Monteforti* obtigit, quos inter *Rudolphus* anno 1370. ædes ſacras in meliorem formam reſtituit, easque poſt decennium fratribus minoribus S. Franciſci tradidit, quemadmodum acta familiaria nos edocent. Variam ſortem ibi experti Franciſcani fuerunt: anno 1568. duarum hebdomadum ſpatio vix non omnes lue extincti ſunt. Anno 1642. ædes fulmine concremarunt, pro quarum reſtitutione *Simplicianus* de *Banco* tunc parochus in *Fraxern* omnia ſua bona conferens votis emiſſis ibidem religioſæ vitæ ſe addixit, atque anno 1666. in fama ſanctitatis obiit.

Religioſi iſti animarum curæ ſolertiſſime intenti maximo cum emolumento vicinis parochis labores ſuos comodarunt usque ad tempora *Ioſephi II.* imp. qui Franciſcanis ſacerdotem ſecularem ſubſtituit.

N. VI.

MONS S. IOSEPHI

EREMITARUM ORDINIS S. HIERONYMI.

Seculo præterito etiam eremitæ Piſani ord. S. Hieronymi Curienſem diœceſin intrarunt ſedem figentes prope Meranum in Monte S. Ioſephi, ubi comes *Franciſcus Adamus* de *Brandiſio* ſacellum extruxerat, quod dicti eremitæ anno 1695. in ſuam poteſtatem acceperunt magnas illis lites movente parocho in *Algund*. Meliorem tandem ſortem nacti ſunt clementia *Benedicti* de *Roſt* epiſcopi Curienſis, quum is anno 1728. illam regionem luſtraret.

N. VII.

CŒNOBIA RR. PP.

CAPUCINORUM.

Quemadmodum in aliis regionibus, ſic maxime in Curienſi diœceſi pro religionis tum conſervatione tum augmento poſtremis binis ſeculis impigre ac ingenti

a) P. Trudp. Neugart loc. cit. p. 451.

fructu laborarunt RR. patres Seraphici, quos *Capucinos* vocare conſuevimus. Meſſem intrarunt ineunte ſeculo XVII. maximis eam laboribus ac ſudore plurimo, imo et ſanguine fœcundam reddentes. Iuvat audire verba, quæ in monumentis episcopi Curienſis legimus *a*).

„Quando Patres Capucini ope atque auctoritate optimi principis *Ioannis* illuſtriſſimi moderni episcopi prædeceſſoris et cognati, cuius animæ Deus benefacere dignetur, in Rhætiam ſuperiorem introducti ſunt; nihil magis laborant ac vociferantur tam præcones acatholici quam proteſtantes, quam ut prædicti Patres loco pellantur. Opere enim ipſo comperiunt, a Patribus illis non tantum ædes Deo dicatas, verum etiam clerum ac parochianos in meliorem ac ſumme neceſſarium ordinem eſſe redactos, adeo ut catholici non tantum nomine tenus, verum etiam factis et operibus agnoſcantur, eccleſiæ vel de novo conſtruantur, vel ad minimum ornentur, atque e ſitu ſqualoreque in aliam faciem et ſplendorem aſſurgant, denique neceſſariis omnibus ab iisdem Patribus famem ſitimque patienter interim tolerantibus inſtruantur: catholici vero, præſertim iis in locis, in quibus Patres Capucini parochias adminiſtrant, eo fervore, devotione, frequentiaque templa adeant, myſteriis tam pœnitentiæ quam ſacræ ſynaxis mentem reficiant ac reſtaurent, alia denique catholici ritus munia obeant ac celebrent, ut Italiæ, in qua tamen religio et pietas ſedem fixiſſe iure merito deberet, minime cedant.„

Cœnobia, quæ inhabitant, ſequentia ſunt:

CURIÆ prope aulam episcopalem vices parochi agunt in templo cathedrali.

MELSII in comitatu Sarganenſi habitare cœperunt anno 1647 *b*).

FELDKIRCHII cœnobii extruendi occaſionem præbuit *P. Seraphinus* Guardianus Frauenfeldenſis, qui anno 1600. ſuis ſacris ſermonibus e ſuggeſtu habitis civium animos ita devinxit, ut unanimi voto Capucinis locum domumque decernerent. Superatis igitur quibuscunque obſtaculis anno 1605. templum unacum cœnobio extra urbem in loco peramœno abſolutum, atque die S. Andreæ apoſtolo ſacra a *Ioanne* Curienſi episcopo ſolemni ritu dedicatum fuit. Immortale huius aſceterii decus eſt S. FIDELIS *Martyr*, qui Guardiani munere ibidem fungebatur, ubi ſacrum eius caput fidelium venerationi exponitur. Reliqua in parte prima paucis recenſuimus. Inter celebriores porro loci huius habetur *P. Stanislaus Wunteschingus*, qui vitam clauſit anno 1645 *c*).

PLUDENTI Feldkirchenſes Capucini per 40. annos animarum curam magno cum fœnore peragebant. Quocirca *Leonardo Clesino* loci parocho et *Udalrico Ramschwagio* centurione auctoribus ex episcopi Curienſis conſenſu etiam in hoc oppido cœnobium anno 1645. ædificare cœptum, fundum ſubminiſtrante *Conrado Zürchero* conſule. Aſt vix ſexennium effluxerat, quum ædes anno 1651. ineunte Martio in cineres redigerentur; illico tamen piorum hominum munificentia reſtitutæ e ruina fuerunt.

a) Archiv. Curiens. Hiſt. relig. litt. A. p. 43. *b*) Leo Tigur. Helvet. Lexic. *Mels.* *c*) Auſtr. S. T. II. P. I. p. 63.

MERANI in Tyroli Capucini ſuam originem maxime debent archiduci *Maximiliano* aliisque fidelibus. Cœnobium anno 1616. extructum et ſequenti dedicatum fuit a *Ioanne V. Flugio* Curienſi epiſcopo. Dux de Modena *Alphonſus* anno 1629. ſpretis mundi illecebris ibidem ſeraphici ordinis habitum ſuſcepit.

SCHLANDERS, quem in locum ex Merano colonia deducta eſt anno 1644.

MONASTERII, ubi *M. Auguſtina* de *Troyer* abbatiſſa loci parœciam fratribus provinciæ Tyrolenſis tradidit anno 1734.

TARASPI poſt tempora reformationis Capucini provinciæ Brescianæ ſuas miſſiones peragebant, quibus debetur, quidquid avitæ fidei ea in regione ſupereſt. Brescianis anno 1716. diſcedentibus ex mandato *Caroli VI.* imp. Tyrolenſes ſucceſſerunt.

In ENGADINA catholici ſibi Capucinos paſtores petiverunt, ut qui antehac ibidem munere apoſtolico defuncti eſſent; eos impetrarunt anno 1733.

MALSII in valle Venuſta hoſpitium erectum eſt anno 1697.

Alia inſuper duo hoſpitia incolunt in valle Meſaucina, MESAUCI ſcilicet et ROVOREDI; complures porro per Rhætiam parœcias adminiſtrant.

CAPUT II.

COENOBIA MINORA VIRGINUM.

N. I.

VALLIS DOMINARUM SEU VALDONA

ORDINIS S. CLARÆ.

Fertur, ad ſeculi XIII. finem pium quemdam eremicolam in ſilva Valdonenſi prope Feldkirchium habitantem prædixiſſe ex cella ſua quondam parthenonem extructum iri. Uti fabulam accolæ vaticinium exploſerunt; ſucceſſu vero temporis circa annum 1311. *Marquardus Brehencerus* prædives mercator Brixinenſis, quum iter per ſilvam ageret, eodem in loco fulmine in terram alliſus ex conſcientiæ remorſu pœnitentiam ibidem more anachoretarum agere conſtituit ſtructa illico ex comitum Montefortium conſenſu cellula. Aiunt, diſparuiſſe poſt aliquot annos *Marquardum*, ruſticos vero apud Montefortios id effeciſſe, ut cellula virginibus concederetur. Primæ illam incoluiſſe dicuntur *Anna* et *Adelheidis Mayerin*, et *Anna Hugin* Grimmſteinenſes, quæ piis eleemoſynis adiutæ circa ann. 1380. cœnobium condiderint *Rudolpho* de Monteforti eiusque ſorore *Suſanna* fundum ſubminiſtrantibus. Primis tres aliæ ſe adiunxerunt puellarum inſtructioni ſolerter incumbentes. Suffulſit eas in pio hoc opere *Ioannes Schilterus* Franciſcanus earundem confeſſarius, quo factum, ut auctis eleemoſynis pedetentim quadraginta virgines congregarentur. Par-

thenium hoc primum a *Bonifacio IX.* pontifice, ac dein a *Leopoldo* archiduce Austriæ anno 1400. confirmatum atque etiam per decimas quasdam in *Rankweil* dotatum fuit.

Ast fortunata hæc initia bellum et ſubsequens lues tantopere turbavit, ut moniales huc illucque dispersæ vix vitæ necessaria nanciscerentur, ac demum anno 1410. rursus Valdonæ convenirent, ubi paulo post illarum viginti tres peste obierunt. Cæterum exacta disciplinæ regularis observantia virtutumque ſplendore et cœlum ſibi propitium et homines benevolos reddiderunt, ita ut *Sigismundus* archidux *molendinum aureum* unacum eiusdem nominis flumine ab omni onere liberum eis in perpetuum vendiderit adiecta pascuorum quorumdam donatione. Plures etiam vitæ ſpiritualis magistræ ex hoc cœnobio in alia evocatæ fuerunt, quarum prima fuit *Ursula Haiderin B. Elisabethæ* Reutensis Suevæ magisterio usa, quæ anno 1480. cum octo aliis virginibus ad Villinganum parthenium postulata est.

Furente bello, quod Suevicum appellant, factum contigit posterorum memoria dignum: quum enim nobilis quidam de Altosaxo Helvetici exercitus partem adversus Austriacos duceret, cœnobium Valdonense dominica I. quadragesimæ anno 1499. occupare et expilare constituit. ANNA *Lindina* tunc antistes comperto ducis consilio maiorem Servatoris nostri crucifixi imaginem magna fiducia in manus accipiens totam virginum cohortem ad cœnobii portam quasi in aciem eduxit; res mira! hostes, qui parthenium ſpe iamiam devoraverant, ſtupefacti ad virginum conspectum non ſunt ausi vel pedem proferre, ſed pietate victi ultro discesserunt. Huius victoriæ, quæ nullo ſanguine ſtetit, memoriam postea moniales quotannis ſtatuta die celebrem habentes divinis laudibus veluti triumphum agebant, atque trophæi loco Servatoris imaginem ſpeciali veneratione prosequebantur. Magnos virginum animos non potuit non remunerari *Maximilianus* imp. qui iisdem anno 1507. ius patronatus parœciæ Sateinsanæ concessit. Earum porro iura a variis postmodum Austriæ archiducibus confirmata fuerunt.

Perstitit interea ſemper idem, ſeu crevit potius, disciplinæ monasticæ vigor, ut Valdona velut abbatissarum ſeminarium haberetur; nam intra ſeculum circiter omnino novem antistites aliorsum postulatæ fuerunt, quæ ſanctiorem vivendi modum vel inducerent, vel restaurarent, quarum nomina posteritati consignari merentur; ſunt autem MARIA ANNA *Frikin* anno 1515. Spiram evocata abbatissa, et MARGARITA *Roserin* priorissa. MAGDALENA *Schirmerin* anno 1577. Witichense cœnobium regere cœpit. ELISABETHA et ANNA ambæ cognomento *Böchin* Ratisbonam abbatissæ postulabantur anno 1581. ANNA vero altera *Bechin* anno 1590. rursus Spiram, et post quatuor annos SALOME *Zæcherin* denuo Ratisbonam evocatæ. CATHARINA *Weitenauerin* parthenium Thalbacense prope Brigantiam anno 1595. reformavit, ac demum Witichenses LUDOVICAM *Rollin* anno 1654. ex Valdona ſibi abbatissam petiverunt.

Pium monialium fervorem adversa acuerunt; nam anno 1622. quo bellum Austriacos inter et Rhætos exarsit, monasterio pulsæ perfugium apud comitem de Amisio alto quærere cogebantur. Anno dehinc 1647. Brigantia milite Suecico occupata relictis hosti ædibus in Helvetiam transfugere opus habebant, parthenio in-

terea bis exſpoliato; poſt trimeſtre tamen ſecuræ Valdonam redierunt. Floruit hic parthenon usque ad *Ioſephi II.* imp. tempora, cuius mandato circa annum 1783. ſublatum fuit *a)*.

N. II.

ALTENSTADT

CŒNOBIUM VIRGINUM ORD. S. DOMINICI.

Minoris leucæ ſpatio ab urbe Feldkirchenſi diſtat pagus Altenſtadium, ubi a. 1600. duodecim puellæ miro pietatis conſenſu collatis patrimoniis vitam monaſticam agere cœperunt ſub regula tertii ordinis, ut vocant, S. Dominici; pii propoſiti ducem ſe loci parochus præbuerat. Ingruente autem triginta poſt annos rerum penuria bonæ virgines undequaque ſtipem emendicare cogebantur. Accidit, ut tres illarum ea de cauſa Oenipontem profectæ prædivitem nobilemque viduam *Mariam Annam* de *Möhrl* acceſſerint, quæ hiſce pauperibus ſe adiungendi, atque ex facultatibus ſuis cœnobii in *Altenſtadt* conſtruendi conſilium cœpit. Favit ſucceſſus, cœnobio namque ad apicem perducto vidua anno 1637. votis ſe religioſis obſtrinxit, lectaque ſtatim in antiſtitem officium divinum ac vitam regularem ita inſtituit, ut virgines in omnibus epiſcopo Curienſi ſubiicerentur. Verum poſt annos non ita multos tantum æris alieni contraxerunt, ut epiſcopus, ni preces Guardiani Feldkirchenſis obſtitiſſent, partheneum integrum ſuſtuliſſet. *Annæ* dehinc *Luſpin* prioriſſæ ſagaci providentia reſpirare licuit *b)*.

N. III.

CŒNOBIUM VIRGINUM S. PETRI PROPE BLUDENTUM

ORDINIS S. DOMINICI.

In Montafunenſi valle prope urbem Bludentum erat perantiqua eccleſia parochialis S. Petro ſacra, quæ ſeculo XII. unacum omnibus, quæ adiacebant, ædificiis triſti incendio in fumos abiit, quum vero reſtitui tam facile non poſſent, virgines aliquot collatis pecuniis ibi domum ſibi ædificarunt, quam in vita communi quaſi moniales, nulli tamen regulæ addictæ, incolerent. Centum circiter poſt annos *Fridericus* Curienſis epiſcopus regulam illis obſervandam unacum variis privilegiis tradidit anno 1286. quibus ad hunc usque diem perfruuntur. Spiritualem earum curam gerunt patres Capucini in Bludento.

a) Wendenthal loc. cit. p. 71. etc. b) Ibid. p. 66.

N. IV.

CŒNOBIUM MONIALIUM VESENII IN SALICIBUS ORDINIS S. DOMINICI.

In Castris Rhæticis infra lacum Rivanum ad pedem montis *Ammonis* prominet oppidum haud vulgare et mercimonio clarum Vesenium vulgo *Wesen.* Inter parœcias, quas complectitur, aliqua *in Salicibus*, *in Wieden*, appellatur, ubi a ſeculo XIII. parthenium extat ord. S. Dominici fundatum a comite Rapersvilano *Rudolpho*, quod testantur eius litteræ de die 1. Febr. anno 1259. *a)* in hunc modum: *Totam aream ſitam iuxta* WESEN *in littore loci, qui vocatur* WYDON *cum iure proprietatis — et rivum aquæ de monte iuxta fluentem — — pauperibus ſororibus ibidem Domino ſervientibus libere et ſpontanee contulimus pro animarum parentum nostrorum et nostræ remedio et ſalute, per hanc donationem nostram* IPSUM LOCUM DEO FUNDANTES.

Porro in alia eiusdem charta die 30. Maii in ipso cœnobii loco conscripta *b)* narratur, quod aliquis *Rudolphus* dictus *bey dem Bache* filiabus ſuis monastice viventibus dederit fundum, quem istæ in hortum olerum commutaverint, quemque fundator *Rudolphus* de Rapersvila per dictam chartam ab omni cenſu liberum declaravit. Hinc vero fit ſimile, conventum Wesensem a filiabus *bey dem Bache* ſua primordia habuisse. Postmodum fundatoris vidua *Mechtildis* anno 1261. die 5. Martii pariter cœnobium recens exstructum bonis ſuis dotavit *c)*. Paulo post a. 1265. *Rudolphus* comes de *Habsburg* et *Kyburg* parthenonem in ſuam protectionem ſuſcepit datis litteris in *Brugg* die 29. Aug. *d)* in quibus moniales vocat *dilectas ac devotas in Christo ancillas ſorores de congregatione apud* WESIN, rogatque, ut bona, *quæ coram Deo faciunt*, *cum illo participare velint.* Eadem mente *Albertus I.* Rom. rex anno 1300. die 31. Martii in urbe Turicensi virgines Wesenses ab omni exactione ſolutas et liberas esse iussit *e)*.

Anno 1322. d. 1. Iunii *Wernerus Elmer* Glaronæ præfectus litem moniales inter et *Ioannem Mulistenium* diremit ortam ex prato, quod huius ſoror velum assumens a patre pro dotis appendice pretio acceperat. Anno autem 1353. *Rudolphus Waezius* idem Glaronensis præfectus filiæ fratris ſui *Iudentæ* moniali in *Wesen* alpem in *Durnachthal* pro 8. vaccis alendis ea conditione adsignavit, ut ipsa quoad viveret, uteretur, postea vero ad cœnobium devolveretur *f)*. Nihil porro de hoc parthenone occurrit, nisi quod anno 1687. ex incendio resuscitatum fuerit.

a) Herrgott. Geneal. dipl. Habsb. T. II. P. I. p. 345. *b)* Ibid. p. 349. *c)* Tschud. Collect. msc. *Angelomont.* *d)* Herrgott. loc. cit. p. 390. *e)* Ibid. P. II. p. 582. *f)* Tschud. ibid.

N. V.

SION VEL GAUEN

ORDINIS PRÆMONSTRAT.

Præteriri non debet, quod noſtro demum ſeculo ortum eſt parthenium Præmonſtratenſe in monte *Sion* vel *Gauen* ſupra Uznacum, ubi aliquot virgines perpetuæ adorationi SS. Sacramenti et manuum labori incumbunt piis cæteroquin largitionibus adiutæ. Adprobatum primo hoc inſtitutum fuit anno 1767. die 31. Ianuarii a *Ioanne Antonio*; confirmatum vero anno 1778. die 11. Maii a *Dionyſio* de *Roſt* epiſcopis Curienſibus.

N. VI.

ALIQUOT ALIA PARTHENIA SUBLATA.

Meranenſe ord. S. Claræ nobilium originem ſuam debet *Euphemiæ* Ottonis Carinthiæ ducis viduæ, quæ a. 1290. accerſitis ex Thiernſteinenſi et Brixinenſi cœnobio monialibus ſingularem domum adſignavit, donec a. 1310. novum monaſterium unacum templo extrueretur. Duravit uſque ad *Ioſephi II.* imp. regimen.

Steinacenſe in Tyroli ord S. Dominici fundatum ab *Adelheide Alberti* comitis Tyrolenſis filia anno 1241. Deſiit ut præcedens.

Curienſe in Monte, forte antiquum *Serras* ab epiſcopo *Verendario* ſec. IX. conſtructum *a*).

Curienſe *S. Hilarii* extra urbis mœnia S. Lucio ſubiectum, de quo mentio fit anno 1209 *b*).

Curwaldenſe vocatum Curwaldia inferior de quo ſupra cap. I.

a) Cod. prob. N. X. *b*) Ibid. N. LXIII.

CODEX PROBATIONUM

AD

EPISCOPATUM CURIENSEM

EX

PRÆCIPUIS DOCUMENTIS

OMNIBUS FERME INEDITIS

COLLECTUS.

I.

Index rerum, quæ circa annum 670. e Deſertinenſi monaſterio Turegum ſecuritatis ergo tranſlatæ fuerunt (*Mabillon. Annal. Bened. lib. XVI. p.* 504.) *ex antiquo codice.*

Deſcriptio eccleſiaſtici theſauri de Deſertina monaſterii.

Sarcophagus paratus I. *a*). Tabulæ altaris V. Capſæ III. Evangelia parata II. *b*). Codices VIIII. Cruces III. minores et III. maiores. Sigillus I. *c*). Calices argentei XIIII. Patenæ XII. Calix aureus cum patena I. *d*). Urceus I. argenteus. Ampulla I. argentea. Cola I. argentea *e*). Vas incenſi I. *f*). Turibula II. Coronæ III. *g*). Argentei circuli VII. Campana pra I. *h*). Bases IIII. Pallioli XVIIII. Facieterculi XXIIII. *i*). Talmaticæ II. Cinguli IIII. Stola I. Caſula I. Candelabra II. Hæc omnia venerunt in Turegum cum reliquiis.

a) Cui *SS. Placidi et Sigisberti* reliquiæ includebantur, *paratus*, hoc est diverſimode ornatus.
b) Duo libri evangeliorum auro vel argento ornati.
c) Videtur fuiſſe vas variis figuris diſtinctum, antiquis enim quævis cælatura, vel ornamentum rebus intextum ſculptumve *Sigillus* dicebatur.
d) Quærere quiſpiam poſſet, unde ſtatim ab initio Deſertinenſibus tantæ divitiæ? ex dono *S. Placidi*, qui prædives regionis toparcha fuerat.
e) Eſt vaſculum ſubtiliter pertuſum, cuius ope vinum in ſacrificio calici infundebatur.
f) Navicula, in qua thus ſervabatur.
g) Nimbi, qui SS. capita ambiunt, vel candelabra, aut alia ornamenta rotunda. Vid. du Cange.
h) Mabillonius habet *Campana novem.*
i) Sudaria ſæpe auro argentove diſtincta.

II.

Testamentum Tellonis episcopi Curienſis die 15. Decemb. anno 766.

Mabillon. Annal. Benedict. T. II. p. 707. * *Idem nos notis illuſtratum et collatum cum exemplari Deſertinenſi ſiſtimus.*

In nomine ſanctæ Trinitatis. Cum myſterium optamus recordari, et ſecreta cordis noſtri ſemper debere reminiſci Altiſſimi beneficia humano generi tributa: cum Dominus Deus noſter Ieſus Chriſtus dignatus eſt deſcendere de ſinu Patris ad nos redimendos, qui me etiam indignum et exiguum omnium ſervorum Dei, non meis meritis, ſed ſua clementia inter præſules eccleſiæ ſuæ dignatus eſt collocare: et ut perpendo infelicitatem meam nec minus caſu fragilitatis meæ, quod non meis meritis ullis, ſed ſua immenſa pietate cupio reminiſci: adhuc ſicut meis, et humanæ fragilitatis obvolutum peccatis proximorum meorum *a*), quod per primum parentem noſtrum datum eſt, et incertæ vitæ huius exitus, et ſpem recuperans, ipſo Domino clementer promittente peccatoribus, quod eleemoſynis poſſint, qui voluerint, peccata ſua redimere. Nam et ego indignus Tello vocatus epiſcopus, non mea ei tribuo, ſed ſua, ipſo tribuente reddo: cum ipſe per prophetam dicit: *Domini eſt terra, et plenitudo eius.* Et, ut poſſim dicere, cum ipſe propheta ait: Dominus pars hereditatis meæ. Et dum tres eccleſiæ iſtius *ſanctæ Mariæ* ſemper

a) Heic haud dubie indicat tyrranidem, quam eius atavus *Victor I.* Rhætiæ præſes anno 632. in *S. Placidum* Deſertinenſem exercuit.

Virginis matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu *ſancti Martini*, ſeu *ſancti Petri b*), quas in hoc loco conſtructas eſſe ſcimus, ſeu ceterorum ſanctorum, quorum nomina in hoc loco conſtructa ſunt: quorum norma plurimorum ſervorum Dei in loco, qui dicitur Deſertina, monaſterium regularium conſtructum eſſe ſcimus, qua ego indignus, ac ſi peccator TELLO epiſcopus poſſidere videor, et impenſis meis plusquam debeo, utor, ſeu pro peccatis meis multis abluendis vel parentum meorum, dono, et ad ipſam eccleſiam ſanctæ Mariæ, ſeu ſancti Martini, ſeu ſancti Petri transfundo, hoc eſt, avi mei *Iactati c*) et aviæ meæ *Salviæ d*) et genitoris mei *Victoris e*) vel illuſtris præſidis, et genitricis meæ *Teuſindæ*, ſeu avunculi mei *Vigilii f*) epiſcopi, et germanorum meorum *Zacconis*, *Iactati* et *Vigilii g*), et nepotis mei *Victoris h*), et germanæ meæ *Salviæ*, ſeu neptis meæ *Teuſindæ* et *Oddæ i*).

1.
VICTOR I.
Tyrannus, qui S. Placidum decollari iuſſit, cuius filius eſt

2.
VIGILIUS,
Comes Brigantii et Rhætiæ Curienſis præſes, eius liberi ſunt

		3.	
PAULUS, Comes Brigantii.	ZACCO, Rhætiæ præſes.	PASCHALIS, ex uxore ante Epiſcopatum Aeſopeia genuit	CASTOMIA.

		4.	
VICTOREM, in Epiſcopatu ſucceſſorem.	VESPULAM, Cazenſem Abbatiſſam.	IACTATUM, Rhætiæ præſidem. Salvia eius uxor.	URSICINAM, Cazenſem Canoniſſam.

5.
VICTOR II.
Illuſtris Rhætiæ præſes,
qui ex uxore TEUSINDA procreavit

ZACCONEM, Rhætiæ præſidem.	IACTATUM, Comitem.	VIGILIUM, tribunum cæteris fratribus ſuperſtitem.	SALVIAM, Comitiſſam.	TELLONEM, Epiſcopum Curienſem huius teſtamenti conditorem.

VICTOR nepos, TEUSINDA et ODDA Tellonis ex Sorore vel Fratrum aliquo neptes.

Et adhuc dicente ſcriptura, quod qui res eccleſiæ possedit, ſeu aliquid proprietatis habuerit, teſtantur canones cum rebus eccleſiæ debet ſociari: propterea ego Tello peccator ordinatus epiſcopus, hic ſuperius teſtimoniis confirmatis, cedo poſt obitum meum vel deceſſum ad ſupradictam ſacro-ſanctam eccleſiam ſanctæ Mariæ et ſancti Martini, ſeu ſancti Petri cenſum, quem in perpetuum esse conſtituo atque diſcerno, et de iure meo in ius, et dominationi eius trado, atque usque in perpetuum transfundo: hoc eſt terra vel hereditas patris mei *Victoris* vel Illuſtris Præſidis, quæcunque acquiſivit per ſingula ſtrumenta de quocunque ingenio conquiſita, ac mihi Dominus per ſuam largitatem dare dignatus eſt: hoc eſt curtem meam in *Secanio k)* imprimis *Salam* cum *ſolario* ſubter *caminata*, deſuper alias *caminatas* ſubter cellarium, coquina, *ſtuta*, circa curtem ſtabulum, tabulata, *torbaces*, vel alia hoſpitalia, vel cellaria, et quicquid ad ipsam curtem pertinet, omnia ex integro *l)*. Item *curtinum m)* cum pomiferis ſuis. Item ortos et vineas ſubter curtem ex integro. Item in caſtro *Sala n) muricia* ſubter cellaria, torbaces in ipſo caſtro, quantum ad me legitime pertinet, omnia ex integro. Item ad *Vicum o)* curtem meam cum *tabulata p)*, cum *bareca q)*, cum omnibus, quæ ad ipſam curtem pertinent, cum introitu ſuo ex integro. Item in territoriis agrum ad *Buliu r)* modiales ſexaginta quinque, confiniente ad ipſam curtem, alia parte ad *S. Columbanum:* agrum trans *Vicum* modiales decem, confiniente ad *Gallonicum*, alia parte ad Amanti: agrum in *Stava s)* modiales octodecim, confiniente

b) Tribus itaque templis iam antiquitus conſpicua erat Deſertina, cuius fundator et primus antiſtes *S. Sigisbertus*, *S. Placidi* Toparchæ aliorumque opibus adiutus primo extruxit oratorium *B. V. Mariæ*, quod heic primo loco memoratur: ipſum vero monaſterium, quod oratorio coniunxit *S. Sigisbertus*, *S. Martino* ſacrum voluit, adiuncto in honorem eiusdem Sancti altero templo, ſiquidem eius ſucceſſor *S. Adalbero* utriusque *SS. Placidi* et *Sigisberti* reliquias in *S. Martini* eccleſiam tranſportaſſe dicitur a Deſertinatibus anno 663. ſicque habemus alteram eccleſiam, cuius *Tello* meminit. Tertiam *S. Petri* ante irruptionem Hunnorum et Deſertinæ excidium anno 670. factum non invenio; ſexaginta autem poſt annos *S. Urſicinus* abbas *Caroli Martelli*, *Vigilii* Epiſcopi Curienſis, et *Victoris II.* Rhætiæ præſidis munificentia ſuffultus præter monaſterium tria templa extruxit, bina *B. V. Mariæ* et *S. Martini* reſtauravit, tertium vero *S. Petri* Apoſtoli novum adiunxit.

c) Ex hac genealogia emendandus eſt Cl. *Ægidius Tschudius* qui in ſua Gallia comata pag. 298. et 299. *Episcopiæ* maritum *Zacconem* facit, qui nunquam fuit Epiſcopus, cum tamen *Paschalis* epiſcopus, antea ex *Esopeia* vel *Episcopia* 4. liberos procrearit, quos inter *Iactatus* hic memoratur *Tellonis* avus, et Rhætiæ præſes.

d) *Salvia Iactati* uxor, quæ tamen non genuit *Vigilium* Epiſcopum Curienſem, ſed ſolum *Victorem* Rhætiæ præſidem.

e) *Victor* unicus *Iactati* et *Salviæ* filius magnus Rhætiæ dux factorum gloria illuſtris, Deſertinæ dotator, vixit tempore *S. Ursicini* abb. et reſtaurationis monaſterii poſt annum 760.

f) *Vigilius* Epiſcopus *Tellonis* avunculus nominatur non patruus, fuit ergo *Teusindæ*, quæ genuit *Tellonem*, frater, non vero *Victoris*, quem *Teusinda* maritum habuit, ut vult Tſchudius loc. cit.

g) *Tellonis* germani *Zacco II.* Rhætiæ præſes, *Iactatus* comes, ambo brevi obierunt; quare tertius *Vigilius II.* Rhætiam obtinuit, antea viventibus adhuc fratribus tribunus, vid. Tſchud. l. cit.

h) Ex quonam prædictorum fratrum hic *Victor Tellonis* nepos prognatus ſit, ignotum; forſan ex *Vigilio* cæteris ſuperſtite.

i) *Salvia* ſoror, *Teusinda* et *Odda* neptes *Tellonis* alias nullibi comparent. Cæterum *Tellonis* genealogiam delinearunt varii variis cum erroribus, quos inter *Gulerus* in ſua Rhætiæ deſcriptione fol. 89. *Sprecherus* in Pallade Rhætica Lib. III. pag. 53. *Cointius* in Annal. Franc. T. V. pag. 616. Nos re iuxta *Tellonis* teſtamentum maturius diſcuſſa præfixam tabulam genealogicam dedimus.

k) *Secanium* ni fallor eſt *Sagens* pagus ad ſiniſtram Rheni ripam, pertinet ad iudicium in *Fovea* dictum griſei fœderis, rhætice: *Sagoign.*

l) *Sala* domus æſtiva vel conclave peramplum ad deambulandum, eſt vox rhætica, germ.: Ein Saal. *Solarium* eſt ambulacrum, quod ædes maiores in duas partes ſecat, rhætice *Soler.* *Caminata* dicebatur cella penuaria, cuius pars ſuperior teſtudinis inſtar incurva eſt, Rhæti *Caminadam* hodie dicunt. *Stuta* equile eſt. *Torbaces* frugum repoſitoria vel granaria, Rhæti vocant *Tormasch.*

m) *Curtinum* du Cangio quidem habitatio ruſticorum dicitur; ſed rhætica dialectus pomarium indigitat, quod illi *Curtin* appellant.

n) *Sala muricia* videtur ædificium peramplum lapidibus conſtructum.

o) Ad *Vicum*, *Vicus*, de *Vico*, loca vel in Lugannenſi, vel Clavennenſi, vel Valleſiana regione. Vide Leonis Tigur. Lex.

p) *Tabulata* fœnile, ſeu ædicula lignea, qua fœnum et ſtipula reconditur.

q) *Bareca* omnis generis ſupellex ruſtica, unde vox rhætica *Barchar* fatigari.

r) *Buliu* puto eſſe *Büel* vel *Biel*, cuius nominis plura loca occurrunt in Leonis Tigurini Lexico. *s)* *Stava* fortaſſe *Stäfis.*

ad Victoris, alia parte in via: agrum in *Sarrs t)* modiales octoginta, confiniente ad S. Columbani, alia parte in via: agrum in *Astiredæ* modiales quinquaginta, confiniente ad Calauſionis, alia parte ad Vigili: agrum in *Renio u)* modiales triginta, confiniente ad Lobeceni, alia parte ad Viventi: agrum in *Renio* modiales quadraginta, confiniente ad Iactati, alia parte ad Urseceni: agrum in ipso loco, confiniente ad Pauli, modiales duodecim: agrum ante Sala modiales duo: agrum ſubter Sala modiales ſex, confiniente in via: agrum *Alevenoce v)* modiales triginta, confiniente ad S. Columbani, cum casa, cum duobus tabulatis, cum curte et introitu ſuo, et cum canicunis ſuis, confinientem ipsum agrum ad viam: alium agrum modiales decem, confinientem ad Solemnis ad ſancti Martini. Ad ſummum Levenoce *Roncale w)* cum ædificio ſuo ex integro: item pradum curtinum ſubter Secanio et onera ſexaginta cum ædificio ſuo, confiniente ad S. Columbani, alia parte in via: aliud curtinum ſubter Vico onera decem, confiniente ad S. Columbani de ambabus partibus: aliud curtinum onera octo, confiniente ad curtem. Pradum in Heretis onera ſexaginta, confiniente ad S. Mariæ, alia parte in via. Pradum in Levenoce onera quindecim, confiniens ad S. Columbani, alia parte in Vedalionis, quantum me in ipso Levenoce habere videtur, ex integro. Item in alpe Agise onera centum. Pradum in *Castrices x)* in Roncale onera viginti, confiniens ad Agusti, alia parte in via. Pradum *ſupra Saxa y)* Roncale onera triginta, confiniens in S. Martini, alia parte in Vederanionis. Et ſuper *Falariæ z)* gradum onera ſex, confiniens in S. Stephani, alia parte ad Lobonis. Item in *Flemme aa)* Roncale ex integro. Item de Colonis de ipsa curte Secanio: Ariscio, Gaudentius, Exoberius, Calanho, Valerius, Anulfus, Crespio, Iactatus: isti omnes cum uxoribus et filiis ſuis, agri, prata, et quicquid ad ipsas colonias pertinet, cum omni *Sondro ſuo bb)* ex integro. Item de *Spehaticis cc)* Froncione Proiectum, Evalem, Flechosvum, Lobecinum, Aurelium, Victorem, Saturninum, Massonem, Rusticum, Desiderium, Lobucionem. Isti omnes cum uxoribus et filiis ſuis, agri, prata, vel quicquid ad ipsos *Spicios* pertinet *dd)* cum omni ſondro ſuo ex integro. Amantius persona præter terram ſolam ſanctæ Mariæ, Auster cum fratre ſuo, Aurelianus, Præstantius, Valerius, Viventius, Columba. Hos omnes cum uxoribus et filiis, et quicquid ipsi colere videntur, revertantur ſicut priores.

Item villam meam *Iliande ee)* ſalam cum cellario, cum omnibus, quæ circa ipsam ſalam haberi videntur ex integro; torbaces, tabulata, barecæ, curtes, ortus, omnia cum introitu ſuo, quæ circa ipsam curtem haberi videntur, quæ ad me legitime pertinent ex integro. Agrum ſubter Lobene modiales ſexaginta, confinientem in S. Martini: agrum ad curtem, modiales quindecim, confinientem in S. Mariæ: agrum Aflupio, modiales ſex, confinientem in Quartini: agrum

t) *Sarrs* aliter et melius legitur *Sauus*, estque hodie *Savusch* in iurisdictione Thusiana ligæ ſuperioris.
u) *Astiredæ* ignotum. *Renio* hodie *Riein* vel *Reusch* viculus in communitate Foveana.
v) *Alevenoce*, et uti aliquoties ſequitur *Levenoce* eundem locum puto cum *Alvenow* ſeu Alvanio ad dextram Albulæ montis ſito in 10. iudiciorum liga, vel forte est *Alvaschain* collapsa turris in iurisdictione Supraſaxensi.
w) *Roncale* idem est ac *Novale*, a rhætico *Roncar* eradicare.
x) *Castrices* hodie *Cästris* rhætice *Castrisch* in communitate Foveana ad dextram Rheni ripam.
y) *Supra Saxa* vicus catholicus in communitate Rhætiensi vulgo *in Räzins*, Rhæti *Sur Saisa* dicunt.
z) *Falaria* vicus mixtæ Religionis in *Fovea*: germ. *Felers*, rhæt. *Falera*.
aa) *Flemme* hodie *Flem* et *Flüms* in communitate Foveana ad ſinistram Rheni ripam.
bb) *Cum omni Sondro ſuo* idem est ac cum omnibus attinentiis ſuis; *Sondrum* enim idem ſonat ac ſequela ſeu annexio, unde rhæticum *Sondar* vel *Soundar* ſequi, ſubsequi.
cc) *Spehatici* et *Spicii* dicebantur homines proprii, vel mancipia, quasi homines nominatim *Specificati*. Unde
dd) *Quicquid ad Spicios pertinet* idem est, ac quicquid mancipia possident.
ee) *Iliande* Ilantium oppidum, et locus princeps in communitate Foveana. Rhæt. *Gliond*.

Roncale modiales ſex: agrum ante vicum modiales ſex confinientem in via: item pradum in *Campaniola ff*) onera decem confinient. in ſanctæ Mariæ. Radum in *Logorione gg*) onera decem, confinient. in ſanctæ Mariæ. Item ſuper Saxa villam meam cum caſa; cum tabulata, cum torbacibus, cum orto et omnibus quæ circa ipſam curtem adpertinent, ex integro: agrum modiales ſexaginta: pradum onera centum. Alium locum Maniniocum, agrum modiales viginti, aliud pradum Naulo, onera quadraginta: hæc omnia ſint data ad ſupradictam eccleſiam.

Item coloni de ipſa curte Iliande, Sporcio, Vidalinus, hos duos cum uxoribus et filiis, agros, prata, et cum omni fondro ſuo ex integro. Item Deſpicus, Vidalianus, Maurentius, Martinus, Calvolus, Lidorius: iſti omnes cum uxoribus et filiis ſuis, et cum omni fondro ſuo ex integro. Lopus et Urſocius, qui ſunt ſine terra, et ipſi ſint dati ad ſanctam eccleſiam. Item curtem meam in *Bregelo hh*) quam addo ad ipſum monaſterium ſanctæ Mariæ, ſeu ſancti Martini, ſeu ſancti Petri. Item Muriciam ſalam cum cellario, cum caminatis, cum ſolario, cum torbace, cum ſtabulo, cum barecis, cum tabulata, orto, curte, et quicquid ad ipſam curtem adpertinet cum introitu ſuo, omnia ex integro. Item agrum in *Ruane ii*) modialis triginta quinque, confinientem in flumine, altera parte in ſanctæ Mariæ: agrum in ipſo *Ruane*, modiales quatuor, et confinientem ad Iuliani, alia parte ad Canis: agrum trans flumen modiales undecim, confinientem ad Proiecti, alia parte in flumen: agrum ſuper *Caſtellum kk*) modiales octo, confinientem ad Silvionis, alia parte ad Evalentis: agrum ad ipſam curtem, modiales octo confinientem ad Iuliani: agrum in *Vorce ll*) modiales ſexaginta, confinientem in Vicaonis, alia parte in via cum ædificio ſuo, cum curte et introitu ſuo, omnia ex integro.

Item in *Selauno mm*) curtem meam cum tabulata, cum bareca, cum torbace, cum omni adpertinentia ſua, et quidquid ad ipſam curtem pertinet, ex integro. Item agrum ad *Feniles nn*) modiales octoginta, confinientem ad ipſam curtem: agrum *Ardunæ oo*) modiales ſexdecim, confinientem ad Evalentis, alia parte in Iuventi: agrum in *Vicinaves pp*) modiales ſeptemdecim confinientem ad Lomelengum, alia parte in ſancti Martini: item pradum ad *Sorella qq*) onera octo, confinientem ad Lidori: pradum *Anives rr*) in curtino, onera duodecim, confinientem ad Abbatiſſæ: pradum in *Eſſe*, onera viginti, confinientem ad Beravi: pradum in *Colimne* onera quinque: pradum ad Renum onera viginti confinientem ad Victurucionis, altera parte ad Iuliani: pradum in *Ruane* onera decem, confinientem ad ſancti Martini: pradum in *Vallecava ss*) onera quatuor confinientem in via: pradum *Macene* onera viginti quinque confinientem in via, alia parte ad Creſpionis. Item coloni de ipſa curte de *Taurento tt*) Laurentius et Lopus: hos duos cum omni fondro ſuo, ex integro. De *Selaune* Lidorius, Maurus, Beſanius, Sicharius, iſti om-

ff) *Campaniola* forte *Campion* in valle Meſaucina. *gg*) *Logorione*, veroſimiliter *Logianum* eſt in valle Meſaucina.
hh) *Bregelo*, *Brigels*, rhæt. *Breil*, vicus catholicus in communitate Deſertinenſi ad ſiniſtrum latus Rheni.
ii) *Ruane*, *Ruis*, *Ruaun*, vicus in Dominio Deſertinenſi montis S. Georgii.
kk) *Caſtellum* fors *Caſte* in directura *Danet* ligæ ſuperioris ad dextram Rheni. Vide Leonis Tigurini Lex.
ll) *Vorce*, *Uorz*, *Waltenſpurg* in liga ſuperiore ubi extant rudera arcium *S. Georgii*, *Vogelsberg*, *Grünenfels*, *Kropfenſtein*, ſuberat olim Baronibus *de Räzuns*, a quibus per concambium Deſertinenſibus traditus eſt locus iſte anno 1479. Vid. Leon. Tig. Lex. *mm*) *Selaunum*, *Schlans* vel *Slans*, vicus catholicus in Dominio Deſertinenſi montis S. Georgii.
nn) *Ad Feniles* ignotum; forte *Fientium* in valle Lugnitia fœderis griſei, ſeu potius fœnilia.
oo) *Arduna* hodie *d'Aardin*, vicus catholicus in communitate Deſertinenſi.
pp) *Vicinaves* forte *Viznau* quod in cantone Lucernenſi occurrit ad lacum, de quo tamen hic loci vix ſermo eſſe poteſt.
qq) *Sorellum* forſan *Solærum* eſt caſtrum antiquum prope *Igels*. Vid. Sprecher Pall. Rhæt. pag. 201.
rr) *Anives* hodie *d'Anis*, vicus catholicus in communitate Deſertinenſi.
ss) *Vallecava* in iuriſdictione monaſterienſi fœderis Domus Dei occurrit locus *Vallcava* ſeu *Valchiuſa* dictus.
tt) *Taurento* hodie *Trun* ſeu *Truns* locus comitiorum fœderis griſei.

nes cum uxoribus et filiis ſuis, et cum omni ſondro ſuo ex integro. Item Specins de *Andeſte uu)* Amantius, Montanarius, Exoberius, Frictellinus, Iohannes: iſti omnes cum uxoribus et filiis ſuis, cum omni ſondro ſuo ex integro. Item de ipſa curte, Maurelius, Dominicus, Donatus: iſti omnes cum uxoribus et filiis ſuis, agrum, pradum, vel quidquid circa ipſas caſas adpertinet, omnia ex integro. Leo perſona ſola. Feſcianus cum uxore et filiis ſuis, agri, prada, et cum omni ſondro ſuo, ex integro: iſti omnes revertantur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium ſanctæ Mariæ, ſeu ſancti Martini, ſeu ſancti Petri. Item in *Maile ww)* agri, prada, ſola, orti cum pomiferis, quantum ad me legitime pertinet, præter terram eccleſiis, portionem meam ex integro; et præter coloniam, quæ conceſſi iuniori meo Senatori pro ſervitio ſuo in ipſo *Maile*. Item in *Canpellos xx)* agros, prada, ſola, ortos cum pomiferis ſuis, et quidquid ad me legitime pertinet, omnia ex integro. Similiter et ſilva *Plana* ſuper *Maile*, quantum ad me legitime pertinet, ſit datum et conceſſum ad ipſum monaſterium ſanctæ Mariæ, ſeu ſancti Martini, ſeu ſancti Petri.

Item ſilvas, *Scales fructiferas yy)* quas damus ad ipſum monaſterium, quod ſuperius nominavimus, ſuper *Iliande* quantum ad me pertinet, ex integro. Item in *Rucene zz)* curtem meam cum ſala, cum cellario, cum caminata, cum ſolario, cum torbace, cum ſtabulo, cum bareca, cum tabulata, cum orto, et quidquid circa ipſam curtem adpertinet, cum introitu ſuo, et exitu, cum aquis, cum paſcuis in ſilvis: item *Roboredum* ſubter Rucene, ex integro. Item alpes, quas damus ad ipſum monaſterium, quod ſuperius nominavimus: Naulo media, *Mendane* cum *Secivo ſuo aaa)* ex integro. In *Fadobine* portionem meam ex integro. In *Ceipene bbb)* portionem meam ex integro. Item definimus de fidelibus noſtris, quibus, quantum conceſſimus nobis viventibus, et poſt obitum noſtrum donamus. In primis Lidorius tenet ſpecium, quem colit Vidales: ipſe revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium cum omni adpertinentia ſua: ſimiliter et terra, quam ipſe Lidorius poſſidet. Donamus ei agros, prada, modiales ſeptuaginta; nam omnia, quæ ſuper hunc numerum habere videtur, revertantur ad ſupradictum monaſterium. Item et Alecus tenet in ipſo Iliande agrum modiales quadraginta, et ipſe revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium. Item Gaudentius tenet agrum, modiales quindecim, et ipſum revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium. Item Creſcentianus tenet ſpecium in *Rucene*, et quatuor modiales in *Renio*, et ipſum revertatur, ſicut ſuperius. Item Leontius camerarius tenet modiales quinque de *Helanengo*: item presbyter Vigilius tenet modiales tres de *Helarinengo*, et ipſum revertatur poſt obitum meum ad ipſum monaſterium. Item Goncio tenet in Vorce agrum modiales octoginta, et ipſum revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium: item Vadardus tenet agrum modiales quinquaginta; ipſum revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium: item Ianuarius tenet in Tauronto duas colonias præter homi-

uu) *Andeſte*, *Andeſt* ſeu *Andiaſt* in Dominio Deſertinenſi montis S. Georgii.
ww) *Maile*, *Möls*, *Mels*, *Meilis* et *Mœl* apud Sarunetes locus catholicus.
xx) In *Canpellos* ignotum, *Campellum* caſtrum quoddam eſt prope *Silium* in iuriſdictione Fürſtenoviana; Sprecher Pall. Rhæt. pag. 227.
yy) Quid *Scales fructiferæ* ſignificent, divinare non poſſum, *Scala* ſeu *Schale* plures habet ſignificationes apud du Cangium et Wachterum. *Scala* Longobardis dicebatur certa agri menſura; et *Schale* apud Germanos omne tegumentorum genus ſonat, et quicquid concavum eſt. Improprie etiam equa *Scale* dicebatur.
zz) *Rucene*, *Ruſcnium*, *Ruſchein*, vicus catholicus ad ſiniſtram Rheni fœderis griſei in communitate Foveana.
aaa) *Secivum* dicitur locus mitior prope alpem aliquam, in quem ingruente tempeſtate vel frigore armenta induci ſolent. Ipſum ius pecora in talem locum inducendi dicitur etiam *Secivum*.
bbb) *Ceipene* hodie *Tſchupina* eſt villa in communitate Deſertinenſi, quæ huius nominis familiæ nomenclaturam dedit.

nes; et ipsæ revertantur ad ipsum monasterium post obitum nostrum. Item quam coloniam tenet presbyter Silvanus, agri, prada, ſola, orti, ædificia cum omni adpertinentia, et cum ipso ſervo nostro, nomine Viventio, qui in ipsa casa habitat: revertantur hæc omnia post obitum nostrum ad ipsum monasterium. Item colonias, quas tenet presbyter Lopus in Falarie, unacum homine, alia ſine homine, pradum quindecim, agrum in Roncalina, modiales viginti: revertantur hæc omnia post obitum nostrum tam ſervi, quam terra ad ipsum monasterium. Item colonia in ipso Falarie, quam colit Iactatus, ipsam donamus iuniori nostro Senatori tam nos viventes, quam post obitum nostrum ad possidendum. Item coloniam, quam tenet Amicho, ipsa revertatur post obitum nostrum ad ipsam ecclesiam. Item colonia, quam tenet Laveso in Fleme, quam colit Orsianus, ipsa revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium.

Item in *Valendano ccc)* Maiorinus tenet agrum modiales viginti quinque, ipse revertatur post obitum nostrum ad ipsum monasterium. Similiter et in *Amede ddd)* coloniam, quam ipse possidet, habeat commendatione ipse Maiorinus cum ipsa colonia ad ipsum monasterium cum uxore et filiis ſuis nutrimentum. Quodsi ſemetipsum ab ipso loco abstraxerit, ipsa possessio in ipso monasterio ſtabilis ſit permanere, nec liceat alicui ab hoc abstrahere. Item terram quam tenet Drucio in Castrice, ipsa revertatur post obitum nostrum ad ſupradictum monasterium, et ipsum Drucionem ſtatuemus ad ipsum locum ſacrum esse commendatum. Hoc ſtabilimentum proponimus, et quidquid immemores fuimus, aut in hac donatione ſanctorum non conscripsimus, præter quartam, quam reliquimus curti nostræ *Flumini eee)*, de omnibus rebus nostris absolucionem uti conscripta est, permanere. Et dum mihi omnipotens Deus in hoc ſæculo vitam concesserit, omnia in mea permaneant potestate, et donatio hæc post obitum meum firma permaneat, tam agris quam pradis, ſolis, ortis, ædificiis, *farinariis fff)*, alpibus, ſilvis, aquis, pascuis, accessionibus, vineis, pomiferiis, peculiis maiore, minore, æramentis, ferraturis, *loramentis ggg)*, vasis, utensilibus, mobile et immobile omne, quidquid ad vitam hominis pertinet, ſit datum atque concessum ad ipsum monasterium ſanctæ Mariæ, ſeu ſancti Martini, ſive ſancti Petri, quod nuncupatur Desertina. Siquis, quod futurum esse non credimus, quod ego, ut absit, aut ullus de heredibus, vel pro heredibus meis, tam virilis ſexus, quam feminei genere ortus, ſeu de certis vel incertis, aut prætextatis cognationibus nati, tam propinqui ex genere meo, quam ex longinquo mihi proximi, vel quælibet extranea persona, minima vel maxima, iudicia agens, *cura hhh)*, aut regalis potestas, vel aliquis per regalium potestatem concessam, aut *dogalium iii)* præsentiam commotam, aut per muneris dona, vel potestate propria inepte ſuperba crediderit, aut ausus fuerit ab his ecclesiis abstrahere, et contra hoc factum nostrum, aut genitoris mei, quod ipse præcepit, ut ita fieret, mandatum, ut hæç conscriptio proprietatis facultatum nostrarum fieret, tam de compactione, quam de proprietate, de qualicunque tractu, vel conquisito ad nos nosse pervenisse.

ccc) *Valendanum* hodie *Valendas*, *Valendau*, vicus reform. in communitate Foveana.

ddd) *Amede*, *Ems*, rhæt. *Dômat*, in communitate Bonaduzensi, relig. cath. in quibusdam ſubiicitur Dominio Rhætiensi. Sprecher Pallas Rhæt. pag. 207.

eee) *Flumen*, *Flums* apud Sarunetes, idem locus est, quem unacum *Ems* et *Lugeniz* S. *Conradus* Const. a fratre ſuo *Rudolpho* recepit, et Ecclesiæ Constantiensi donavit, hodie paret Fabariensibus. Vid. Hess. Monum. guelph. part. Historica pag. 9. et 10.

fff) *Farinarium* idem est, quod molendinum.

ggg) *Loramenta* ſunt restes, habenæ, iumentorum reticula, et omnis apparatus rusticus ad res vehendas necessarius.

hhh) I. e. curator palatii.

iii) Seu ducalium. Du Cange Gloss. h. v.

Hoc ſtabilimentum redemptionis peccatorum noſtrorum ſtatuimus habere, et conſortio ſanctorum obfirmari, quod ego indignus ſana mente et ſoſpite corde, me vivente, patris mei præcepta, mea deſideria curavi adimplere, ut pro me, et pro omnibus parentum meorum, qui ſuperius conſcripti ſunt, ab altiſſimo iudice mereamur veniam de peccatis promereri. Propter hoc mundi creatorem poſui intermedium iudicari, ut infeſtus fiat contra eum, qui contra factum iſtud auſus fuerit inrumpere, aut temptare, vel quolibet ingenio calumniam contra ipſas eccleſias præſumpſerit generare. In primis iram Domini noſtri Ieſu Chriſti incurrat, et a ſancta Trinitate, id eſt, Patris, et Filii, et Spiritus ſancti, anathema fiat, parique modo in die iudicii ad ſiniſtram cum impiis in profundum inferni deſcendat, ſicut Dathan, et Abiron, et Core, qui contra Moyſen rebelles ſteterant; ſic ille, ſicut illi, ſemetipſum hiato terræ demergat: et ſicut Iudas traditor Domini ſemetipſum in laqueo ſuſpendat, corpus et animam pœnalium gehenna ſine fine obtineat: et quantum de peccatis noſtris, et parentum noſtrorum, et fidelium noſtrorum divina pietas pro his clementer iuſſerit indulgere; horum omnium peccata tota ſuper ipſum veniant, et cum diabolo, et miniſtris eius damnationem accipiat, et a cunctorum catholicorum fidelium conſortio extraneus appareat. Inſuper et in reſurrectione humani generis ſeptem damnationes mortis in ſtagno ignis ſuper ipſum incumbant. Prima damnatio, a ſanctis ſeparatio. Secunda a facie Domini repulſio. Tertia in inferno demerſio. Quarta operis eius retributio. Quinta ſine pœnitentia, quia nulla erit remiſſio. Sexta ſine ſine cruciatio. Septima, omnium pœnarum non erit finitio, et ab ipſo conſortio qui illuc diu noctuque deſerviunt. Et ſuper hæc omnia inſuper ſit culpabilis ad actores ſæpe dictis eccleſiis auri libras viginti et argenti pondus quadraginta, et quod repetit, in nullo petitio ſua obtineat effectum, ſed fiat, ut decet, confuſus de omnibus. Et ceſſio mea, quam ego prompta voluntate et devota mente rogavi fieri, inconvulſa omni tempore uſque in perpetuum obtineat firmitatem ſtipulatione ſubnexa.

Anno XV. ſub regno domini noſtri *Pippini* regis, quod eſt XVIII. Kal. Ianuarias *kkk*), facta charta donationis ſanctorum. Acta *Curia* in civitate publica ſub præſentia virorum bonorum plurimorum teſtium. † Signum manus domini Tellonis epiſcopi largitoris, qui hæc fieri iuſſi, et manu mea propria firmavi. † Signum presbyteri Sylvani teſtis. † Signum manus Iuſtiniani iudicis teſtis. † Signum Præſentis curialis teſtis. † Signum Lobucionis de *Amede* curialis teſtis *lll*). † Signum Conſtanti de *Senegaune* curialis teſtis *mmm*). † Signum Lobucionis de Maile militis teſtis. † Signum Pauli de *Tremine* militis teſtis *nnn*). † Signum Claudii de Curia curialis teſtis. † Signum Urſeceni de *Scanavico* curialis teſtis *ooo*). † Signum Victoris filii Præſtantis militis teſtis. † Signum Iuſtiniani de *Vico Meldone* militis teſtis *ppp*). † Signum Foſcionis de *Pogio* militis teſtis *qqq*). Et ego Foſcio presbyter iuſſus a domino meo Tellone epiſcopo hanc donationem ſcripſi, et manu mea propria ſubſcripſi. — —

kkk) Annus XV. regni Pippini incidit in annum Chriſti 766. die 15. Decembris.
lll) De *Amede* ſeu Amiſio, *Ems*.
mmm) *Senegaunum*, Sanegaunum, oppidum in Sarunetibus.
nnn) *Tremine*, Trimontium, *Trims*, ad latus Rheni ſiniſtrum.
ooo) *Scanavicum* Vallis, quam Pleſſura amnis ſecat, vulgo *Schalfik*.
ppp) *Vicus Meldon* ignotus, forſan *Melanſium* eſt hodie *Malans* haud procul Curia diſſitum.
qqq) *Pogium* hodie *Puteum* ſeu *Putz* in Rhætigoia et Caſtellenſi iuriſdictione.

III.

Carolus M. rex Francorum episcopatum Curienſem cum Rhætia, cui Constantium episcopum rectorem præfecerat, in ſuam defenſionem ſuscipit ante ann. 774.

Ex autographo archivi Curienſis a).

Carolus gratia Dei rex Francorum vir inlustris *b*). Si autem illis qui parentibus nostris fidem visi ſunt conservasse inlaesam et usque nunc in id permanere non cessant ea quæ iuste postulaverint concedimus, cunctorum fidelium nostrorum in hoc animos adortamur, et magis ac magis eis delectat, ut debitum circa nos ſemper impendant ſervitium. Ideoque notum ſit omnibus fidelibus nostris qualiter *vir venerabilis* Constantius *c*) quem territurio Rætiarum rectorem posuimus *d*) unacum eiusdem patriæ populo missa petitione clementiæ regni nostri postolaverunt, ut divino protegente adiutorio eos ſemper ſub mundoburdo vel defensione nostra habere deberemus, quatenus ab aliis extrinsecus hominibus iniustam inquietudinem non patiantur, et ut etiam legem ac consuetudinem quæ parentes eorum cum praedecessoribus nostris habuerunt conservaremus. Unde et nostram auctoritatem ut pro hoc acciperent petierunt. Quorum ſuggestionem ſicut et ceteris fidelibus nostris iuste petentibus propter eorum ſervitium quod erga nos ubique — — — — — — — — libentissimo animo ita præstitisse et in omnibus conservasse cognoscitur. Statuentes ergo iubemus ut tam ipse vir venerabilis praefatus Constantius quam et ſuccessores ſui qui ex nostro permisso et volontate cum electione plebis ibidem recturi erunt dum nobis in omnibus — — — — nostri ſicut rectum est cum omni populo Raetiarum fideles apparuerint ſub mundoburdo vel defensione nostra absque aliorum hominum laesione vel inquietudine resideant et legem ac consuetudinem quae parentes eorum iuste et rationabiliter habuerunt se a nobis concessa esse cognoscant; ita tamen ſicut ſupra meminimus, ut et fide millorum erga nos ſalvam custodiant — — — ibidem — — — — — — elegerint — — — — — praesumant et ut haec auctoritas firmior habeatur vel per tempora melius conservetur ſubter eam ad firmandum annuli nostri impressione iussimus ſigillare *e*).

a) Hoc diploma in arce episcopali Curiæ ex autographo accepimus, quod temporum iniuria variis vulneribus affecit; ſiquidem non ſolum aliquot lacunas præſefert; ſed etiam est truncatum chronotaxi.

b) Ex hoc titulo patet, ſcriptum fuisse diploma ante annum 774. quo regnum Longobardicum cœpit *Carolus*, exinde enim rex et Francorum et Longobardorum ſcribebatur.

c) *Constantium Telloni* in cathedra Curiensi ſuccessisse iam anno 773. dubium non est.

d) Id forsitan prius per aliud diploma factum fuit.

e) Iunior manus recenti cuidam apographo adposuit hanc chronotaxin: *Data X. Calend. Iunii anno Christo propitio XVII. regni inlustris Caroli Francorum regis indictione II. in civitate Antisidorensi.* Sed illam non convenire in historia iam ostendimus.

IV.

Bulla Leonis III. papæ *a)* data B. Eberhardo de Hersfeldia abbati Fabarienſi die 14. Maii anno 799.

Ex apographo archivi Fabarienſis.

Leo ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo nobis filio Eberhardo abbati et ven. monachis monaſterii beatæ Virginis in *Puevers b)* in comitatu *Curienſi* ſalutem et apoſtolicam Benedictionem. Dignum valde eſt ac omni laude digniſſimum, ut quos Rex regum et Dominus dominantium honorare dignatur, iisdem ab hominibus favores et dona ſpecialia impendantur. Nos igitur audita laudabili veſtra converſatione, cognitis etiam veſtris ſanctis exercitiis et factis, quæ Dominus noſter Iesus Christus mirabiliter in vobis operatur, facta inſuper quarumdam de partibus Teutonicis perſonarum atteſtatione, locum veſtrum ſanctum, in quo habitatis, ſub noſtram ſanctorumque apoſtolorum Petri et Pauli protectionem ſuſcipimus. Nulli ergo liceat hanc paginam infringere, aut quovis aſtu bona per fideles illic delegata diripere; ſed hæc conſervantibus ſit pax a Deo Patre; infringentibus excommunicatio et a Beatorum collegio ſeparatio in aeternum.

Datum pridie idus Martii (*melius* Maii) per manus *Ioannis* bibliothecarii et cancellarii eccleſiæ Romanæ. *Paderbornæ*, anno Chriſti DCCLXXXXIX *c)*.

a) *Leo III.* papa electus anno 795. exeunte, in Germaniam ad *Carolum M.* profectus eſt ex iniuriis ſibi illatis mirifice reſtitutus anno 799. tempore verno.

b) *Puevers* ſic aliisque modis vocabatur *Fabaria*, quemadmodum etiam hodie *Pfeffers*.

c) Chronotaxis hæc legitima eſt, ſi menſem excipias; nam certum eſt, quod *Leo III.* hoc anno 799. Paderbornam profectus fuerit, exceptus ibi perhonorifice a *Carolo M.* (Schaten Hiſtor. Weſtphal. lib. 9. p. 390.) Aſt menſe Martio nondum id fieri potuit, quum *Carolus* paſcha Aquiſgrani celebraſſe legatur (ibid. p. 389.), quod hoc anno in diem 31. Martii inciderat. Neque diu ea in urbe, ſed ſolum aliquot diebus ſubſtitit cum imperatore pontifex, ſiquidem VIII. Calend. Iunii ſeu 25. Maii, iam dedicavit ſacellum Eresburgi, inde ad alia Germaniæ loca deductus. Exploratum proinde eſt, *Leonem* poſt Maii menſis initia Paderbornam adventaſſe, hancque Bullam dediſſe *pridie idus* hoc eſt, *die* 14. *Maii*, cuius loco ſcriptor apographi male legit *Martium*; quemadmodum id contigit aliis huius papæ litteris eodem menſe Eresburgi ad imperatorem datis, ubi loco *VIII. Calend. Iunii*, perperam legebatur *VIII. Calend. Ianuarii*, qua die iam dudum iterum Romæ ſubſtitit pontifex (ibid. p. 392.).

V.

Diploma Caroli M. Fabariam confirmantis die 11. Nov. anno 807.

Ex apographo archivi Fabarienſis.

Karolus gratia Dei rex Francorum et Longobardorum et patritius Romanus *a)*. Notum ſit omnibus ſucceſſoribus noſtris et fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ præſentibus et futuris, qualiter nos propter nomen Domini et æternam remunerationem, ſeu pro opportunitate dilectiſſimi filii noſtri *Pipini*, et interventu venerabilis epiſcopi noſtri *Waldonis b)* abſque omnium hominum contradictione confirmamus eccleſiam in *Curowalhoan c)* liberam eſſe et ſub manu Dei, quæ eſt conſtructa in honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, et matris eius intemeratæ virginis Mariæ iuſſu beatiſſimæ memoriæ *Pirminii d)* viri apoſtolici. Proinde noverit omnium Chriſti noſtrique fide-

a) Melius *Romanorum*. Videtur hoc diploma haud diu poſt bullam *Leonis* papæ præcedente numero ralatam confectum, ſerius vero traditum fuiſſe.

b) *Waldonem* intelligit S. Dionyſii abbatem, vide infra not. *g)*.

c) Curwallia, *Curwalchen*.

d) Fabarienſes ſuam originem S. Pirminio debere, paucis in hiſtoria oſtendimus.

lium univerſitas, quod præfatam eccleſiam nos ſimul cum apoſtolica auctoritate *Leonis e*) papæ ſanctiſſimi, et dilectiſſimi filii noſtri *Pipini*, abſque omnium hominum contradictione confirmamus cum omnibus iuribus, mancipiis, terris cultis et incultis, ſine ullius malevolentis hominis iminutione uſque in ævum. Ut ſiquis rex vel dux eandem eccleſiam tam ſanctam alicui præſtet, ſit anathema maranatha, id eſt perditio in adventu Domini, et in eo maledictus perſiſtat, quam beatiſſimus *Leo* papa ſuper eum confirmavit, uſque dum reſipiſcat. Unde præfatum monaſteriolum cum fratribus et omnibus rebus ibidem in præſens collatis vel inpoſterum conferendis ſub ſanctiſſimi papæ *Leonis* et noſtra (*protectione*) recipitur.

Et ut hæc authoritas confirmationis noſtræ firmior habeatur, et per futura tempora diligentius obſervetur, manu noſtra propria eam confirmavimus, annulique noſtri impreſſione muniri præcipientes.

Datum in *Lütenhoffen f*) palatio noſtro regio anno Domini 807. III. idus Novemb. Indict. XV. Præſente fratre noſtro *Waldone g*) epiſcopo et abbate S. Dionyſii urbis paraſiacæ.

Signum invictiſſimi KAROLI regis.

e) Dubium non eſt, quin *Leo* pontifex anno 799. Paderbornæ agens *Carolo* Fabariam commendaverit, ubi memoratam bullam dedit.

f) Regium palatium huius nominis nullibi occurrit; ſuſpicari licet, amanuenſem minus peritum *Theodonisvillam* germanice expreſſurum *Dietenhofen* ſcribere voluiſſe. Dolendum eſt, ſcribentium vel inſcitia vel inertia plures errores in apographa irrepſiſſe.

g) Duplex circa hunc *Waldonem* difficultas oritur, prima, quod *Carolus* illum *fratrem* ſuum vocet; altera, quod *episcopus* dicatur. Vocabulum *fratris* ſeu potius *patris*, reverentiæ et amicitiæ teſtimonium exiſtimem. Alteram difficultatem ſolvit *Mabillonius* in præfatione ad Acta SS. Ord. S. Bened. p. XX. ubi oſtendit, S. Dionyſii monachos privilegio gaviſos fuiſſe, proprium epiſcopum conſtituendi, ut proin plures illius monaſterii abbates epiſcopi fuerint. Primus hoc privilegio auctus legitur *Fulradus*. Idem ergo de *Waldone* ſentiendum, qui anno 806. ex Augia divite, ubi abbas fuerat, *ad regendum S. Dionysii cœnobium transpositus est*, teſte *Hermanno Contracto* apud P. Æmil. *Ussermann*, ubi epiſcopus ſimul et abbas præfuit uſque ad annum 814. (Gall. Chriſtian. T. VII. p. 351.)

VI.

Epiſtola, qua VICTOR epiſcopus Curienſis LUDOVICO PIO imp. miſerum eccleſiæ ſuæ ſtatum depingit, circa annum 821.

Ex apographo archivi ep. Curiensis.

Poſt hæc quidem peractis his omnibus iterum *a*) VICTORIS epiſcopi recta ad dominum imperatorem HLUDOWICUM in *Franconofurt b*) iſta fuit.

Audiat piiſſimi imperatoris clementia vocem proclamationis ſervi ſui VICTORIS epiſcopi, ut et cunctorum ſacerdotum Curienſis pagelli, qui magna conſtricti neceſſitate aliqua veſtris clariſſimis auribus nuntiare præſumimus. Diſtructa domus ac depraedata eſt ſancta Curienſis eccleſia, et ab omnibus legibus ſola ſub ſacro veſtro regimine habetur aliena. Nullus quidem ibi eſt, ut decet, canonicus ordo *c*), diſtructa eſt pene omnis religionis antiqua inſtitutio: diſtructa ſunt ſynodochia, vel pauperum ſuſceptiones: extincta eſt elymoſina praediſceſſorum regum, parentum ſcilicet veſtrorum, vel veſtra, ſeu et religioſorum hominum, qui ſanctas eccleſias ex

a) Has proin adhuc aliæ litteræ præceſſerant.

b) Aliquoties Francofurti moratus eſt *Ludovicus*, præſertim annis 821. 822. 823. ut proin accurate huius et etiam ſequentium epiſtolarum tempus definiri non poſſit.

c) Officium divinum.

propriis facultatibus fundaverunt. Quæ distructio vel praeda post illam divisionem, quam bonæ memoriæ genitor vester inter episcopatum et comitatum fieri præcepit *d*), et nos longo tempore ab ipso fuimus vestiti, ſubito a *Roderico* *e*) et ſuo pravo ſocio *Herloino* post acceptum comitatum facta est, et adhuc ita permanet. Nulla ratio nostra ab eis fuit ſuscepta, nullum ſcriptum nostrum ſaltim audire dignati ſunt. Tulerunt Domine omnes ecclesias in circuitu ſedis nostrae, quae antiquitus ſemper ab episcopis fuerunt possessae; et in praedicta ſede diebus ſingulis officia celebrabant: nec etiam illud ſacratissimum corpus beati *Lucii* confessoris *f*) nobis reliquerunt, qui ipsam civitatem de diabolico errore ad cultum veri Dei praedicando convertit. Tulerunt et reliquas ecclesias, vel curtes, ſervos et ancillas, et omnia, quibus illorum animus delectabat. Animadvertat nunc ſancta pietas vestra, qualiter se res haec habet; ducente ſiquidem triginta et eo amplius ecclesiæ ſunt infra parochia nostra, ex quibus non amplius quam ſex baptisteria, et viginti quinque minores tituli ad episcopatum remanserunt, et ipse male depraedate. Sunt ibidem ſanctorum corpora quinque, ex quibus nec unum quidem habemus. Monasteria ſimiliter quinque *g*), ex quibus duos tantum ad nutriendum habemus puellarum; et de hoc, quod nobis perparum remansit, potestatem pleniter non habemus.

Qualiter vero nobis et ſacerdotibus nostris nunc vivendum ſit, ignoramus; quia in nullo ministerium nobis commissum ſecundum canonicam auctoritatem pleniter perficere possumus. Et nisi pia miseratio vestra ad augmentum ſuae mercedis hoc aliter, quam quod nunc est ordinare dignata fuerit, episcopatus ibidem ministerium peragi a quolibet difficile poterit. Ipsae namque ecclesiasticae res, quae ad episcopatum legibus pertinent, et de quibus nos auctoritatem firmam habemus, et nobis iniuste abstractae ſunt, ab aliquibus iam per vestrum praeceptum ad proprietatem tenentur; quod vobis omnino celatum credimus. Nos tamen hoc vobis celare ausi non ſumus propter ministerium nobis iniunctum, et fidem, quam erga vos Deo nos adiuvante inlaesam in omnibus conservare cupimus.

Nunc quidem Domine, ac si vestris omnes provoluti vestigiis iterum petimus, ut pro amore Dei digneris eiusdem ſanctae matris ecclesiae, cuius te tutorem ac defensorem ubique ſcimus esse promptissimum, advocatus esse et iudex, qualiter temporibus vestris ad ſuam possit pervenire iustitiam; quia nullus est in terra illa, qui possit nobis praestare ſolatium, nisi Dei primitus, et vestra nos defendat clementia.

Haec vero Domine, quae in ſuperioribus ſunt adnotata, si adprobare vultis, utrum vera ſint, an non; mittite si placet Deo primitus et animae vestrae, missum fidelem, qui abiecto omni terreno timore, et ſecularium hominum amicitia, ſtudiose inquirat per optimos viros terræ illius, quanta ac qualia ibidem latent mala. Cognoscetis tunc certe non aliter quam vera nos vobis denuntiasse. Inquirat etiam, si lubet, misericordia vestra ob amorem Dei genitricis Mariae praedictus missus res ecclesiasticas ad iam dictum episcopatum pertinentes, et ad vestras perducat aures. Vestra ſiquidem celsitudo atque misericordia de hoc dispositura erit, prout optime novit. Illud nobis tunc ſufficit, quod vobis placet, in tantum, ut in tali non ſimus tribulatione vel periculo constituti; et ut de hoc, quod per largitatem vestram nobis conceditur habendum,

d) Id contigit ante annum 814. prout in historiæ P. I. ostensum.
e) Dictus comes *Langari*, quia regioni circa *Langarum* fluvium præerat.
f) Notandum, hic *S. Lucium* confessorem tantum dici.
g) Nimirum Desertinense, Fabariense, Tobrense virorum; Schœnense et Caciense virginum.

firmitatem vestram ob vestrae mercedis augmentum habere mereamur, ſicut ceteri in regno vestro merentur habere ecclesiastici meique ordinis viri; et liceat nobis absque contentionibus pravis atque dissensionibus Deo ſervire et pro vobis fideliter orare.

VII.

Altera VICTORIS episcopi Curiensis ad LUDOVICUM imp. epistola circa ann. 822.

Ex apographo archivi ep. Curiensis.

Brevis *a*) recordationis, quam praesentavit VERENDARIUS *b*) vicharius VICTORIS Curiensis ecclesiae episcopi domno HLUDOVICO imperatori Aquisgrani palatio.

VICTOR humilis episcopus Curiensis fidelis orator vester offert vobis de praesenti anno missas ſpecialiter mille, et psalmorum psalteria mille *c*), petensque quasi vestris prostratus vestigiis, ut ob amorem omnipotentis Dei vestraeque mercedis augmentum rememorare dignemini, quam ſæpius ad vestram clementiam proclamavimus nos indigni, ſed et cuncti ſacerdotes fideles oratores vestri nobiscum. Eoquod iniuste absque voluntate vel iussione bonae memoriae genitoris vestri vel vestra, et absque iudicio ullo tantum per violentiam ſedes illa Curiensis esset distructa et ab omnibus pene legibus aliena. Vosque piissime haec audientes decrevistis missos vestros illo dirigere, qui hoc diligenter inquirerent, et quod iniuste actum esset, emendarent. Sed nostris impedientibus peccatis nec missus ad nos venit ullus, nec emendatio ulla est facta.

Latet vobis nescientibus ipsa malitia, ſicut actenus fuit; nosque ſervuli vestri licet cum magna tribulatione exspectantes ſumus verissimam promissionem vestram atque consolationem, quando vobis divina pietas inspirare dignetur, et hoc emendare dignemini, quia magna est exinde necessitas, et si factum fuerit ſanctissime imperator! ad magnum credimus vobis proficere mercedis augmentum.

a) Idem ac *Breve*, *Brief*, epistola hortatoria.

b) *Victoris* in episcopatu ſuccessor ablegatus ad imperatorem, qui hoc anno 822. Aquisgrani diutius morabatur, ut plura diplomata testantur. *c*) Luculentum testimonium pro missis privatis.

VIII.

VICTOR ep. LUDOVICO imp. tertia vice ſupplicat anno probabilius 824.

Ex apographo archivi ep. Curiensis.

Igitur expletis his omnibus, quæ ſupra prænotata ſunt, necessitate compulsus egressus a finibus ſuis ſupra memoratus VICTOR episcopus, pervenit ad domnum imperatorem HLUDOVICUM in *Curbinago a*) palatio ſuo, inter cetera verba istam manibus ſuis praesentavit proclamationem.

Ad clementiam vestram piissime imperator ego inutilis VICTOR, atque in episcoporum ordine ultimus non levitate aliqua ſed potius constrictus necessitate confugium feci, petens, id ob amorem omnipotentis Dei (*exaudiendo*) de nobis peramplificare dignemini mercedem. Saepius domine clementiae vestrae pro distructione ecclesiae nobis a vestra dominatione commissae aures in-

a) *Carbonacum* in pago Laudunensi vulgo *Corbenii*, vid. Bouquet Récueil des Hist. de la France T. VI. p. 531.

quietare praesumsimus, si rememorare dignamini; non pro ſeculi inanem adipiscendo gloriam, ſed pro miniſterio nobis iniuncto, et fidem erga Deum primitus et vos ſalvando noſtram. Quanta Domine et qualis et quo ingenio facta ibidem latet malitia, et qualem poſt illam diviſionem vel ordinationem bonae memoriae genitoris veſtri KAROLI nos ipsi paſſi ſumus, et adhuc patimur, per breves noſtros clementiae veſtrae multis iam vicibus innotuimus. Decrevit namque ſacra ſolicitudo veſtra hoc diligenter inquirere et emendare; ſed peccatis noſtris impedientibus nec miſſus non venit ullus, nec emendatio ulla eſt facta; crevit potius ipsa malitia quam ceſſavit. Ad ultimum vero cum HLOTHARIUS *b*) dilectus filius veſter per fines illos tranſiret, omnium ſacerdotum, clericorum atque ſanctimonialium turba ad eundem cucurrit, diſtructionem totius ſacri ordinis ei nuntiantes, ut ipse apud clementiam veſtram interceſſor exiſteret, et cum ipso *Franchonofurt* ad veſtigia veſtra pervenimus; quatenus pietas veſtra per fideles Deo et vobis miſſos hoc emendaret, et liceret nobis ita vivere, quemadmodum etiam noſtri ordinis viri vivunt absque contentionibus pravis vel rixis.

Decreviſtis (*igitur*) miſſos veſtros illo dirigere nominatim, et tempus, quando illic venirent, veſtra celſitudo (*conſtituit*), ſed ſicut actenus neſcimus, a quibus dilata eſt vel protelata cauſſa ipsa, ita nec miſſus veniret ullus, nec iuſtitia pro tam longaeva proclamatione fieret ulla. His piiſſime imperator (*medelam*) expectando maceratus anguſtiis ad magnam corpuſculi mei debilitatem et etiam (*morbos*) perveni. Timens ergo miser, ne hoc ipſud quod nobis de praeda illa remanſit, res vel familia amplius deperirent, petivi vicarium ad praedictas res vel familiam guber . . . . . *cætera deſunt.*

b) Id factum eſt a. 823. quum *Lotharius* Romam pergeret, vel inde rediret. Du Cheſne Hiſt. Franc. Script. T. II. p. 302.

IX.

Diploma LOTHARII imp. quo abbatiæ Fabarienſis immunitas confirmatur die 24. Iulii anno 840.

Ex archivo Fabarienſi.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei æterni. HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator Auguſtus. Si petitionibus ſervorum Dei aurem libenter accommodamus, et monaſteria atque ceteras eccleſias noſtra auctoritate roboramus, plurimum nobis ad æternam remunerationem et ad aucmentum noſtræ ditionis eſſe confidimus. Idcirco noverit omnium fidelium ſanctæ Dei aeccleſiæ, noſtrorumque præſentium ſcilicet et futurorum induſtria. Quia SILVANUS *a*) venerabilis abba monaſterii *Fabarienſis*, quod conſtructum eſt in honore ſanctæ MARIÆ in pago Retiæ cum monachis ſuis noſtram adiit regalitatem deprecans clementiam noſtram, ut eos atque res prædicti monaſterii propter quorumdam perverſorum hominum tergiverſationes ſub noſtro mundiburdio et emunitatis tuitione conſtitueremus, atque electionem eis concederemus, ſicut anteceſſores noſtros feciſſe conſtat. Inſuper etiam oſtendit nobis præcepta ac privilegia anteceſſorum noſtrorum regum avi noſtri videlicet *Karoli*, et præſtantiſſimi domni *Hludouuici* Auguſti ac genitoris noſtri *b*), in quibus continebatur, ut regiæ tuitionis defenſionisque emunitatem ſuper res ad præfatum monaſterium pertinentes habere debuiſſent.

a) *Silvanum* hunc eundem ac *Salamannum* eſſe in hiſtoria non vane augurati ſumus.
b) *Caroli M.* diploma, ad quod heic provocatur, ſupra dedimus N. V. anno 807. alterum vero *Ludovici Pii* de anno 831. edidit Grandidier Hiſt. Straſsb. T. II. p. CXCVII.

Quorum petitionem benigne ob amorem Domini noſtri IEsu Chriſti, et ob monimentum domni avi noſtri, atque piiſſimi genitoris noſtri, noſtræque mercedis aucmentum ſuſcipientes iuſſimus eis conſcribi ſuper omnes res pertinentes ad præſcriptum monaſterium hoc emunitatis noſtræ privilegium, per quod volumus firmiterque iubemus, ut nullus iudex publicus, nec episcopus, nec comes, vel quislibet ex iudiciaria poteſtate conſtitutus aliquam ſuper eos exerceat poteſtatem: nec ſuper eorum cauſas, nec ſuper familias eorum intus vel foris conseſsas; ſed eiusdem monaſterii abbas poteſtative cum ſuis monachis ad illorum neceſſarios uſus firmiter poſſideat; et nullius poteſtatis perſona inde quippiam alicui in beneficium preſtare præſumat; ſed ſub noſtra defenſione et emunitatis tuitione res illorum perpetualiter permaneant ad illorum, ut ſupra diximus, neceſſarios uſus. Conceſſimus namque eis electionem et poteſtatem firmiſſimam, quemcunque inter eos abbatem voluerint eligendi; quatenus eos pro noſtra noſtrorumque omnium ſalute atque imperii a Deo nobis conlati ſtabilitate Domini clementiam liberius exorare delectet.

Et ut hæc auctoritas huius emunitatis ac confirmationis noſtræ indiſſolubilem obtineat firmitatem, et per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur, ac diligentius obſervetur, manu propria ſubtus eam firmavimus, et anulo noſtro ſigillari iuſſimus.

Signum domni HLOTHARII ſereniſſimi Auguſti. *Eichbardus* ad vicem AGILMARI c) recognovit.

Data VIIII. Kl. Aug. anno Chriſto propitio imperii domni HLOTHARII piiſſimi Aug. XXI d). Indictione III. Actum *Strazburc* civitate in Dei nomine feliciter amen.

c) *Egilmarus* archiepiſcopus Viennenſis *Lotharii* cancellarius, qui ab anno 834. ultra decennium multa diplomata per varios notarios recognovit. Vid. Heumann de re diplom. p. 302. ſeq.
d) Hæc epocha derivatur ab anno 820. quo imperium italicum ſuſcepit. Ibid. p. 296.

X.

LOTHARIUS imp. VERENDARIO ep. Curienſi ad cellulam *Serras* varia bona in Rhætia largitur die 17. Octob. anno 842.

Ex archivo episcop. Curienſi.

In nomine Domini noſtri IESU Chriſti Dei æterni. LOTHARIUS divina ordinante providentia imperator Auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata excellenciae noſtrae conferimus largitatem, morem ſequimur praedeceſſorum noſtrorum, atque propenſius Dei nos credimus ope fulciri, et ad praeſentem glorioſius tranſigendam proſperitatem, et ad futuram obtinendam felicius beatitudinem, ſi debitam circa eccleſias ſolicitudinem gerimus.

Igitur omnium fidelium ſanctae Dei eccleſiae ac noſtrorum praeſentium ſcilicet et futurorum notum ſit magnitudini, quia nos pro mercedis noſtrae augmento aliquantum ex rebus iuris noſtri in valle *Curvalenſe* a) ad quamdam conferimus cellulam, cuius vocabulum eſt *Serras* b), et conſtructa habetur in honore beatae Dei genitricis ſemperque virginis *Mariae* et aliorum Sanctorum, quam etiam cellam VERENDARIUS vir venerabilis a fundamentis cònſtruxit; *Insobre* c) videlicet eccleſia una in honore Domini noſtri IEsu Chriſti conſtructa cum manſo uno, vel cum

a) Intelligit eam regionem, quam Rhenus a ſua ſcaturigine usque in vallem Rhenanam interſecat.
b) Quænam iſta cella fuerit, ne quidem opinari tuto licet. Extitit olim prope Curiam urbem parthenium, quod iam diu interiit, forſan hoc nomine inſignitum. c) Forſan *Sufers* in valle Scammſenſi.

ceteris inibi pertinentibus vel aſpicientibus. In *Ovine d)* et folio runcale aliquantum ex rebus S. Damiani cum vineis et ceteris pertinentiis. In *Scanavico e)* eccleſiolam in honore S. Euſebii conſtructam cum omnibus ad ſe pertinentibus. In *Wangas f)* vel *Quaravedes g)*, quidquid temporibus bonae memoriae genitoris noſtri *Ludovici* Auguſti *Victor h)* beneficiario ordine habuit. In *Cliande i)* manſum unum cum ſuis pertinentiis. In *Flemme k)* ſimiliter manſum unum cum adiacentiis ſuis. In *Ciarde* custicellam unam cum manſis ſeptem et cum vineis inibi pertinentibus.

Unde et has noſtrae auctoritatis litteras eidem eccleſiae fieri ſtatuimus, per quas praecipimus modisque omnibus confirmamus, ut quidquid in deſcriptis locis memoratus *Victor* temporibus genitoris noſtri, ſicut ſuperius diximus, ordine beneficiario habuiſſe dinoſcitur, memoratae eccleſiae perenniter tribuimus cum omnibus inibi pertinentibus vel aſpicientibus, cum terris videlicet, campis cultis et incultis, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis exitibus et regreſſibus, nec non et mancipiis utriusque ſexus inibi pertinentibus, vel undecunque ibidem iuste et legaliter pertinere dinoſcitur, iam dictae eccleſiae, ſicut ſuperius promulgatum est, tribuimus, et de iure noſtro in ius ac dominationem ipſius eccleſiae perpetualiter transfundimus ad habendum, ut quidquid rector ipſius loci iuste et rationabiliter exinde facere decreverit, liberam in omnibus habeat poteſtatem faciendi, prout utilitas dictaverit, absque alicuius contradictione vel repetitione ſeu qualibet refragatione.

Et ut haec noſtrae donationis auctoritas firma atque inviolabilis per futura maneat tempora, manu propria ſubter illud firmavimus, et annuli noſtri impreſſione adſignari iussimus.

Signum LOTHARII ſerenissimi Augusti.

Data XVI. Kalend. Novembr. anno Christo propitio imperii domni LOTHARII pii imperatoris in Italia . . . . Actum *Teidonis villa l)* palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

d) Occurrit idem locus in deſcriptione reddituum Curienſium ſec. XI. in *Impedinis* h. e. ad imum pedis montis Septimi, videturque eſſe hodiernum *Savognino.* e) *Scanfik* vel *Scalfik.* f) *Wangs.* g) *Grabs.*
h) *Victor Verendarii* anteceſſor. i) *Ilantium.* k) *Flüms* in communitate Foveana.
l) Notarii negligentia annus omiſſus fuit, exiſtimem adponendum fuiſſe annum XXII. vel XXIII. qui convenit anno Chriſti 842. quo *Lotharius* reapſe menſe Octobri in *Theodonis villa* moratus eſt, quo Auguſta Trevirorum, ubi Græcorum legatos ſuſceperat, diſceſſit, prout referunt Annales Bertiniani apud *Bouquet* Récueil des Hiſt. de la France T. VII. p. 61. Idem teſtantur plura diplomata eodem in palatio data hoc anno.

XI.

Diploma LOTHARII imp. quo regia defenſio epiſcopi populique Curienſis confirmatur, ſimulque VERENDARIO epiſcopo uſus navis in lacu Rivano conceditur, die 21. Ianuar. anno 843.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

In nomine Domini noſtri IEsu Chriſti Dei aeterni. HLOTHARIUS divina ordinante providentia imperator Auguſtus. Oportet imperialem ſublimitatem, ut fidelium ſuorum petitionibus aurem accommodet et effectum concedat, quatenus in ſuo eos ſemper reddat obſequio efficaces. Proinde noverit omnium fidelium noſtrorum tam praeſentium quam et futurorum induſtria, qualiter populus Curienſis ſimul cum VERENDARIO venerabili eiuſdem ſedis epiſcopo quamdam auctoritatem

domni et genitoris nostri *Hludouuici* ſereniſſimi Augusti, atque bonae memoriae domni et avi nostri *Karoli* praestantiſſimi Augusti obtutibus nostris ad relegendum direxit, in quibus continebatur, quod ipsi et praedecessores eorum reges Francorum memoratum populum ſub pleniſſima tuitione, mundeburdo atque defensione constitutum ſemper habuiſſent, ita ut nullus exteriorum potentes et propinquos eorum, nec etiam ipsis iniustas leges et consuetudines imponere debuiſſent; petieruntque ſimul cum memorato venerabili episcopo, ut paternae auctoritati nostram auctoritatem iungeremus, eosque ſub nostra pleniſſima tuitione et defensione atque mundeburdo constitueremus. Quorum petitioni libenter annuimus, et hanc nostram cartam fieri, eisdemque per memoratum episcopum dare decrevimus, perquam ſtatuentes decernimus, ut tam ipse VERENDARIUS venerabilis episcopus, quam et ſucceſſores ſui, qui ex nostro permiſsu et voluntate cum electione eiusdem plebis eamdem ſedem ad regendum atque gubernandum ſuscepturi ſunt, atque omnis populus Curiensis, quamdiu nobis in omnibus fidem exhibuerit, ſub nostra pleniſſima tuitione, mundeburdo atque defensione ſemper resideant, et nullus eis leges alias aut consuetudines imponat, quam quae propinqui et parentes eorum, nec non et ipsi actenus iuste et rationabiliter noscuntur habuisse.

Navem etiam episcopalem in lacu *Rivano a)* post dominicas quatuor naves absque teloneo et censu potestative ab itinerantibus carcandum *b)* esse praecipimus. Et ut haec nostra auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, de anulo nostro ſubter eam iussimus ſigillare.

Data XII. Kalend. Februar. anno Christo propitio IV. imperii domni LOTHARII pii imperatoris in Italia XXI. . . . . *c)*. Indictione tertia *d)*.

Acta *Gandulfi villa e)* palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

a) Lacus *Walensis*, *Wallenstattersee*, ad Castra rhætica. *b)* Idem ac onerandum.
c) Heic lacuna est per III. ſupplenda, quartus enim imperii annus convenit anno XXIV. regni Italici.
d) Aut notarii aut describentis errore indictio tertia adposita est, nam isto anno, qui est Christi 843, currebat indictio ſexta. *e)* *Gondre ville* in Lotharingia prope urbem Tullensem.

XII.

LUDOVICUS Germaniæ rex confirmat *Precariam* et traditionem *Waltradæ* Meranensis in favorem Curiensis ecclesiæ factam, die 2. Iunii anno 857.

Ex archivo episcop. Curiensi.

In nomine ſanctae et individuae Trinitatis. LUDOUUICUS divina favente clementia rex. Notum ſit igitur cunctis fidelibus nostris praesentibus, nec non et futuris, qualiter quaedam femina nomine *Vualdrada* quasdam res proprietatis coniacentes in valle Tridentina in loco, qui dicitur *Mairania a)* quidquid ibi habere visa fuerat, in terris cultis et incultis, vineis, campis, pratis, ſilvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus ad ecclesiam civitatis Curiensis, cui Esso episcopus et rector esse videtur, totum et integrum contradidit et legaliter confirmavit, et accepit de rebus eiusdem ecclesiae in recompensationem traditionis ſuae in precariam villam unam, quae vo-

a) *Meranum* oppidum ad Athesin fluvium, qui vallem Tridentinam intersecat.

catur *Cerones b*) cum omnibus appendiciis et pertinentiis ſuis, terris, mancipiis, vineis etc. etc. nec non et vineam unam in loco, qui dicitur *Anives c*), ita videlicet, ut res datas et acceptas, quamdiu ipsa advixerit in precariam habeat, post obitum vero eius res datae et acceptae cum omni integritate ad memoratam ſedem cum omni integritate absque alicuius contradictione revertantur.

Postea vero iam dictus episcopus Esso nostrae ſuggeſsit clementiae, ut hanc precariam nostra auctoritate firmaremus, cuius petitioni libenter assensum praebentes, hanc auctoritatem ſibi conscribere iubentes, per quam praecipimus, et regia censura firmamus, ut praesens compactio iuxta modum ſuperius comprehensum ſtabilis et inconvulsa permaneat. Et ut haec auctoritas traditionis et precariae per futura tempora firmior habeatur, melius conservetur, veriusque credatur, ſubter eam impressione annuli nostri iussimus ſigillare.

Hadebertus ſubdiaconus ad vicem *Grimoldi d*) archicapellani recognovi.

Data IV. Non. Iunii anno XXV. regni LUDOUUICI ſerenissimi regis in Orientali Francia regnantis indictione V. Actum in *Villa Potamo e*) in Dei nomine feliciter amen.

b) Est vel Zernetium in Engadina, vel probabilius Scharansum in iurisdictione Fürstenoviana; nam in antiqua reddituum descriptione legitur *Ciranes*, *Schrans*. *c*) *Anives*, *d'Anis*, vicus in communitate Desertinensi.
d) *Grimaldus*, qui a. 841. abbatiam S. Galli a *Ludovico* rege obtinuit teste *Hermanno Contracto*. *e*) Ad lacum Brigantinum.

XIII.

Diploma LUDOVICI II. imp. pro monasterio Fabariensi, die 6. Mart. anno 861.

Ex codice S. Gallensi.

In nomine domini nostri Ihesu Christi Dei aeterni. HLUDOUUICUS gratia Dei imperator Augustus. Omnibus fidelibus ſanctæ Dei ecclesiæ nostris, præsentibus ſcilicet et futuris notum ſit, quia SALAMANNUS *a*) dilectus vassus noster, abba monasterii, quod est constructum in honore ſanctæ Dei genitricis *Mariæ*, petiit clementiam nostram, quatenus eandem abbatiam pro amore Dei omnipotentis, cum omnibus pertinentiis ſuis et adiacentiis ſub nostræ emmunitatis defensione dignaremur ſuscipere. Cuius petitioni libenter adsensum præbuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum erga præfatam abbatiam, eiusque rectoribus fieri decrevimus, per quod præcipimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus, vel quislibet ex iudicaria potestate in ecclesias aut villas, loca vel agros, ſeu reliquas possessiones, quas moderno tempore infra ditionem imperii nostri iuste et legaliter possidet, vel quæ deinceps in iure ipsius ecclesiæ voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas vel freda *b*) exigenda, aut mansiones vel paratas *c*) faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ distringendos, nec ullas redibitiones *d*), aut inlicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ memorata ſunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato abbati, ſuisque ſuccessoribus res prædictæ ecclesiæ cum omnibus fredis concessis, ſicut in præcepto domni et genitoris nostri *e*) continetur, quieto ordine possidere, et nostro ſeruitio fideliter parere in perpetuo.

a) Ex hoc loco confirmamus opinionem nostram, quod nimirum *Sylvanus*, qui anno 839. Fabariæ abbas electus est, usque ad annum 861. ſuperstes, idemque ac *Salamannus* fuerit. *b*) *Freda*, mulcta, pœna.
c) *Mansiones* hospitia, *Paratæ* expensas itineris ſignificant. *d*) Postulationes, exactiones.
e) Diploma *Lotharii* paulo ante dedimus num. IX. anno 840.

Et quicquid exinde fiſcus noſter exigere poterat, totum in luminaribus ipſius eccleſiæ, et ſubſidiis pauperum, et ſtipendia ſervorum ibidem Deo famulantium conceſſimus in perpetuo ibidem proficiat in augmentum. Cunctos vero tributarios vel cenſuales, qui res ſuas tradiderunt eidem eccleſiæ, vel in antea tradituri ſunt, ut in perpetuo ſub defenſionem eiusdem eccleſiæ per hanc noſtram auctoritatem conſiſtant, ſanctimus; ne comes, neque iuniores ſui nullam habeant poteſtatem ad diſtringere *f*), ſed liceat prædicto abbati eos diſtringere. Quatenus prædictus abba cum congregatione et rebus vel hominibus eccleſiæ ſuæ ſubiectis quiete vitam degens, unacum clero et populo ſibi ſubiecto pro nobis, vel coniuge proleque noſtra, vel pro ſtabilitate totius imperii a Deo nobis conlati, et eius clementiſſimæ miſerabili per immenſum conſervandi iugiter Domini miſericordiam exorare delectet *g*). Si quis autem hoc noſtræ auctoritatis (*præceptum*) violare præſumpſerit, noverit ſe pœnæ dampnandum ad partem prædictæ eccleſiæ emunitatem, quam ceteris eccleſiis conceſſam habemus, hoc eſt triginta libras argenti.

Ut autem hæc noſtra auctoritas ab omnibus verius credatur, de anulo noſtro ſubter iuſſimus ſigillari.

Signum domni HLUDOUUICI piiſſimi Auguſti. *Adalbertus h*) cancellarius ad vicem *Remigii i*) recognovi et ſubſcripſi.

Data pridie Nonas Mar. Anno Chriſto propitio imperii domni HLUDOUUICI ſereniſſimi Auguſti XI. *k*) indictione X. Actum *Mantua* civitate, palatio regio, in Dei nomine feliciter amen.

f) Ad iuriſdictionem exercendam. *g*) Mutilum heic eſſe videtur.
h) Videtur idem eſſe, qui anno 873. præſul Salisburgenſis creatus eſt. Hund. p. 4.
i) Fuit, ut puto archiepiſcopus Lugdunenſis, archicapellanus.
k) *Ludovicus* in imperatorem unctus eſt anno 850. iuxta Annal. Bertin. ut proin annus undecimus ſit 861. licet tunc indictio IX. non X. adponi debuiſſet.

XIV.

CONRADI I. diploma in favorem eccleſiæ Curienſis ſub THEOTOLPHO epiſcopo, die 25. Septemb. anno 912.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

In nomine ſanctae et individuae Trinitatis. CHUONRADUS divina favente clementia rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum praeſentium ſcilicet et futurorum ſagacitas, qualiter venerabilis DIOTOLFUS Curienſis eccleſiae praeſul ad noſtram clementiam venit reclamans ſe, quod multae negligentiae ac violentiae in ſuo epiſcopatu fierent, quae ſine regali adiutorio corrigere nequiviſſet. Inito igitur conſilio noſtrorum fidelium *Salomonis a*) ſcilicet venerabilis epiſcopi, *Erchangarii b*) comitis palatii, *Pertholdi*, *Chuonradi*, *Heinrici c*) ceterorumque nobilium virorum nobis aſſiſtentium, nec non primorum Curienſium teſtimonio, et veraci conſilio eorum invenimus dubia ſacramentis inveſtigare debere. Igitur ſi aliquæ violentiae in villulis ſanctae Curienſi eccleſiae ſubiectis terris, pratis, ſilvis, ſervis, ancillis vel quibuscunque negotiis inlatae fuerint, rogatu

a) Ep. Conſtantienſis. *b*) Alibi Cleggoviæ comes dicitus.
c) *Bertholdus* Erchengarii frater, *Conradus* Linzgoviæ comes fuit; cuinam autem pago *Heinricus* præfuerit, non comperi.

ſupradictorum procerum eidem venerabili DIOTOLFO episcopo, ſuisque ſucceſſoribus poteſtatem ac licentiam, ſecundum morem ceterorum praeſulum, latentia quaeque ſacramentis populi investigare donamus.

Volumus quoque atque praecipimus, ut nullus ſervorum vel ancillarum ad eamdem Curienſem ecclesiam pertinentium ſe per tricennia tempora liberare deinceps audeat, ſicuti hactenus, ut audivimus, mala conſuetudine, et diſſimili aliarum eccleſiarum fecerant; quin potius, ſicubi tales forte reperiuntur, noſtra regali auctoritate ſervire compellantur. Iuſſimus quoque hoc praeceptum inde conſcribi, per quod volumus firmiterque iubemus, ut cuncti in eodem epiſcopio conſiſtentes praefato DIOTOLFO, ſuisque ſucceſſoribus adiuvantes, et in omnibus iuſtis negotiis obedientes exiſtant, et nullus ei contradicere audeat.

Et ut hoc praeceptum firmum ſtabileque permaneat, manu noſtra ſubtus illud firmavimus, annulique noſtri impreſſione inſigniri praecepimus.

Signum domni CHUONRADI ſereniſſimi regis, *Salomon* cancellarius ad vicem *Piligrami d)* archicapellani recognovi.

Data VII. Cal. Octob. anno Incarnationis Domini CMXII. indict. I. anno vero regni glorioſiſſimi regis CHUONRADI I. Actum *Potamico palatio*, in Dei nomine feliciter, amen.

d) Archiep. Salisburgenſis.

XV.

Diploma OTTONIS I. quo presbytero HARTBERTO conceditur ius piſcandi in Honau, die 23. Maii anno 937.

Ex archivo episcop. Curienſi.

In nomine ſanctae et individuae Trinitatis. OTTO divina propitiante clementia rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum praeſentium ſcilicet et futurorum induſtria, qualiter nos interventu et conſultu venerandi comitis noſtri *Chuonradi a)* cuidam presbytero dilecti comitis noſtri *Herimanni b)* nomine HARTBERTO *c)* in Allamannia in comitatu eiusdem comitis *Herimanni* in pago *Pfullichgowe d)* in loco *Hohenowa e)* nominato quamdam piſcationem hactenus ad regiam poteſtatem pertinentem a natatorio fluminis *Achaza f)* nuncupati usque ad gurgitem, quem circummanentes abuſivo nomine lacum appellant, cum fundo et alveo ipſius fluminis, cum omnibus ad ipſum fundum et alveum pertinentibus in proprietatem donavimus. Iuſſimus quoque hoc praeceptum noſtrae largitionis inde conſcribi, per quod decernimus, firmiterque iubemus, ut memoratus presbyter HARTBERTUS de ipſa piſcatione eiusdem fluminis et fundi et aquae decurſus, velut hacte-

a) Is forſan est iste *Rinechgowe* comes, qui in codice Laureſham. T. I. N. LXVIII. occurrit.
b) Ignotus hactenus hic comes *Herimannus*, quemadmodum, cui præfuit, pagus *Pfullichgowe*, utrumque indicat diploma.
c) Fuit rector eccleſiae *S. Florini* Eremuſii in Engadina, quam anno 930. ab avunculo ſuo *Reginwardo* acceperat, factus poſtmodum epiſcopus Curienſis.
d) Antiquus hic pagus, in hodierno ducatu Würtenbergico, nomen habet ab oppido *Pfullingen* prope *Reutlingam*, de quo agit *Sattler* topograph. Geſchichte von Würtenberg p. 420. Inde probabilius eſt, quod *Pfullingam* aliqui vere comitum ſedem dixerint, quod tamen negat *Sattlerus*.
e) Hodie *Honau* paræcia in diſtrictu Pfullingano ſupra Pfullingam ſita. f) Rivus *Echaz*.

nus ad regiam pertinebat potestatem, liberam atque ſecuram teneat potestatem habendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quidquid ſibi placuerit, exinde faciendi.

Et ut hoc auctoritatis nostrae praeceptum certiorem in Dei nomine obtineat roborem, manu nostra ſubtus eam firmavimus, et ſigilli nostri impressione insigniri praecepimus.

Signum domni OTTONIS ſerenissimi regis. *Poppo* cancellarius ad vicem *Hiltiberti g)* archicapellani ſubnotavi.

Data X. Calend. Iunias anno Incarnationis Domini CMXXXVII. Indict. X. Anno autem invictissimi regis I *h)*. Actum civitate *Moguntiae* ad S. Albanum feliciter in Dei nomine, amen.

g) *Hildebertus* archiepiscopus Moguntinus, qui iuxta necrologium Fuldense in chron. Gottwic. T. I. p. 180. obiit anno 937. II. Calend. Iunii, ergo decimo post datum hoc diploma die.

h) In transmisso apographo hæc chronologia habetur: *CMXXXVIII. Indict. IX.* quæ convenire nequit, nam *Hildebertus* priore iam anno obierat, currebat indictio XI. et annus *Ottonis* ſecundus. Bene vero annus 937. cum indict. X. et anno *Ottonis* primo concordat, quo X. Calend. Iunii *Hildebertus* adhuc vixerat.

XVI.

OTTO M. episcopo Curiensi WALDONI Bludentinam et Sexamnensem ecclesias dono largitur, die 8. Aprilis anno 940.

Ex archivo episcop. Curiensi.

In nomine Dei et Domini nostri IEsu Christi. OTTO divina favente clementia rex. Quidquid ad loca ſanctorum compendii conferre curaverimus, Deum nobis pro hoc remuneratorem promereri confidimus, et ideo fideles nostros ſcire volumus, quod venerabilis episcopus VUALTO ecclesiæ Curiensis interventu *Herimanni* honorandi ducis Suevorum celsitudinem nostram imploravit, quatenus illi pro nostræ largitatis clementia, et ſuae devotionis assiduo famulatu quasdam ecclesias in ſua parochia ſitas ad regii iuris potestatem aspicientes concedere dignaremur, conquerens nobis, ſuum episcopium continua depraedatione Saracenorum valde esse desolatum. Nos vero rationabili eius petitioni assensum accomodantes concessimus ei duas ecclesias, unam in valle Drusiana in loco *Plutenes a)* nuncupato ſitam, et aliam in valle *Sexamnes b)* in honore S. Martini constructam, ut ſicut usque nunc ad nos tantum et nostros ministeriales aspectabant, ita ex hoc ad illum, quamdiu vixerit, et quibus ille curam earum commiserit, cum omnibus rebus ſibi cohærentibus pertineant, et post obitum illius ecclesiam in *Plutenes* iam praefatam ad annonam fructuum episcopii Curiensis, et illam, quae in *Sexamnes* est, ad ſuſtentationem ſanctimonialium in *Chazzes c)* Deo ſervientium pro nostra eleemosyna, et aeterna remuneratione concessimus.

Et ut haec largitatis nostrae concessio ſtabilitatis ſuae tenorem firmum apud posteros obtineat, manu propria eam assignavimus, et annuli nostri impressione eam ſigillari iussimus.

Signum domni OTTONIS ſerenissimi regis. *Poppo* cancellarius ad vicem *Friderici d)* archicancellarii ſcripsi.

Data VI. Id. Aprilis anno Dominicæ Incarnationis CMXL. indict. XIII. anno vero regni domni OTTONIS piissimi regis IV. in *Qbuitilingoburg e)* feliciter.

a) *Bludentum* oppidum primarium Walgoviæ ſeu vallis Drusianæ, cui a *Druso* ibi belligerante nomen.
b) Schamserthal. *c)* Catium parthenon in valle Domestica. *d)* Archiep. Mogunt. *Hildeberti* ſuccessor. *e)* Quedlenburg.

XVII.

Otto M. Fabarienſibus ius eligendi abbatis reſtituit, electumque Erenbrechtum confirmat, die 9. Febr. anno 949.

Ex archivo Fabarienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina auxiliante clementia rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium, nec non et futurorum ſolertia, qualiter viri religioſi ſcilicet Fabarienſis monaſterii, quod conſtructum eſt in honore S. Mariae Dei genitricis in pago Retia vocato in comitatu *Udalrici a*) comitis noſtram adierunt regalitatem, portantes manibus præcepta ac privilegia anteceſſorum noſtrorum regum *Karoli* videlicet et *Ludowici*, deprecantes noſtram clementiam, ut noſtræ auctoritatis munimine ea renovaremus, ac firmaremus, electionemque illis concederemus.

Quorum petitionem benigne ob amorem Domini noſtri *Ieſu* Chriſti, noſtræque mercedis augmentum ſuſcipientes, continuo omnibus noſtri regiminis principibus, epiſcopis, abbatibus, comitibus diiudicantibus, atque noſtræ fidelitati conſiliantibus abbatem, virum venerabilem, quem inter eos elegerunt, Erenbreht nomine conſtituimus; et præſens iuſſimus inde hoc imunitatis noſtræ privilegium conſcribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, ut amodo ac deinceps omni tempore firmiſſimam teneant poteſtatem, quemcunque inter eos abbatem voluerint, eligendi. Et ut nullus iudex publicus, nec epiſcopus, nec comes, vel quislibet ex iudiciaria poteſtate conſtitutus aliquam ſuper eos exerceat poteſtatem, nec ſuper eorum cauſas, nec ſuper familias eorum intus vel foris conſeſſas, ſed eiusdem monaſterii abbas poteſtative cum ſuis monachis ad illorum neceſſarios uſus firmiter poſſideat. Et ut nullus inde quippiam præſtare alicui in beneficium præſumat; ſed ſub noſtra defenſione, et emunitatis tuitione res illorum perpetualiter permaneant, ad illorum, ut ſupra diximus, neceſſarios uſus. Et ut hæc auctoritas etc. etc.

Signum domni Ottonis invictiſſimi regis. *Brun* cancellarius ad vicem *Friderici* archicapellani recognovi.

Data V. Idus Februarii anno Domini DCCCCXLVIIII. indict. VII. Regnante ſereniſſimo rege Ottone anno XIII. Actum *Wormatia* in Domino feliciter, amen.

a) Videtur eſſe comes de Lenzburg Rhætiæ præfectus, *Adalrici* filius advocatus Schœnenſis, defunctus anno 970.

XVIII.

Otto M. Hartberto Curienſi epiſcopo donat omnem fiſcum ex comitatu Curienſi, die 15. Octob. anno 951.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia rex Francorum et Italicorum a). Omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium, noſtrorumque, præſentium ſcilicet et futurorum noverit

a) Iſto titulo uti hoc anno potuit *Otto*, poſtquam unacum *Adelheide* ſibi deſponſata regnum Italiæ accepit.

devotio, qualiter nos conſultu atque interventu *Ludulphi b*) dilecti filii noſtri, præcipueque Dei amore, noſtræque animæ remedio, per hoc noſtrum præceptum, prout iuſte et legaliter poſſumus, concedimus, donamus atque offerimus eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis *Mariæ*, beatique *Lucii* confeſſoris Chriſti, quæ eſt caput Curienſis epiſcopii, cui præeſt venerabilis epiſcopus HARTPERTUS noſter fidelis in comitatu prædicti ducis Ræciæ, omnem fiſcum de ipſo Curienſi comitatu, ſicuti hactenus ad regalem pertinebat cameram et poteſtatem, cum diſtrictione iuſta ad eundem fiſcum inquirendum, veluti prius ad noſtrum opus et ius a quadrariis *c*) inquirendum fuerat conſtitutum, cum omni integritate, ac legitima inquiſitione, omnia et ex omnibus a noſtro iure et dominio in prædictæ eccleſiæ ius et dominium omnino transfundimus, et delegamus, ut habeat, in perpetuumque poſſideat.

Præcipientes itaque iubemus, ut nulla regni noſtri magna parvaque perſona prætactam eccleſiam, eiusque vicarium inde inquietare præſumat. Siquis autem huius præcepti violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietatem cameræ noſtræ, et medietatem prædictæ eccleſiæ. Et ut hoc præceptum verius credatur, et attentius obſervetur, manu noſtra inſignitum annulo noſtro iuſſimus aſſignari.

Signum domni OTTONIS ſereniſſimi regis. *Vulgfridus* cancellarius ad vicem *Brunonis d*) archicapellani recognovi.

Data Idus Octobris anno Incarnationis Domini noſtri IEſu Chriſti DCCCCLI. indictione VIIII. Anno domni OTTONIS regis in Francia XVI. in Italia I. Actum *Papiæ* in Dei nomine feliciter, amen.

b) *Ludolphus Ottonis* ex *Editha* filius *Idam* coniugem et ducatum Allemanniæ, quaſi in dotem, obtinuit. *Calles Annal. eccles. Germ.* T. IV. p. 291.

c) *Quadrarii* iidem ac tributorum collectores, ſic dicti a *Quadrone. Quadro* enim ſignificat quartam anni partem, poſt quam ſolvi pecuniæ oportebant; ſicut hodie dicitur: *Ein Quartal.* Vid. Carpentier Gloſs. nov. *Quadro.*

d) Archiep. Coloniens. poſtea.

XIX.

OTTO eidem HARTBERTO donat teloneum in urbe Curienſi, die 12. Mart. a. 952.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. OTTO Dei gratia rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet ac futurorum induſtria, qualiter nos interventu dilecti fratris noſtri *Brunonis a*) pro æterna remuneratione, animæque noſtræ remedio ſanctæ Dei genitrici *Mariæ*, ſanctoque confeſſori Chriſti *Lucio*, quorum eccleſia in civitate Curia videtur eſſe conſtructa, cui fidelis noſter epiſcopus HARTBERTUS præeſſe videtur, omne teloneum ab itinerantibus et undique confluentibus emptoribus, atque de omni negotio Curia peracto, de quo ſemper conſuetudo fuerat teloneum exactandum, in proprietatem donamus, quod olim iam totum ad ipſam eccleſiam ex integro cum perceptis regalibus fuerat contraditum *b*).

Iuſſimus quoque hoc præſens præceptum inde conſcribi, per quod decernimus atque iubemus, quatenus integritas ipſius telonei, veluti prælibavimus, ad honorem et obſequium prædictæ eccle-

a) Anno ſequenti archiep. Coloniens. *b*) Videtur heic provocari ad præcedens diploma.

ſiæ perpetualiter, absque ullius contradictione ſtabilis permaneat. Et ut hæc auctoritas noſtra verius credatur, ac diligentius obſervetur, manu noſtra ſubtus eam firmavimus, et ſigilli noſtri impreſſione inſigniri præcepimus.

Signum domni OTTONIS ſereniſſimi regis. *Vuigfridus* cancellarius ad vicem *Brunonis* archicapellani recognovi.

Data IV. Id. Martii anno Incarnationis Domini noſtri IEſu Chriſti CMLII. indict. X. anno vero regni domni OTTONIS XVI. Actum *Erenstegii c)* feliciter etc.

c) *Erstein* in Alſatia.

XX.

Curtis regia in *Zizers* pro damnorum reparatione, quæ Saraceni intulerant, ad eccleſiam Curienſem ab OTTONE rege defertur, die 28. Dec. anno 956.

Ex archivo episcop. Curienſi.

In nomine Dei omnipotentis et Salvatoris noſtri IEſu Chriſti. OTTO divina favente gratia rex. Igitur omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet et futurorum noverit induſtria, qualiter nos dilecti fratris noſtri *Brunonis* archiepiſcopi neceſſaria ſuggeſtione, ſanctæ Curienſi eccleſiæ, cui venerabilis epiſcopus HARTPERTUS ac fidelis noſter præeſſe videtur, quasdam res iuris noſtri ad aliqua eiusdem infortunia recuperanda, ob divinam remunerationem, conferre curaſſemus; cuius conſultu, atque ſaluberrimæ exhortationi conſentiendo, quia loca ad eandem eccleſiam pertinentia ab Italia redeundo invaſione Saracenorum deſtructa ipſi experimento didicimus *a*), ipſiusque eccleſiæ paupertati compatiendo, votumque in ipſa peractum ſolvendo, curtem noſtram in loco *Zizuris b)* vocato in comitatu *Rebciæ* ſanctæ Dei genitrici Mariæ ſanctoque *Lucio* confeſſori Chriſti pro remedio animæ noſtræ ex integro condonamus ac firmiter contradimus cum omnibus ad eandem curtem iuſte et legaliter pertinentibus cum eccleſia et decimis, curtilibus etc. etc.

Iuſſimus quoque hoc præceptum inde conſcribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, quatenus prælibatus epiſcopus HARTPERTUS omnesque procuratores per ſuccedentia tempora ipſius eccleſiæ absque ullius contradictione perpetualiter libero fruantur arbitrio, quidquid eccleſiaſtice de his omnibus in planis et montanis ad utilitatem eiusdem eccleſiæ agere decreverint. Inſuper etiam navem epiſcopalem in lacu Rivano, quod antiquitate ſtatutum eſt *c*), poſt dominicas quatuor naves quintum locum omni tempore absque teloneo et cenſu ſemper obtinere præcipimus, ab advenientibus onerandam, ſolitas miniſtrorum contentiones penitus removendas — — — manu propria noſtra ſubter eam firmavimus, et annuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus.

Signum domni OTTONIS ſereniſſimi regis. — — — — —

Data V. Calend. Ianuar. anno Incarnationis Domini CMLVI. indictione (XIV.) regnante OTTONE anno XX. Actum *Dornpurhdi* in Domino feliciter, amen.

a) Quum nimirum anno 952. devicto *Berengario* alpes tranſiret tempore verno, *Curiam*, *Turegum*, ac demum menſe Martio *Erenſtenium* in Alſatia inviſit. Vid. P. I. Hiſt. noſt. ad dictum annum.

b) Cicerium *Zizers*, locus aliquoties in præcedentibus diplomatibus occurrens.

c) Idem quippe ius anno 843. *Lotharius* imp. ſub ep. *Verendario* eccleſiæ Curienſi conceſſerat (N. XI.), arroſum ſubinde, ut fieri ſolet, a malevolis, ut nova *Ottonis* confirmatione opus eſſet.

XXI.

OTTO I. monasterium Fabariense tradit ENZELINO, atque ab aliena potestate exemtum declarat, die 26. Novemb. anno 958.

Ex apographo Fabariensi a).

In nomine individuæ Trinitatis. OTTO divina annuente clementia rex, ENZLINO *b*) dilecto nostro filio. Cum ad ecclesiastici honoris augmentum tuam ſolicitam cognoscimus voluntatem, tanto tibi propensius congaudemus, quanto personam tuam ſinceris charitatis brachiis amplexamur, et te tanquam ſingulare imperii membrum, atque in domo Domini desideramus evidentius elucere.

Quapropter omnium fidelium nostrorum præsentium ſcilicet et futurorum cognoscat industria, qualiter Nos pro absolutione divinæ recordationis antecessorum nostrorum, Augustissimorum ſcilicet imperatorum *Ludowici c*), *Conradi* et *Heinrici* præstantissimi genitoris nostri, et pro remedio animæ nostræ et corporis ſalvatione, et interventu dilectæ coniugis nostræ *Adelheide*, ac cum consultu dilectissimorum nostrorum *Odalrici* Augustensis et HARTBERTI Curiensis ecclesiæ venerabilium episcoporum, volumus et consentimus, ut abbatia ſeu monasterium ad *Favarias* dicta in pago *Rhetiæ*, iusto iudicio olim ad ius regium diiudicata, cum omnibus pertinentiis ſuis et iuribus ſit in proprietate et potestate nobilis et eximii viri ENZLINI, ac ſuorum fratrum ſeu monachorum in eodem loco commorantium.

Et insuper præfatum monasterium cum abbate et monachis ſuis et omnibus rebus ibidem in præsens collatis, vel in posterum conferendis ad exemplum prædecessorum nostrorum, præstantissimorum ſcilicet imperatorum *Karoli*, *Ludovici*, *Lotharii*, in nostra et imperii immunitate recipimus; itemque iussimus, hoc præceptum inde conscribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, quatenus monachi præfati monasterii liberam deinceps habeant potestatem, iuxta institutionem canonicam eligendi, quemcunque velint, inter eos abbatem.

Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas, quia aliqui insidiose contendebant contra hunc locum et monasterium *d*), perpetuis temporibus firma ſit; eam in præsentia principum, episcoporum ſcilicet Moguntinæ *e*), Augustanæ *f*), Halberstadensis *g*), Curiensis *h*), Leodiensis *i*), Ratisbonensis *k*) ecclesiarum propria manu confirmavimus et ſigillo nostro muniri præcepimus.

Signum domni OTTONIS ſerenissimi regis. *Luotolphus* cancellarius ad vicem *Willebalmi* archicapellani recognovi.

Data VI. Kal. Decemb. indictione XV. anno Incarnat. Dom. DCCCCLVIII. Actum *Polithea* in Dei nomine feliciter, amen.

a) Quamvis hoc diploma phrases aliquas fors minus usitatas contineat, eiusdemque ferme cum N. XVII. a. 949. ſit tenoris, illud tamen neutiquam omittendum duxi.

b) Fuit is nobilis Rhætus S. Galli monachus, qui iam ante 27. annos Fabariam tanquam præpositus gubernabat.

c) *Ludovicus* rex a. 905. abbatiam Fabariensem *Salomoni* ep. Constant. et abbati S. Galli in possessionem tradiderat, ſicque iuris S. Gallensis facta fuerat, inde iam a. 949. et nunc iterum liberata.

d) Haud dubie S. Gallenses intelligit. *e*) Wilhelmi. *f*) S. Udalrici. *g*) Bernardi, qui ob. a. 968.

h) Hartberti. *i*) Balderici, qui a. 960. defunctus legitur. *k*) Michaelis.

XXII.

Otto I. eccleſiæ Curienſi ſub epiſcopo Hartberto donat dimidiam partem urbis Curienſis cum variis eccleſiis, ſacellum in *Trimis*, ius telonei et monetæ, die 16. Ianuar. anno 959.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

In nomine etc. Otto div. fav. clem. rex. Si res eccleſiaſticas etc. Idcirco noverint omnes fideles noſtri præſentes et futuri, qualiter nos ob æternam mercedem, ac pro remedio animæ noſtræ venerabili epiſcopo Hartperto quasdam res iuris noſtri in Recia Curienſi in comitatu *Adelberti a*) comitis, in loco et civitate *Curia*, ſanctæ Dei genitrici Mariæ, et ſancto Lucio confeſſori Chriſti ibidem requieſcenti, qui eſt caput Curienſis epiſcopii, præcepto contradimus, hoc eſt, dimidiam partem ipſius civitatis, cum tali diſtrictione et iure, ſicut hactenus ad noſtram pertinebat poteſtatem, et ſicut homines totius provinciæ cenſuales ac libere debitores ſunt, cum ædificiis in muro, et aſſiduis vigiliis et cuſtodiis intus et foris, et cum omni ſua pertinentia in curtilibus et ſtructuris, et eccleſia S. Laurentii, et cum omnibus legitimis ad eandem civitatem pertinentibus: eodem quoque tenore curtem et eccleſiam S. Hilarii *b*) cum omnibus ſuis pertinentiis, eccleſiam S. Martini cum vinea adiacente, et cunctis ad eam pertinentibus; in *Trimune c*) vico capellam S. Carpophori cum decimis ac ſuis pertinentiis donamus ac tradimus ad eccleſiam præfatæ Dei genitricis Mariæ, cui Hartpertus epiſcopus fidelis noſter præeſſe videtur, cum curtibus et curtilibus, mancipiis, agris etc. etc. Teloneum vero omne, quocunque modo a negotiatoribus exigatur, in ipſo loco, et integritatem monetæ ſimiliter ad ipſam eccleſiam condonamus perpetualiter habendum, ac iuſte fruendum epiſcopis ibidem omnibus.

Iuſſimus quoque hoc præceptum inde conſcribi, et ut ſtabile in æternum permaneat, manu noſtra illud firmavimus, et ſigillo noſtro inſigniri præcepimus.

Signum domni Ottonis ſereniſſimi regis. *Luitolfus* cancellarius ad vicem *Vuilhelmi* archicapellani recognovi et ſubſcripſi.

Data XVII. Kalend. Febr. anno Incarnat. Domini CMLIX. indict. I. regnante domno rege Ottone anno XXIII. Actum *Friteslaræ* in Dei nomine feliciter, amen.

a) Idem legitur in charta ſequenti, et aliis.
b) Eccleſia S. Hilarii extra muros urbis Curienſis a S. Fridolino extructa. *c*) *Trimis.*

XXIII.

Otto I. monaſterio Deſertinenſi donat eccleſiam in *Pfaffinghofen*, et curtem in *Ems*, die 16. Maii anno 960.

Ex archivo Deſertinenſi.

In nomine etc. Otto divina favente clementia rex. Notum ſit etc. qualiter nos pro remedio animæ noſtræ ob interventum dilectæ coniugis noſtræ *Adelheide* ac *Burchhardi a*) ducis Alima-

a) Scilicet *Burchardi II.* Is *Burchardi I.* et *Regilindæ* filius ducatum Alemanniæ obtinuit anno 955. deceſſit a. 973. Vid. P. Æmil. *Uſſermann* Germ. Sac. Prodr. T. I. p. CXVII.

niæ, ſanctis, qui ſunt Desertinensis ecclesiæ, quæ in honore S. Martini constructa est, cui pastorali regimine abba VICTOR præesse dinoscitur, in prædicto loco Deo, ſanctoque Martino devotissime ſervientibus donavimus atque tradidimus, in ducatu Alemanniæ in pago *Zurichgouwe* in comitatu *Luitonis b)* comitis in villa *Phaffinghoue c)*, ecclesiam cum decimis ad illam pertinentibus; donavimus atque tradidimus dotem quoque ecclesiæ, id est duas hobas possessas, et beneficium presbyteri in eodem loco Deo ſervientis, id est unam hobam, ecclesias quoque ad prædictam ecclesiam pertinentes cum beneficiis presbyterorum ibidem ſervientium, nec non omnes censuales homines præmemoratæ ecclesiæ in villa *Phaffinhoue.*

In provincia Rhætiæ Curiensis in comitatu *Alberti d)* comitis in villa *Amades e)*, curtem ad ipsum monasterium pertinentem, cum ædificiis, mancipiis, cultis et incultis etc. etc. etc. ad prædicta loca iure legitimeque pertinentibus in proprium præmemoratæ ecclesiæ Desertinensi, monachisque præscriptis donavimus atque tradidimus iure perpetuo tenendum. Concessimus etiam iam ſæpe dictis monachis, ut licentiam habeant eligendi ſibi abbatem, quemcunque voluerint.

Et ut nullus aliquid horum irritum facere præsumat, iussimus inde hoc præsens præceptum conscribi et annuli nostri impressione muniri, manuque propria ſignavimus.

Signum domni OTTONIS invictissimi regis. *Luitulfus* cancellarius ad vicem *Brunonis* archicancellarii recognovi.

Data XVII. Cal. Iunii a. Dominicæ Incarnationis CM. et LX. indict. III. anno vero regni ſerenissimi regis XXV. Actum *Goſheim* nostro palatio in Dei nomine, amen.

b) Hic Zurichgoviæ comes *Luito* iam occurrit a. 947. apud P. Trudp. *Neugart* Cod. diplom. T. I. p. 591.
c) *Pfäffikon* ad ſinistrum lacus Tigurini litus.
d) *Adelbertus* Rhætiæ comes legitur etiam in diplomate Ottoniano a. 965. Einsidlensibus dato, apud *Neugart* l. c. p. 613.
e) Amisium, *Ems.* Ratione huius loci nova donatio ab *Ottone* facta fuisse non videtur, ſed tantum confirmatio, cum iam diu a *Tellone* bona ista testamento ad Desertinenses devoluta fuerint; unde etiam *curtem ad ipsum monasterium pertinentem* vocat.

XXIV.

OTTO I. imp. ſub abbate MAIORINO confirmat privilegia Fabariensia, die 9. Decemb. anno 962.

Ex archivo Fabariensi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. OTTO divina favente clementia imperator Augustus. Noverit omnium ſolertia fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum, qualiter abbas Fabariensis monasterii, quod constructum est in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ in pago Rhætiæ, nomine MAIORINUS, cum monachis ſibi ſubiectis adiens celsitudinis nostræ clementiam precatus est . . . (*Cætera eiusdem ferme ſunt tenoris cum diplomate a. 949. 9. Febr. quod extat ſupra N. XVII.*)

Data V. Idus Decembris anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXII. indict. V. Regnante domno rege OTTONE anno XXVII. imperatoriæ autem potestatis anno I. Actum *Ticini a)* in Dei nomine feliciter, amen.

a) Ubi iam tempore paschali morabatur, illic post coronationem Roma digressus. Calles Annal. Germ. T. IV. p. 411.

XXV.

Otto II. imp. Fabarienſibus Alawicum Augienſem monachum abbatem præficit, die 13. Octob. anno 974.

Ex archivo Fabarienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia imperator Auguſtus. Noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium, quam et futurorum induſtria, qualiter monachi Fabarienſis abbatiæ noſtram clementiam quæſierunt, abbatem ſibi dare ſubplicantes *a*), nobisque præcepta antecesſorum noſtrorum videlicet regum et imperatorum *Karoli*, *Ludowici*, noſtrique genitoris *Ottonis*, cæterorumque offerentes, in quibus electionem ſibi, abbatem eligendum ab ipſa congregatione præfati monaſterii, affirmatam invenimus.

Nos vero abbatiam cuidam monacho Augenſis cœnobii nomine Alawico *b*) commendatam habuimus, quem idoneum, et a noſtris fidelibus probatum, vitam beati *Benedicti* monachos inſtruendum *c*) elegimus, et abbatem poſuimus. Quorum tamen deprecationi ob amorem Chriſti, futuræque mercedis augmentum benigne conſentientes, privilegii præceptum, electionisque ſcriptum, ſicut ab antecesſoribus noſtris abbatem ſibi ab ipſo cœnobio eligendum tenuerunt, tali tenore conceſſimus, ut poſt obitum ac diſceſſionem ipſius prælibati Alawici abbatis firmiter teneant. Inſuper eandem munificentiam de rebus ad præfatum monaſterium pertinentibus conceſſimus, ut nullus iudex . . . *et cætera pro more.*

Et ut hæc noſtræ donationis ac privilegii auctoritas imperialis firmior ſtabiliorque apud ſucceſſores noſtros permaneat, a cunctisque catholicis Chriſtique fidelibus veratius credatur, manu noſtra propria ſubtus firmantes annuloque noſtri imperialis palatii iuſſimus ſigillari.

Signum domni Ottonis invictiſſimi imperatoris Auguſti. *Willegiſus* cancellarius vice *Rodberti* archicapellani ſubſcripſi.

Data III. Id. Octob. anno Incar. Dom. DCCCCLXXIIII. indict. II. anno regni domni Ottonis XIII. imperii vero VI. Actum *Dorenburch* feliciter, amen.

a) Fratres Fabarienſes hoc in iure a S. Gallenſibus turbabantur, qui Fabariam ſibi ſubiectam per transmiſſos præpoſitos regere volebant, prout ineunte hoc ſeculo X. per plures annos factitabant.

b) In *Hermanni Contr.* Chronico apud *Uſſermannum* hic *Alawicus* a. 997. ad abbatiam Augienſem et a. 1000. ad ſedem Argentinenſem promotus legitur.

c) Hoc eſt, qui monachos iuxta S. Benedicti regulam inſtrueret.

XXVI.

Otto II. imp. eccleſiæ Curienſi ſub Hilteboldo ep. donat telonium et famulitium pontis Clavennæ ſuper fluv. Mairam, die 5. Decemb. anno 980.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia imperator Auguſtus. Omnium fidelium noſtrorum tam præſentium, quam et futurorum piæ devotioni pateat, qualiter nos ob petitionem et interventum dilectæ coniugis noſtræ *Theophaniæ a*) videlicet imperatricis

a) *Theophania* anno 972. poſt paſcha Conſtantinopoli Romam veniens *Ottoni II.* ibidem nupta fuit, ut tradunt Chron. Hildesheim. et Saxo chronogr. apud Calleſium *Annal. Germ.* T. IV. p. 510.

Auguſtæ, charique fratris noſtri *Ottonis b*) Alamannorum ducis, nec non et fidelium noſtrorum *Hildeboldi* ſcilicet Wormatienſis eccleſiæ venerabilis epiſcopi *c*), et *Giſalharii d*) Merſeburgenſis cleri memorandi præſulis, omne telonium de ponte *Clavenaſco e*), qui factus eſt ſuper fluvium *Maira f*) nuncupatum, ſicut regio et imperiali iuri conſuetudo fuit, a negotiatoribus hucusque dari, cuſtodemque eiusdem pontis *Leonem* nomine cum filiis ſuis, et aliis utriusque ſexus mancipiis ad noſtrum ius in villa *Clavenna* pertinentibus ſanctæ eccleſiæ Curienſi in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ ſemper virginis conſtructæ, cui modo venerandus præſul nomine Hildeboldus præeſſe dignoſcitur, ob remedium animæ noſtræ, charæque coniugis et prolis noſtræ omni integritate in proprium donamus ac tradimus, ea videlicet ratione, ut ipſe iam dictus Curienſis eccleſiæ epiſcopus, ſuique ſucceſſores, ut regia et imperialis poteſtas hactenus tenuit, ita ſub ſuæ et eccleſiæ iure abſque omni inquietudine, et alicuius perſonæ contradictione perpetualiter teneant, atque firmiter poſſideant.

Et ut hæc noſtræ donationis traditio firmior præſenti ac futuro tempore a cunctis fidelibus habeatur, hoc noſtræ donationis præceptum inde conſcriptum ſigilli noſtri impreſſione ſignare iuſſimus, manuque propria, ut infra videtur, inſuper corroboravimus.

Signum domni Ottonis invictiſſimi imp. Aug. *Hildeboldus* ep. et cancellarius vice *Willegiſi* archicapellani recognovi et ſubſcripſi.

Data Nonas Decembris anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXX. indict. IX. anno vero regni ſecundi Ottonis XX. imperii autem XIII *g*). Actum *Papiæ* palatio regio feliciter, amen.

b) Fuit hic *Otto* filius *Luitolphi*, et *Ottonis I.* imp. nepos, a. 974. ad ducatum Alemanniæ promotus, vel iam anno præcedente, ut refert *Hermannus Contr.* in Chron.

c) *Hildiboldus Annoni* fratri in ſede Wormatienſi ſucceſſit a. 979. *Ottonis II.* imp. cancellarius. Vid. Calles *Annal. Germ.* T. IV. p. 574. ſeq. et 701.

d) Vel *Giſilerus* ab imperatore ſeq. a. 981. ad Magdeburgenſem archiepiſcopatum evectus. Ibid. p. 583.

e) Seu Clavennenſi ſic dicto ab oppido *Clavenna*, quod toti comitatui ſupra lacum Comenſem nomen largitur, emporium celebre, et locus mercatoribus ex Italia in Germaniam, et hinc inde commeantibus peropportunus.

f) *Maira* fluvius naſcitur in monte Iulio prope fontes Oeni et Silſenſem lacum, ſecat Prægalliam et Clavennam, ſeque demum lacui Comenſi miſcet.

g) Chronotaxis eſt legitima, indictione a menſe Septembri inchoata.

XXVII.

Otto III. plurium præſulum interventu Fabarienſis monaſterii privilegia confirmat, ſub abbate Leopoldo, anno 992.

Ex archivo Fabarienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam futurorum induſtria; qualiter ob interventum venerabilis Hleubold ſanctæ eccleſiæ beatæ Mariæ in pago et in comitatu Rhetiæ *Churowalhen* abbatis nos convenientis et ſecum deferentis præcepta piiſſimæ memoriæ imperatorum, videlicet duorum *Ottonum* avi et genitoris noſtri præſtantiſſimi hæc eadem confirmare decrevimus, in quibus continetur, et interdicitur, ut nullus ſæcularis aut ſpiritualis poteſtas, dux vel marchio, comes aut vicecomes, advocatus vel ſubadvocatus, epiſcopus vel ſacerdos in monaſterio et locis ei ſubiectis exercere audeat iuriſdictionem aut violentiam, ſed præfatum monaſterium cum monachis ſuis et omni dominio, cunctiſque utilitatibus, quæ vel dici, vel inveniri ullo modo poſſunt, ſemper debeat eſſe liberum.

Nos igitur OTTO Dei gratia rex adstipulatione regni principum venerabilium archiepiscoporum *Willigisi a*) Moguntini, *Giseleri b*) Magdeburgensis, *Lievizonis c*) Bremensis, *Aionis d*) Capuani. Item episcoporum *Luitolphi e*) Augustensis, *Hildeboldi f*) Wormatiensis, *Hugonis* Ciczensis, *Erponis g*) Verdensis, *Retharii h*) Paderbornensis, *Reinwardi i*) Tridentini; ac denique abbatum *Mansonis* Cassinensis, *Tietmari* Corbeiensis, *Lüzonis* Luneburgensis, nominato venerabili HLUOBOLDO abbati, et monachis ſuis omnem imunitatem atque libertatem a prædecessoribus nostris ipsis traditam præsenti ſcripto confirmamus, per quod volumus atque iubemus, ut nullus ſuccessorum nostrorum, vel quisquam iudiciaria potestate constitutus de aliqua ſubstantia monasterii iam possessa, vel deinceps possidenda quovis modo præstet, aut se intromittat.

Quapropter libertatis et condonationis huius memoriale ſempiternum conscribi curavimus, quod, ut infra videtur, propria manu nostra corroboratum, et ſigilli nostri impressione insignitum omnis generationis tam præsentis quam futuræ notitiæ relinquimus.

Signum domni OTTONIS gloriosissimi regis. *Hildeboldus* episcopus et cancellarius recognovit.

Data Idibus Martii *k*) anno Incarn. Dominicæ DCCCCLXXXXII. indictione V. anno autem OTTONIS tertii regnantis VIIII. Actum *Hildesheim* in Domino feliciter, amen.

a) Quotquot heic præsules enummerantur, omnes intererant dedicationi Halberstadensis templi die 16. Octobris, prout videre est apud Annalist. Saxon. et Calles. l. cit.

b) Fuit antea ep. Merseburgensis; is anno 1000. archiepiscopatum Magdeburg. relinquere, et ad priorem ecclesiam redire iussus ab *Ottone*, diversimode mandatum elusit. Ditmar. Lib. 4. p. 357. *c*) Al. Hamburgensis.

d) Electus circa ann. 990, mox a. 993. veneno a Capuanis interfectus legitur apud Ughell. Ital. S. T. VI. p. 322.

e) Præfuit ſumma cum laude ab a. 988. ad a. 996. *f*) Obiit a. 998. Calles. l. cit. p. 701.

g) Teste Annalista Saxone a. 993. defunctus.

h) Interfuit conventui Francofordiensi a. 1001. Augusto mense. Calles. ibid. p. 734. *i*) *Ughello* vocatur *Raynaldus*.

k) Fallente calamo *Martius* mensis adpositus videtur, ſiquidem *Otto III.* Februarium, Martium et Aprilem etc. prope Rhenum transegit, nunc Francofurti, nunc Aquisgrani aut Treviris ſubsistens, prout ex variis diplomatibus apparet. Certe Fabariense hoc diploma circa Halberstadensis dedicationis tempus confectum est interventu præsulum, qui eidem intererant. Nil obest, quin credam, *Ottonem* finita ſolemnitate Hildeshemium, quod non longe Halberstadio distat, ſecessisse, aut etiam ante illam forte ibidem moratum fuisse.

XXVIII.

OTTO III. Desertinensis monasterii iura confirmat ſub abbate ERCHENBERTO, die 8. Febr. anno 993.

Ex archivo Desertinensi. Eius ſolum meminit Mabillon. Annal. Benedict. T. IV. p. 84.

In nomine etc. OTTO etc. rex. Omnium etc. devotioni manifestum ſit, qualiter vir venerabilis ERCHENBERTUS Desertinensis ecclesiæ abbas nostris obtutibus monstravit præcepta beatæ memoriæ avi nostri *Ottonis* regis et eius æquivoci genitoris nostri imperatorum videlicet Augustorum, in quibus continebatur, quomodo ipsi divini amoris instinctu etc. monachis Deo et ſancto Martino in prælibato loco Desertino die nocteque ſervientibus ſuis præceptionibus concederent inter se potestatem et licentiam eligendi abbatem, quandocunque mortis interceptione usus est opus exigere, omniaque loca ad eandem ecclesiam pertinentia ſuæ auctoritatis donativo munirent, et confirmarent. Pro rei tamen firmitate petiit celsitudinem nostram, ut nos denuo id ipsum faceremus.

Eius vero petitioni præmissæ pro mercede ſalutis æternæ, petitionibusque fidelium nostrorum *Willigisi* ſcilicet Moguntinæ ſedis honorandi archipræsulis, ac *Hildebaldi* Wormaciensis ecclesiæ

reverendi pontificis benignum aſſenſum præbentes hac celſitudinis noſtræ regia donatione monachis in divina ſervitute præfato loco manentibus inter ſe eligendi abbatem, licentiam et poteſtatem conceſſimus. *Cætera pro more uti in plerisque.*

Hildibaldus ep. et cancell. vice *Willegisi* archiepiſcopi recognovi.

Data VI. Id. Februarii anno Domin. Incarnat. DCCCCXCIII. Indict. VI. Anno vero tertii OTTONIS regnantis X. Actum *Diaspargo* feliciter, amen.

XXIX.

Bulla aurea GREGORII V. papæ Fabarienſibus ſub LEOPOLDO abbate data a. 998.

Ex archivo Fabarienſi.

GREGORIUS epiſcopus Romanus, ſervus ſervorum Dei ſanctæ ſedi principis apoſtolorum beati Petri et Pauli præſidens, dilectiſſimis filiis abbati ordinis divi patris Benedicti monaſterii ſanctæ Dei genitricis in diœceſi et pago Curienſi, eiusque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in proprio monaſterio, ac ibi religioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incurſu robur ſacræ religionis infringatur.

Eapropter dilecti in Domino filii! veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, et monaſterium veſtrum, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ad exemplum felicis recordationis *Zachariæ a)*, *Stephani IV b)*, *Leonis III c)*, *Benedicti V.* et *Ioannis XIII.* Romanorum pontifi-

a) Ad manus eſt apographum Bullæ *Zachariana S. Pirminio* anno 749. datæ II. Non. Novemb. Tametſi illius exiſtentiam non negem; meum tamen exemplar eiusmodi errores continet, ut tanquam ſequiori ævo corruptum et interpolatum in ſerie reliquorum monumentorum edere religioni mihi duxerim. Sic vero habet.

„ *ZACHARIAS* epiſcopus ſervus ſervorum Dei, *PIRMINIO* Deo amabili epiſcopo et abbati, venerabilium diverſorum monaſteriorum Deo auſpice fundatori, ac per ſeriem omnibus ſucceſſoribus eius viciſſim abbatibus in perpetuum. Igitur quæ poſtulaſti a nobis dilectiſſime Frater! quatenus in regno Franciæ, uti et ubi terrarum tibi placitum fuerit, in ruribus ac mæniis diverſorum locorum, ſive in his etiam, quæ per donationem, aut per emtionis paginam tibi advenerint, ſive in rebus magnatorum tuorum, vel undecunque tibi acciderint, ſacra loca et monaſteria, ſicut a te conſentientibus *Dagoberto* et *Theodorica* filio eius Francorum regibus piæ memoriæ, ſine refragatione de aliquo iudice, vel ullius reclamatione constructa ſunt (*DAGOBERTUS III. a. 715. vel ſeq. obiit, ergo S. PIRMINIUS ſub hoc rege nulla monaſteria fundare potuit, niſi tota eius hiſtoria fallat. Caroli Martelli et Pipini ope pleraque conſtruxit, quorum tamen nulla hic mentio*), ita libera ſub iure ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui Deo auctore deſerviunt, a nobis firmata privilegiis et immunitatibus in futuro permaneant. „

„ Nos igitur tam piis deſideriis faventes, ac noſtra benedictione id, quod petis, effectui mancipantes, per hanc apoſtolicam auctoritatem tibi piiſſime Frater! licentiam et poteſtatem concedimus, ædificandi monaſteria et alia pia oratoria, ubicunque in Franciæ regno volueris, ſive alibi terrarum, aut in locis proprietatis tuæ — — — ſintque monaſteria omnia a te conſtructa aut conſtruenda ſub apoſtolica protectione et poteſtate. „

„ Hoc autem Chriſti Dei et Domini noſtri, et beati Petri apoſtolorum principis, et noſtra, qua prævalemus, auctoritate promulgantes ſancimus, et iſta, quæ dictamus, ita roboramus, ut nemo epiſcoporum de quacunque eccleſia tuas et tuorum ſucceſſorum cauſas audire, aut aliquo cupiditatis vinculo deceptus res tuas quomodolibet conſtitutas invadere, aut circa eas ullum miniſterium eccleſiaſticum celebrare præſumat; ſed tibi et ſucceſſoribus tuis reclamare, et querelas circa te et tuos fratres forte exortas ad noſtram apoſtolicam audientiam deportare per hanc præceptionis licentiam et paginam liceat. (*Sequuntur ſolitæ imprecationes, et demum hæc chronotaxis.*) Scriptum per manus *Ioannis* Scrinarii anno VII. domini noſtri *ZACHARIÆ.* Datum II. Nonas Novemb. imperante *Conſtantino*, indict. V. anno DCCXLVIIII. (*Quæ non convenit.*) „

b) Idem plane de *Stephani IV.* Bulla ſentiendum, quæ anno 770. confecta creditur; ſuſpicor, ab imperito quodam vitiatam fuiſſe, adpoſito *Wormatiæ* loco, ubi quidem præſulum conventus tunc a *Carolo M.* habebatur, cui tamen *Stephanus* papa intereſſe non potuit, quemadmodum nec epiſcopi, qui apographo Bullæ ſubſcribuntur, ſcilicet *Wernharius* ſeu *Bernharius* Wormatienſis, qui demum a. 803. electus præfuit ad a. 823, et *Urſicinus* Curienſis, cui *Tello* ſaltem iam a. 758. ſucceſſit. Forſitan Bulla hæc *Stephanum V.* auctorem habet, qui a. 816. in Galliam profectus eſt; nomina vero epiſcoporum probabilius a ſciolo quodam ſuppoſita fuerunt.

c) Vid. ſupra Num. IV.

cum prædeceſsorum noſtrorum, ſub B. Petri et noſtra protectione ſuſcipimus, et præſentis ſcripti ſpeciali privilegio communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo veſter monaſticus, qui ſecundum Deum et beati Benedicti regulam in veſtro et *B. Valentiani prope caſtra Martiola d)*, *cui præſidetis*, monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus, ſicut hactenus, inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona et iura in præſentiarum iuſte et canonice poſſidetis, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum et principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis præſtante Domino Deo poteritis adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, et illibata permaneant; ex quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Primo locum ipſum et homines, in quo præfatum monaſterium eſt cum eccleſia et grangiis, ac omnibus pertinentiis ſuis, in quibus abſque ulla tergiverſatione aut impedimento ſacra myſteria celebrare vobis in perpetuum liceat. Item in pago *Curowalahon* curtem in *Nuzedre e)*, atque colonias quinque in *Thurigos f)*, eccleſiam S. Mariæ apud *Montaniolas g)* cum omnibus iuribus et adiacentiis ſuis. Eccleſiam S. Sulpitii in *Fraſteneſtum h)* cum omni familia ſua. Item curticellam in *Bimerlo i)* cum tellure et omnibus rebus ac hominibus. Locum B. Mariæ in *Regez k)* cum ſuis mancipiis et iuribus.

Præterea eccleſias cum hominibus in comitatu Rhætiæ, id eſt, *Vatio*, *Malaſan*, *Yges*, *Trimons l)*, ſancti *Salvatoris m)* cum decimis, et coloniis. Item colonias cum iudicio, decimis et hominibus, id eſt, eccleſias SS. Georgii ac Zenonis in *Ladurs* et *Raſchain*, in *Flimme*, *Schanſik*, *Ruſſis* et *Selt n)*. Item eccleſias cum decimis in *Andeſte*, in *Iliande*, *Rucenne*, *Selaune* et *Flemme o)*. Item eccleſiam S. Gaudentii ad pedem *Septimi montis*, eccleſiam et omnes poſſeſſiones in territorio Clavennæ. Item colonias manſus cum bonis, quæ ad ſervitium mariſcalli, dapiferi, pincerni et præfectorum ſeu advocatorum veſtrorum pertinent: videlicet, bona cum curtellis in *Bulcaria*, de *Bidennis*, in *Kampazh p)*. Bona in *Caſtelmures*, in *Prato longo q)*, in *Ragez*. Item coloniam de *Salezhe* et *Magenze r)*. Item curtem cum colle in *Vilters*, in *Wanges*, in *Rumos s)*. Item bona in *Sempania t)*.

Ad hæc omnia bona cum iuribus in *Wattewille* et *Stadelhoven*, in *Montlingen*, in *Arbona u)*, et curtem cum bonis in *Studeez* prope *Præge w)*. Inſuper omnia iura cum eccleſiis in *Metmenſtetten x)*, in curia, in *Marchedow*, in *Caſtris y)*, videlicet *Tertz*, *Quart*, *Quint z)*, et eccleſia *Walcheſtette* cum filia *Quart*, ac omnibus bonis, iudiciis et hominibus. Ad hæc eccleſiam cum villa in *Quatigiſo aa)*; eccleſiam cum villa in *Tuconia bb)*; eccleſiam cum villa in *Milcinchov cc)* cum tellure et omnibus hominibus. Eccleſiam S. Stephani in *Menidorve dd)*. Item

d) *S. Lucii* cœnobium eſt; caſtrum vero *Martiola* ipſa modo arx epiſcopalis. Hic locus demonſtrat, S. Lucenſes olim Fabariæ ſubiectos, ac per quemdam priorem aut præpoſitum gubernatos fuiſſe.

e) *Netzüders* vicus ad rivum Lütz prope Bludentum oppidum in Walgovia. f) *Thüringen*. g) Monticulus, *Montigl.*

h) *Fraſtenz* pariter in Walgovia. i) Ignotum. k) *Ragatium* infra Fabariam ad Tamingam ſeu Camingam torrentem.

l) *Vaz*, *Malans*, *Igis*, *Trimis* in quatuor pagica valle e ſeptemtrione urbis Curiæ. m) Forte Curiæ.

n) *Ladir*, *Ruſchein*, *Flims* communitates in Fœdere griſeo, ſicut *Ruvis* et *Sept* haud longe a ſe invicem diſſitæ ad ſiniſtrum Rheni litus. *Scanſik* vallis hodiedum celebris. o) Eiuſdem Fœderis loca. p) Forte Campaſtum in Puſclavio.

q) Caſtelmur. Langwies. r) Legendum videtur *Falezhe* Fläſch, alterum *Maienfeld*.

s) Prope amnem *Saar* Sarganſium inter et Ragatium. t) Alpes quædam hoc nomine ſignificari videntur.

u) *Watweil* ad fluv. Thur. *Stadelhofen* villa antiqua prope Turegum. *Montigl.* Arbor felix ad lacum podamicum.

w) Ignotum; fors ſingularis quædam villa eſt. x) Vicus in præfectura Knonau cant. Turic. trans Albim montem.

y) Gaſtern. z) Loca ad lacum Rivanum et Wallenſtadium. aa) Wäggis. bb) Tuggen.

cc) An non *Mulchingen* in præfectura Kyburgica cant. Turic. dd) *Mänedorf* ad lacum Tigur. Stafenium inter et Veticonium, ubi eccleſiam S. Stephani habuere Fabarienſes usque ad a. 1494. quo eam Einſidlenſibus vendiderunt.

curtem *Wibare* nuncupatam in *Turgenue ee)*. Et curtem unam *Suueninga* in *Alpegewe ff)*, nec non in pago *Para* curtem unam in *Oberdorff gg)* nuncupatam, cui ecclesia baptismalis, et pos-sessiones ecclesiasticæ inibi annectuntur. Denique omnia bona in pago Thuricensi, videlicet feu-da in villa *Arne* et *Tuolle hh)*. Item decimas cum hominibus in *Hedingen ii)*. Item decimas cum bonis in *Rüte* et *Ferren kk)*, et omnia bona in *Wattwille.*

Hæc omnia cum terris, pagis, villis, curtis, ecclesiis, hominibus, mancipiis, proprietatibus, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, pascuis in *Boscho ll)* et plano, in alpibus, in aquis, in molendino, in viis et ſemitis, et aliis omnibus libertatibus et immunitatibus in abbatis et fratrum arbitrio ſunto; quatenus ista abbatia ſemper ſit libera. Hospitali autem vestro, quod S. Christo-phori dicitur, decimas ſeu proventiones in *Melis* a catholicis ipsius loci abbatibus et reliquis Deo ſervientibus personis concessas auctoritate apostolica confirmamus.

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, de quibus aliquis hac-tenus non percipit, ſive de animalium vestrorum nutrimentis nullas a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis interdictis, non pulsatis campanis divina officia celebrare, dummodo causam non de-deritis interdicto. Chrisma vero, ſeu oleum ſacrum, consecrationes altarium, vel etiam basili-carum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, ſecundum iura et consuetu-dinem vestram ſine pravitate exhibebitis . . . . . .

Ad hæc novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, aut aliis ſeu ecclesiasti-cis ſeu ſæcularibus personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci li-beram esse decernimus, ut qui ibi ſepeliri voluerint, eorum devotioni et voluntati relinquatur. Decimas et possessiones ad ius ecclesiarum vestrarum ſpectantes, quæ a laicis detinentur, redi-mendi, et legitime liberandi de manibus eorum, et ad ecclesias, ad quas pertinent, revocan-di libera ſit vobis de nostra auctoritate facultas.

Apostolica item auctoritate ſtatuimus, et ſub interminatione anathematis prohibemus, ne ab-bates vestri, qui pro tempore fuerint, ecclesias, decimas, præbendas monachales, vel quæli-bet feuda aliquo titulo alienare præsumant, nec alias quasvis possessiones monasterii, ſeu the-sauros, aut mobilia bona vendere, obligare, aut infeudare ſine communi consensu capituli, vel maioris aut ſanioris partis, aliquatenus audeant. Obeunte te charissime fili HLIUDBOLDE! præfati monasterii abbate, vel tuorum quolibet ſuccessorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis astutia ſeu violentia præponatur, nisi quem tantum fratres communi consensu, ſeu fratrum pars consilii ſa-nioris ſecundum Deum et B. Benedicti regulam de eodem collegio, vel alterius monasterii, si ibi aliquis ad hoc regimen idoneus repertus non fuerit, providerint eligendum, qui iuxta ecclesiæ vestræ consuetudinem a diœcesano, vel eo renitente, ab alio episcopo consecretur.

Paci denique et tranquillitati vestræ paterna in posterum ſollicitudine providere volentes, auc-toritate apostolica ob amorem B. Benedicti ac dilectissimorum filiorum *Adelhaidis* Augustæ, et *Reginaldi* fautoris et exactoris vestri ſeveriter prohibemus, ut infra clausuras locorum, ecclesia-

ee) P. Trudp. *Neugart* Cod. diplom. Alem. T. I. p. 595. dicit esse *Wüeri* parochiæ Mœnch-Altdorf dit. Turic.
ff) *Schwaningen* dit. Fürstenb. in comit. Stühling. *gg)* Duabus leucis Rotwila distans.
hh) Loca Turicensia *Arni* et *Tuëlen.* *ii)* Pagus præfecturæ *Knonau* dit. Turic.
kk) *Rüthi* et *Verach* in præfectura Grüningen dit. Turic.
ll) Boschum, Boscum al. *Baschär* idem ac pascua maiora e regione Vilis terræ *Vilters.*

rum ſeu grangiarum vestrarum, nullus rapinam, furtum facere, ignem apponere, ſanguinem humanum fundere, malefactores, aut quemvis hominem temere capere vel interficere, ſeu violentiam aliquam audeat exercere; ſit vero locus et ecclesia vestra ab omni molestia libera.

Nulli ergo hominum liceat hanc constitutionis nostræ paginam temere infringere, aut quovis modo ſæpe nominatum monasterium perturbare, aut eius iura et possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia potius integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione concessa ſunt, usibus omnimodis profutura. Salva tamen ſedis apostolicæ auctoritate, et diœcesanorum episcoporum canonica iustitia.

Si quis autem contra attentare præsumpserit, et bis admonitus se non emendaverit; ſciat, se auctoritate Dei omnipotentis, et B. Mariæ ſemper virginis, et BB. apostolorum Petri et Pauli, et B. Benedicti, et omnium Sanctorum, esse excommunicatum, et perpetuo anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienatum, et cum diabolo atrocissimis pœnis, et Iuda Iesu Christi Domini nostri proditore, æterno ſupplicio, æternæque maledictioni deputatum; et ſicut hæ lucernæ extinguuntur, ita ante Deum lucerna eius extinguatur, nisi res iniuste invasas monasterio reddiderit, et dignam pœnitentiam gesserit. At vero vicissim, qui huius apostolici instituti observator extiterit, benedictionis gratiam a Deo Domino nostro per intercessionem B. Benedicti consequatur, et vitam æternam accipere mereatur *mm*).

mm) Clausula deest. Annus 998. apographo ſubscriptus, quo *GREGORIUS V.* plures Bullas variis locis concessit, quarum aliquas recitat *Ughellus*. Agebatur hoc anno Romæ ſynodus, cui intererant aliqui ex Germania episcopi, qua occasione forsan hæc bulla data fuit, ſicut et illa pro monasterio Petershusano a P. Trudp. *Neugart* edita Cod. diplom. Allem. T. I. p. 648.

XXX.

Diploma Heinrici II. imp. iura Fabariensia confirmantis, die 27. Maii anno 1019.

Ex archivo Fabariensi.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei omnipotentis. Heinricus divina favente gratia imperator. Oportet nos, qui divina ſumus gratia quodammodo cæteris mortalibus ſublimati, eius in omnibus parere præceptis, cuius clementia exsistimus prælati, atque cuius præcellimus munere; loca utique ipsius ſibi dicata ante omnia nostris rebus ſublimare et honestare (*debemus*); quoniam hoc procul dubio ad ſalvationem corporis et animæ nostræ fore credimus.

Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium ſcilicet et futurorum, ſolertia, quod nos in consilio principum nostrorum, et interventu dilectissimæ coniugis nostræ *Kunegundis* imperatricis Augustæ, abbatiam monasterii beatæ virginis Favariensis in comitatu *Corwaleben*, cui præstantissimus vir Hartemann, tanquam ſingulare et insigne Romani imperii membrum præsidet, ſub nostro mundiburdio et emunitatis tuitione constitui iussimus; atque præcepta et privilegia antecessorum nostrorum, *Karoli* videlicet, *Ludovici*, *Lotharii*, ac trium *Ottonum* Augustissimorum imperatorum, in quibus continebatur, quod præfatus abbas cum monachis ſuis ſubiectis regiæ vel imperialis defensionem tuitionis ſuper omnes res ad idem monasterium pertinentes habere debuisset, idcirco nostræ auctoritatis munimine renovando confirmavimus, atque per hoc regale præceptum præfatum venerabilem abbatem cum monachis ſuis in nostram tutelam ſuscepimus, eo tenore, ut nullus — — — *Cætera pro more.*

Et ut hoc imperiale auctoritatis noſtræ præceptum et impoſterum ab omnibus fidelibus verius credatur, annuli noſtri impreſſione manuque noſtra ſubtus firmavimus.

[In præſentia *Erkenbaldi a)* archiepiſcopi Mogunt. *Popponis b)* archiep. Trevir. *Gothardi c)* Hildesheim. *Heriberti d)* Colon. *Verneri e)* Argent. *Waethardi f)* Magdeburg. *Ruperti g)* Spirens. *Burchardi h)* Wormat. *Bruno i)* dux Germanorum cum aliis principibus Teutonicis.]

Signum HEINRICI ſecundi invictiſſimi Rom. imp. Aug. *Arnoldus* cancellarius vice *Erchenbaldi* archicapellani recognovit.

Data VI. Kal. Iunii indictione II. anno Dominicæ Incarn. MXVIIII. anno vero domni HEINRICI ſecundi regnantis XVIII. imperii autem V. Actum in *Babenberg k)* in Dei nomine feliciter, amen.

a) Idem qui infra archicapellanus, ſedi Moguntinæ poſt *S. Willigiſum* præfectus a. 1011. ob. a. 1021.
b) *Meingaudo* ſucceſſit a. 1015. vel ſeq. ob. a. 1047.
c) Præfuit hoc anno adhuc *S. Bernwardus* Hildesheimenſi eccleſiæ, et demum a. 1022. defunctus ſedem *Godehardo* reliquit.
d) Electus a. 999. e) Al. *Werinharius I.* iam a. 1005. interfuit ſynodo Tremonianæ, eſt is abbatiæ Murenſis conditor.
f) In ſede Magdeb. confirmatus poſt *Tagmonis* obitum a. 1012. Aſt cum *Dietmaro* teſte L. 6. p. 393. eodem anno iam obierit, neſcio ſane, quo pacto eius nomen in hoc diplomate occurrat.
g) Spiræ hoc tempore *Waltherus* præfuit, non *Rupertus* iam a. 1004. defunctus. h) Elect. a. 999. ob. a. 1025.
i) Dux Allemanniæ tunc erat *Erneſtus II. Bruno* nunquam. Hinc palam fit hanc epiſcoporum et ducis recenſionem, tanquam præſentium, apographo manu male erudita ævo poſteriori additam fuiſſe, quin ipſummet diploma ſuſpectum haberi poſſit. k) Notæ chronologicæ conveniunt, ſique iis conſentiamus, qui dedicationem Bambergenſem a. 1019. iam factam teſtantur; etiam diploma hocce ea occaſione datum credi poteſt.

XXXI.

CONRADUS II. imp. Fabarienſibus monachis præter iurium confirmationem, etiam conſtituendi et deponendi advocati libertatem concedit, die 27. Aug. a. 1028.

Ex archivo Fabarienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis amen. CUNRADUS divina annuente clementia imperator Auguſtus. Si fidelium ac ſervorum nobis fideliter ac devote famulantium petitiones, dum nobis pro ſuis et noſtris utilitatibus innotuerint, ad effectum perducimus; non ſolum anteceſſorum noſtrorum regum atque imperatorum imitando conſuetudinem, verum etiam ad beatæ et æternæ remunerationis mercedem talia nobis facta profutura liquido credimus.

Quapropter omnium fidelium noſtrorum, ſanctæque Dei eccleſiæ tam præſentium quam futurorum cognoſcat induſtria, quod anteceſſores noſtri præſtantiſſimi imperatores *Karolus* videlicet, *Ludowicus*, *Lotharius*, *Arnulphus*, OTTO *a) avus noſter*, ac denique *Heinricus* ſanctiſſimæ memoriæ prædeceſſor Auguſtus quoddam monaſterium in pago Retia, quod eſt conſtructum in honore ſanctæ Mariæ matris Domini, recta ratione et fideliter in ſuorum et ſucceſſorum ſuorum poteſtatem ſuſceperint; ita viciſſim interventu *Giſlæ* coniugis noſtræ dilectiſſimæ, et coimperatoris noſtri *Heinrici b)* filii noſtri omnia iura præfati monaſterii hoc auctoritatis noſtræ præcepto confirmaverimus; quo ſerio iubemus et conſtituimus, quod idem monaſterium cum omnibus ſuis pertinentiis et immunitatibus, nunc collatis et dehinc conferendis, ab hac die et deinceps non ſubdi omnino, nec ſubeſſe iugo alicuius terrenæ perſonæ vel poteſtatis, ſed abbatum tunc exiſtentium dominatui et ordinationi omnino poſſit. Sed ſi alicui duci vel comiti aut cuicunque advocato, comendante

a) *Otto* hic fuit Franconiæ rhenanæ dux, qui genuit *Henricum Conradi II.* parentum. Pagi Critic. in annal. Baronii T. IV. p. 125. ad ann. 1024. b) Nondum tunc imperator erat *Heinricus*, biennio ante rex a patre denominatus.

ſibi abbate, veluti advocatia tradatur; non in beneficium et ius proprium, ſed ad ſecurioris et gratæ defenſionis ſuffragium, qui non pro terreno commodo, ſed pro æterna mercede ſolicitus et ſtudioſus, bona et conſtitutam monaſterii libertatem et iuſtitiam defendere debeat.

Unde ſi non ut advocatus, ſed ut pervaſor monaſterii fuerit, quando nimirum bannum aut mulctas quaſcunque, aut fodram, aut allergarias *c*) petierit; abbas tunc exiſtens cum conſilio fratrum talem reprobandi, et eius loco alium quemcunque eligendi poteſtatem habeat; qui ſolum a præfati monaſterii tribunali iura et ſententias exigere poteſt.

Sancimus præterea, ut nulla deinceps perſona, ſive magna ſive parva, ſive publica ſive privata, ſive denique libera ſive ſervilis, ſive denique eccleſiaſtica ſive laica ſupradictum monaſterium cum monachis ſuis de aliquo beneficio vel iure inquietare, moleſtare, aut ulterius ullo modo dehoneſtare audeat. Si vero, quod abſit, aliquis quacunque temeritate aut pertinacia prave inductus hanc noſtri præcepti paginam infringere præſumpſerit, centum libras auri puri abſque gratia componat, medietatem cameræ noſtræ, et medietatem prædictæ eccleſiæ.

Et ut hæc nunc, et in futurum firma et roborata permaneant, atque ab omnibus credantur et inviolabiliter ſerventur, hoc imperiale præceptum manu propria corroboratum ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus.

Huius rei teſtes ſunt *Pelegrinus d*) Colonienſis archiepiſcopus, *Hartwicus e*) Salisburgenſis archiepiſcopus, *Bruno f*) Auguſt., *Gebhardus g*) Ratisbon. Præſentibus *Guelphone* et *Erneſto h*) ducibus.

Signum domni Cunradi invictiſſimi imp. Aug. *Arnolphus* vice *Pellegrini* archicapellani recognovit.

Data VI. Kal. Sept. anno Dom. Incarn. MXXVIII. anno vero domni Cunradi ſecundi regnantis IIII. imperii autem II. indictione XI. Actum *Ulmæ* in Domino feliciter, amen.

c) A verbo *Allargare*, quod de viis publicis ampliandis et purgandis hinc inde dicebatur; *augare*, *purgare*.
d) Præfuit ab a. 1021. ad a. 1036. ſimul archicapellanus. Chron. Gottw. T. I. l. 2. p. 255.
e) *Dietmarus* hoc tempore, non *Hartwicus* eccleſiam Salisburgenſem rexit, utpote iam a. 1023. mortuus. Calles. *Annal. eccles. Germ.* T. V. p. 227. Inde conficitur, vel librarium erraſſe, quod præcipue in apographis frequenter contigit, vel Fabarienſes *Hartwici* favore pro ſtabilienda libertate uſos fuiſſe, antequam *Conradus* regno potiretur. Agi res iam ſub *Henrico II.* imp. potuit, et demum ſub *Conrado* expediri. Quicquid autem ſit, temeritatis foret, diploma omnibus cæteroquin veritatis dotibus ornatum, unius nominis proprii cauſa falſitatis arguere.
f) *S. Henrici* imp. frater iam a. 1007. ſynodo Francoford. tamquam ep. Auguſt. interfuit, ob. a. 1029.
g) Bini Ratisbonæ *Gebhardi* præfuerunt hoc ſeculo, primus a. 1023. alter 1060. demortui.
h) Fuit *Guelpho* Altdorfenſis comes, et *Erneſtus* Alemanniæ dux, uterque anno 1027. in placito Ulmenſi ab imperatore ad tempus proſcripti, ut refert *Hermannus Contractus* ad hunc annum. Hinc forſan diploma anno citius quam chronologia habet, datum fuit.

XXXII.

Conradus II. imp. Hartmanno ep. Curienſi renovat et confirmat iura in urbe Curienſi, et vallem Prægalliæ, die 26. Ianuar. anno 1036.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

In nomine ſanctae et individuae Trinitatis. Chuonradus divina favente clementia Romanorum imperator Auguſtus. Omnium Chriſti noſtrique fidelium noverit induſtria, qualiter Hartmannus venerabilis ſanctae Curienſis aecclesiae epiſcopus ad nos veniens celſitudinis noſtrae clementiam

rogavit, quatenus praedictam Curienſem aecclesiam cum ſuis appenditiis, et aliis omnibus rebus, a regibus vel imperatoribus antecessoribus noſtris illuc traditis, ac per regalia ſive imperialia praecepta confirmatis, ſub nostrae tuitionis mundiburdium reciperemus, nostrique auctoritate praecepti renovando corroboraremus. Cuius ſaluberrimæ petitioni consultu dilectae contectalis nostrae *Gisalae* imperatricis videlicet Augustae, et amantissimae nostrae prolis *Heinrici* regis, nec non fidelium nostrorum *Brunonis a)* Wirzeburgensis episcopi, et *Eberhardi b)* Babinbergensis episcopi assensum præbentes, praecepta regum ſive imperatorum antecessorum nostrorum de iamiam dictae Curiensis aecclesiae rebus conscripta renovari decrevimus, ſuſcipientes ſub nostram regiam tuitionem ipsam Curiensem civitatem cum tali districtione et iure, ſicuti antiquitus ad regiam pertinebat potestatem; et ſicut homines ipsius totius provinciae censuales ac liberi ſunt debitores, cum aedificiis in muro, et assiduis vigiliis, et custodiis intus et foris, omnibusque ad eandem civitatem pertinentibus, in teloneo, moneta et banno, et cum omni censu a liberis hominibus ſolvendo in ipso comitatu Curiensi, ſcilicet a quartanis et quadrariis *c)*, terris censualibus omnibus in montanis et planis; et hostisana cum tota exactione integri census, et bannita districtione pontis, totiusque venditionis et negotiationis ipsius loci et procuratione falconum cum ovino pastu.

Insuper Bergalliam vallem cum castello *d)* et decimali aecclesia omnique districtione placiti et banni, teloneo et forestis ac inquisitione totius census tam in montibus quam in planis ad ipsam vallem pertinente. Ea ſcilicet ratione, ut nullus dux, comes vel iudex publicus ſeu regius exactor, ſive aliquis ex iudiciaria potestate dehinc aliquam habeat potestatem in locis, villis, aut possessionibus, antiquitus ſive moderno tempore ab antecessoribus nostris eidem aecclesiae concessis, placita habenda ſeu bannos tollendos, aut freda exigenda, vel ullas inlicitas occasiones, aut paratas faciendas, aut telonea exigenda; aut homines ipsius aecclesiae censuales, liberos aut ſervos aliquo modo distringere in aliquibus negotiis ad eandem aecclesiam pertinentibus, vel inquietare praesumat. Sed omnes propter ecclesiastica ſervitia et census, tantum ad placitum advocati, quem episcopus et praesens et futurus ad hoc opus elegerit, ſicut mos est in aliis epicopiis regni nostri, constringantur: et propter censualem terram liberorum et fiscalium et colonorum hominum ad praefatam aecclesiam pertinentem, non in cuiuslibet ducis vel comitis, aut alicuius iudiciariae personae placito, nisi in advocati ſolummodo eiusdem aecclesiae placito deinceps constringantur.

Et ut haec nostrae renovationis et confirmationis auctoritas ſtabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes ſigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni CHONRADI invictissimi Romanorum imperatoris Augusti. *Burchardus e)* cancellarius vice *Pardonis* archicapellani recognovit.

Data VII. Kal. Febr. anno Dominicae Incarnat. Mill. XXXVI. indict. IIII. anno autem domni CHUONRADI ſecundi reg. XII. imp. vero VIIII *f)*. Actum *Ulmae* feliciter, amen.

a) *Bruno* imperatoris patruelis præfuit ab ann. 1034. ad 1045. P. Æmil. *Usserm.* episcop. Wirzb. p. 46.
b) *Eberhardus* primus Bamberg. episcopus ab ann. 1007. ad 1041. *c)* Conf. N. XVIII. not. c.
d) Prægallia, *Bergell*; castellum vero in loco Porta, ubi olim oppidum. Vid. Sprecher p. 231.
e) Burchardus ep. Halberstad. *f)* Notæ chronologicæ omnes conveniunt in annum 1036. non vero in ſequentem, quo ineunte Conradus in Italia fuit.

XXXIII.

Henricus III. imp. Desertinensem abbatiam a potestate episcopi Brixinensis eximit 19. Novemb. anno 1048.

Ex archivo Desertinensi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum imperator Augustus. Quoniam ex iure ſuscepti regni omnibus ecclesiis Romani imperii debitam ſolicitudinem debemus impendere, volumus et unamquamque, quantum ex divina gratia nobis conceditur, munere impenso procurare, et ad Dei laudem ſervitii reformare.

Unde quidem omnes Christi nostrique tam futuri quam præsentes noverint fideles, qualiter nos abbatiam Desertinum dictam ab antecessore nostro primo imperatore *Henrico a)* a libertate et ab regni iure ſeductam, atque ad Prixinensem ecclesiam traditam, ibique iniustæ ſervitutis pressura et episcoporum incuria penitus ad nihilum redactam, pro nostræ ſalute animæ, etiam pro redemptione animæ eiusdem nostri antecessoris fœlicis memoriæ *Henrici* imperatoris, si quid ignoranter commisit in hac re, quod debetur pœnæ, et ob interventum nostri thori nostrique regni consortis *Agnetis b)* imperatricis Augustæ, nec non ob lamentabilem eiusdem ecclesiæ abbatis *Udalrici* reclamationem, inde quoque resumentes in pristinam libertatem, et in ius regni, unde prius, ſicut prædiximus, ab antecessore nostro imperatore *Henrico* abalienata erat, nostra imperiali auctoritate restituimus: eo ſcilicet tenore, ut nostrum ibidem perenniter maneat memoriale. Et ut nullus episcopus nullusque dux, neque comes, neque advocatus, nullaque maior vel minor potestas aliquam omnino in prædictam abbatiam habeat potentiam, nisi nos, aut nostri ſucces-sores reges, vel imperatores, quibus ſimiliter, ut nobis, regendæ commendatur cura monarchiæ.

Et ut hæc nostra imperialis auctoritas ſtabilis et inconvulsa omni ævo permaneat, hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes, ſigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Datum XIII. Kal. Decembris anno Dom. Incarn. Millesimo XLVIII. indictione I. anno autem Henrici tertii regis, imperatoris ſecundi ordinatione eius XX. regni quidem X. imperii autem II *c)*. Actum *Spiræ d)* feliciter, amen.

a) Desertinensis abbatiæ ad Brixinensem ecclesiam traditio facta fuisse videtur a. 1002. ab *Henrico* S. qui revera primus huius nominis imperator fuit, *Henrico* aucupe imperatoriam dignitatem nunquam adepto.

b) Fuit Wilhelmi Pictavorum ducis filia anno 1043. *Henrico III.* Ingelhemii nupta.

c) Notæ chronologicæ omnes congruunt anno 1048. nam rex inauguratus est 11. annorum puer Aquisgrani a. 1028. 14. April. Post patris obitum regnum ſuscepit a. 1039. mense Iunio, ut proin hoc anno 1048. mense Novembri dimidiam anni decimi partem iam exegerit. Demum a. 1046. in natali Domini imperator a *Clemente II.* consecratus est.

d) Quum nimirum imperator ex Lotharingia, ubi congressum cum Galliarum rege *Henrico* habuit, rediret.

XXXIV.

Henricus III. imp. ecclesiæ Curiensi ſub episcopo Dietmaro donat Forestum in comitatu *Eberhardi*, die 12. Iul. anno 1050.

Ex archivo episcop. Curiensi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum imperator Augustus. Omnibus ſanctæ Dei ecclesiæ nostrisque fidelibus tam futuris quam præsenti-

bus notum eſſe volumus, qualiter nos pro amore Dei, et animæ noſtræ remedio, nec non et ex petitione ac (*ob*) fidele ſervitium fidelis noſtri Curienſis epiſcopi, ad altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ eiusdem epiſcopii quoddam foreſtum in comitatu *Eberhardi a*) comitis ſitum, cuius limites ſunt a ſummo monte *Ugo b*) usque ad fluvium *Arga*, qui fluit inter *Bugu* et *Quaravelæ c*) cum conſenſu prædicti comitis *Eberhardi*, ceterorumque comprovincialium cum noſtro imperiali banno habendum conceſſimus; ea videlicet ratione, ut prædictus epiſcopus Curienſis DIETMARUS, ſuique poſt eum ſucceſſores liberam dehinc poteſtatem de præfato foreſto habeant tenendi, donandi et poſſidendi, vel etiam quidquid ſibi placuerit, ſibi ad uſum eccleſiæ eiusdem faciendi.

Et ut hæc noſtræ traditionis auctoritas omni tempore ſtabilis et inconvulſa permaneat, hanc chartam inde conſcriptam manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſſione iusſimus inſigniri.

Signum domni HEINRICI tertii regis invictiſſimi, ſecundi Romanorum imperatoris Auguſti.

Data IV. Id. Iul. anno Domin. Incarnat. ML. indict. III. anno autem domni HEINRICI tertii regis, ſecundi imperatoris, ordinatione eius XXI. regni quidem XII. imperii autem IV *d*). Actum *Nattæ e*) in Dei nomine feliciter, amen.

a) Comitatui infra Langarum, ſeu Churwalenſi poſt *Marquardum* præfectus eſt *Eberhardus* a. 1040. ut refert *Gulerus* f. 114. Occurrit apud *Herrgottum* noſtrum in geneal. Habsb. diplom. ad dictum annum, nec non a. 1045. et 1047.

b) Forte *Gavia* mons, qui dividit *Montafun* et *Bretigeu*; vel prope Galandam in districtu Fabarienſi.

c) *Buchs* et *Graps*. *d*) Vid. chart. præced. not. c.

e) *Herrgott* recitat diploma Fabar. eodem loco et tempore datum geneal. Habsb. diplom. T. II. P. I. p. 122. quin ignotum loci nomen explicet; emendat autem chronotaxin ex Tſchud. chron. Helvet. ubi *Batta* legitur loco *Nattæ*, ut vero ſat ſimile ſit, locum diplomatis eſſe *Baden* Argoviæ, quum imperator die 6. eiusdem menſis Turegi ſubſtiterit, ib. p. 121.

XXXV.

HENRICUS IV. iura Fabarienſia confirmat ſub IMMONE abbate anno 1067.

Ex archivo Fabarienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia rex. Si res eccleſiis Dei pertinentes auctoritatis noſtræ potentia ſtabilimus, earumque commoda in omnibus provide perpenſamus, in hac et in æterna vita præmia nobis permanſura ſperamus.

Quapropter omnium Dei noſtrique fidelium tam futurorum quam præſentium noverit induſtria, qualiter fidelis noſter IMMO abbas Fabarienſis monaſterii, quod eſt conſtructum in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ ſitum in pago Retia Curienſi in comitatu *Eberhardi a*), cum monachis ſibi ſubiectis celſitudinis noſtræ clementiam adiit, humiliter obſecrans, ut eosdem monachos, atque res prædicti monaſterii propter quorumdam hominum perverſorum tergiverſationes in noſtrum mundiburdium et tuitionem ſuſciperemus, atque illorum præcepta ac privilegia, quæ ab anteceſſoribus noſtris regibus vel imperatoribus acceperunt, noſtræ auctoritatis munimine renovando confirmaremus, electionemque illis liberam concederemus.

Inſuper etiam oſtendit nobis præcepta etc. etc. beatæ memoriæ patris noſtri *Heinrici* imperatoris Auguſti, in quibus continebatur, ut etc. etc. Quorum nos petitioni pro æterna memoria patris, coniugisque noſtræ *Berthæ b*) ipſos monachos et res ad præfatum monaſterium pertinentes per hoc regale præceptum in noſtrum mundiburdium et tuitionem ſuſcepimus; eo quoque tenore

a) Conf. diplom. præcedens not. a.

b) Fuit *Bertha Ottonis* marchionis Italici filia, ab *Henrico* in coniugem aſſumta a. 1066.

ut nullus etc. etc. Sit vero abbatia illius monaſterii libera, et ab omni extranea et iniqua poteſtate ſecura, nec alicui ſucceſſorum noſtrorum regum vel imperatorum liceat eam vel res ſuas alteri monaſterio aut perſonæ inbeneficiare, aut in proprietatem donare. Conceſſimus namque eis electionem, *et cætera pro more.*

Signum domni HEINRICI quarti regis. *Sigehardus c)* cancellarius vice *Sigefridi d)* archicancellarii recognovi.

Data . . . . . . anno Dom. Incarn. MLXVII. indict. V. anno autem ordinationis domni HEINRICI quarti regis XIII. regni vero XI *e)*. Actum *Brouchsul f)* feliciter, amen.

c) Poſtea patriarcha Aquileienſis.
d) Archiep. Mogunt. qui poſt decennium ab *Henrico* defecit. Vid. chron. Gottw. T. I. p. 293. etc.
e) In tranſmiſſo apographo annus ordinationis XV. legitur, ſed perperam, nam ordinatus eſt a. 1054.
f) Bruchsal in diœc. Spirenſi.

XXXVI.

Venerabilis GEROLDI ex Hirſaugia abbatis Fabarienſis ſtatuta circa victum et veſtitum fratrum ſuorum anno 1099.

Ex libro viventium Fabarienſi.

In Chriſti nomine. Ego GEROLDUS abbas ſubtili indagatione inveſtigans, unguentum S. Spiritus nequaquam redolere poſſe in domo, ubi contentiones, iræ, rixæ aliaque ſeminaria diſcordiæ locum invenire poſſunt; pacem in hoc monaſterio informare modis omnibus curavi: attendens etiam, per activæ vitæ deſudationem leviſſime procelloſis concuti turbinibus, ſi non contemplativa vita interveniente portus quietis frequenter exoptetur; præbendas aliasque adminiſtrationes, prout ab anteceſſoribus noſtris accepimus, in hoc libro, qui dicitur viventium, fecimus adnotari, quatenus liberiores in divino officio peragendo ipſos fratres redderemus, ſublata totius murmurationis tinea.

Sicut enim conſuetudinis huius ad nos linea pervenit, nec liberi nec ſervi hactenus in nobis locum tenuerunt, quoniam eccleſiam iſtam liberam recepimus, ſuæ libertatis iura inconvulſa ſervari, ſicut a principibus accepimus, conſulimus. Formam igitur panis triticei ſtudioſiſſime præparati, qualis digne cuſtodibus, die noctuque non tacentibus, debet dari, fratribus conſtituimus; eo videlicet pondere, ut modius non exorbitet a numero 30. panum, et unius, qui dabitur piſtori de labore ſuo. *Heminam a)* vini, licet iuxta conſtitutum eximii patris Benedicti ad plenum non poſſimus adminiſtrare; ita tamen, ut ordinata primitus fuit, ipſis conſtituimus, duo ſcilicet per diem pocula, quorum octo *Galletam b)* recta complent menſura.

In Calendis Octobribus computatis fratribus conſignantur cellerario 26. caſei talis precii, unde ſine querela 12. portiones poſſint dividi, dimidiusque caſeus, qui datur cottidie pro præbenda *c)*. Interea de *Bulcaria* ac de curte de *Bidennis d)* eis conſtitutam dari cottidie conſtituimus. In omni vigilia Apoſtolorum ſcilicet, B. Mariæ, Laurentii, et in vigilia omnium Sanctorum

a) Regul. S. Benedict. cap. 40. Vid. ea de re Hæften. et Marten.
b) Vas vinarium ex ligno: *Eine Gaelte*, variæ capacitatis.
c) Præbenda h. e. portio diurna, quam a Calendis Octobribus iuſſit in caſeo augeri *Geroldus*, quum haud dubie iuxta c. 41. S. Regulæ demum hora nona ſe refecerint.
d) Occurrunt hæc loca etiam in bulla *Gregorii V.* ſupra N. XXIX. videntur eſſe domus ruſticanæ prope monaſterium.

ferculum e) unum. In vigilia item Natalis, Epiphaniæ, Aſcenſionis Domini, et in vigilia Pentecoſtes ferculum unum. In ieiunio quatuor temporum, feria quarta ferculum unum. Feria ſexta unum ferculum, et in ſabbatho ferculum de ieiunio, et ferculum de XII. lectionibus *f*). In Letaniis *g*) fercula duo de proceſſione et ieiunio. In omni pleno officio datur ferculum unum, et ſi ſequentia *h*) canitur, potum vini.

Quandocunque fratres Albis induuntur *i*), datur Simila *k*), fercula tria et potum vini, præter in Aſſumptione B. Virginis, et in dedicatione huius eccleſiæ; tunc datur per ſingulos *Staupus l*) vini et dimidius de curia abbatis, et quatuor fercula, ut quadrati, et charitate ſancta et veræ vitis inebriati in tantis digne ſolemnitatibus gloriari debeant et lætari. Dantur etiam de curia abbatis alia duo plena ſervitia inſtar priorum, quæ prælibavimus. In Natale propinatur fratribus Albis indutis infra pulſationem campanarum ad veſperas, karitas nati infantis poculum vini, ſingulis ſingula, et ſic fit per triduum.

Hæc ſunt dies, in quibus induimur Albis. In Natali per triduum in miſſa et in ſecundis veſperis; in octava Domini *m*), in Epiphania, in Purificatione S. Mariæ, in feſto S. Benedicti, in Annuntiatione S. Mariæ, in Palmis, in Paſca per triduum ad miſſam, et ad veſperas, et propinatur fratribus per omnia, ſicut in Natali: in Aſcenſione Domini, in Pentecoſtes, ſicut in Paſca per omnia cum karitate conſtituta. In feſto S. Ioannis Baptiſtæ, Petri et Pauli, et translatione S. Benedicti, Laurentii M., in Aſſumptione S. Mariæ, in Nativitate eius, S. Michaelis, in dedicatione huius eccleſiæ, in feſto omnium Sanctorum, Pirminii confeſſoris, Martini ep., Nicolai ep.

In omni Dominica ferculum carnium in prandio, et in omnibus maioribus feſtis, ſi tali die evenerint, quando licet uti carnibus; in feria III. ſimiliter; in quinta feria carnes ſimiliter *n*). In ſexta feria ferculum et piſces de lacu, ſi venerint, qui etiam omni ſexta feria fratribus ſunt ordinati. In feria ſecunda poſt Quinquageſimam fratribus dantur legumina, et in feria quarta, quæ eſt in capite ieiunii, datur fratribus compoſitum, faba, piſces et milium, et caſtaneæ, ſi forte habentur.

Omni die Dominica, ſecunda, quarta et ſexta feria per totam Quadrageſimam dantur piſces ſicci et recentes *o*), ſi ſit, unde affuerint. In ſabbatho Paſcæ, et Pentecoſtes ferculum de lectionibus. In die ſancto Paſchæ ad repellendos malos humores primitus datur ſorbitium *p*) cum lardo, ut ſtomachus ieiuniorum acerbitate laſſus in melius reparetur.

e) Ferculum a ferendo dictum, dum cibi tabulis ligneis menſæ inferuntur. *Ein Gedeck.* Forſan cibus honorarius ob ſubſequos chori labores.

f) Hoc eſt, propter ieiunium et 12. lectiones, quæ ſabbathis IV. temp. cantari ſolebant, duo fercula dari debebant; hinc certum eſt, per *ferculum* aliquod cibi augmentum ſignificari.

g) Diebus Rogationum, in quibus ieiunium pro more antiquo ſervabatur.

h) Sermo eſt de officio pro defunctis, quod, dum *plenum* habebatur, diutius per ſequentiam in miſſa cantatam protrahi neceſſum fuit. Unde etiam in *Guidonis* diſcipliua Farfenſi cap. 59. præcipitur, ut quando officium plenum habetur, *in ipſo die debeant fratres habere in refectorio terna pulmenta ad edendum, qualiſcunque dies fuerit, et potio propinetur per omnes fratres.*

i) Solebant quippe monachi in præcipuis feſtivitatibus *Albis* vel *Cappis* induti officio divino intereſſe, *Cottæ* ab aliquibus dicuntur, *Chorroecke.* *k*) Panis ſeu placenta ex puriore farina.

l) Scyphus, crater capacitatis ſolito maioris, qui de menſa abbatis impleri debebat. *m*) In feſto Circumciſionis.

n) Antiquiſſimum hoc de eſu carnium apud monachos teſtimonium eſt. Penes abbatem fuiſſe videtur, illum concedere, vel negare, donec eccleſia hac in re diſpenſationem indulſit; quamquam *Petrus* venerabilis abbates tantæ auctoritatis eſſe neget, ut mutare regulam hac ex parte poſſint. Vid. Martene Comment. in reg. S. Bened. c. 39. p. 533. Utrum vero *Geroldus* primus eſum carnium Fabarienſibus conceſſerit, an vero ab anteceſſoribus iam indultum confirmarit, nolim definire; poſterius vero ſimilius apparet, quum in fine ipſemet fateatur, ſe has conſtitutiones ab anteceſſoribus accepiſſe. *o*) Scilicet tam ſiccati, quam recens ex undis ſublati. *p*) Iuſculum, offa.

Datur etiam ſingulis ad veſtitum per ſingulos annos pellicium manicatum *q*) anno uno; anno vero altero pellicium ſtrictius aliquantum, et tunica, quam vocamus ſuperpellicium II. et pelles caprinæ et plantæ IV. decem et octo ulnæ panni linei: calcei nocturni grandes II. et ulna et dimidia panni lanei ad caligas et coopertoria, quæ omnia in feſto S. Andreæ fratribus debent eſſe diſpenſata. Ordinavimus etiam de his, quæ habuimus libere de vinea quadam, commemorationem annuam fieri obitus mei, et ut fratribus ad plenum ſerviatur a magiſtro hoſpitalis.

Decernimus igitur, ut quæcunque perſona ſpiritualis, ſæcularisve ex his conſtitutionibus, quas ab anteceſſoribus noſtris accepimus *Adalberto* ſcilicet epiſcopo et abbate, *Salamone* et *Hartmanno* epiſcopo et abbate, *Wernhero r*) prædeceſſore noſtro infringere conatus fuerit, ſit anathema, maranatha, ſentiens vindictam diſtricti examinis, et indignationem Dei omnipotentis.

q) *Pellicium* vocabatur toga integrum corpus tegens ex pellibus cum vellere confecta, *Marten.* cap. 55. p. 700. ad pellendum frigus, cum manicis ſtrictis vel largis pro varietate temporis annui. Tunica, de qua heic ſermo, veſtis erat levior ad dalmaticæ modum. *r*) De his epiſcopis et abbatibus agitur in hiſtoria.

XXXVII.

Fragmentum chartæ fundationis primæ monaſterii Mariæmontani in *Schuls a*), ſec. XII. ineunte.

Ex codice Goswini prioris Mariæmontani ſec. XIV.

— — — Curia in eodem monte cum omnibus appendiciis ſuis, dimidia pars decimarum de liberis hominibus præter octavam partem, et dimidia pars decimæ agrorum, et alia quam plurima prædia. — — Curtim in *Fontana Wlpaira b*), alpem in *Asta c*), et decimam partem de reliquis rebus. Alpem in *Scharles d*), alpem in *Ida* cum decimis omnium rerum. Alpem in valle *Luilla*, alpem in *Signes e*). In ſuperiore villa *Maiis f*) curtim cum omnibus appendiciis ſuis.

a) Præſens fragmentum a *Goswino* relatum ex charta *Eberhardi* fundatoris deſumtum arbitror, quæ amplius non extat.
b) Videtur eſſe fons prope caſtrum Taraſpenſe, qui hodie *Salzwasser* dicitur.
c) *Asta* ſeu *Astas* intra montana, quæ Tyrolim et Engadinam diſpeſcunt.
d) *Scarl* vicus, amnis et vallis, *Astas* inter et *Taraspum* ad orientalem Oeni ripam.
e) *Signes* hod. *Sins* infra Scolium. *f*) In Tyroli.

XXXVIII.

Henricus V. rex confirmat privilegia Fabarienſia ſub Geroldo abbate, die 27. Maii anno 1110.

Ex archivo Fabarienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia quintus Romanorum rex. Si res eccleſiis Dei pertinentes etc. *omnia, ut ſupra N. XXXV.* qualiter fidelis noſter Geroldus abbas venerabilis Fabarienſis monaſterii — — in pago Retia Curienſi in comitatu *Rodulfi a*) etc. etc.

a) In comitatu Curwallenſi *Eberhardum* de quo ſupra a. 1050. eodem anno excepit *Otto*, hunc *Udalricus* de Brigantia, prout apud *Herrgottum* videre eſt; ſeculo XII. ineunte ſubſecutus eſt *Rodulfus*, qui adhucdum a. 1139. infra occurret.

Signum domni HEINRICI quinti Romanorum regis invictiſſimi. *Albertus b*) cancellarius vice Maguntinæ eccleſiæ, quæ nunc archicancellaturam obtinet, recognovit.

Data VI. Kal. Iunii indict. IIII. anno Domin. Incarnat. MCX. regnante HEINRICO quinto rege Romanorum anno IIII. ordinationis eius X *c*). Actum *Spiræ* in Chriſto feliciter, amen.

b) Poſt obitum *Rudhardi* archiep. a. 1109. ſedes Moguntina ultra annum vacavit, cui demum a. 1111. *Albertus* cancellarius ſucceſſit. Annal. Saxo apud Eckard. p. 6. 28. et Calles. T. VI. p. 91. 92.

c) Male ponitur indict. IV. quum fuerit III. Regnare cœpit *Henricus V.* a. 1106. ordinationis vero tempus hic computat a menſe Aprili a. 1101, quo Leodii a patre gladium accepit. Ibid. p. 12.

XXXIX.

HENRICUS V. rex, IV. imp. monaſterii Deſertinenſis iura ſtabilit, d. 6. Oct. a. 1112.

Ex archivo Deſertinenſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia quartus Romanorum imperator Auguſtus.

Noverit cunctorum fidelium ſanctæ Dei eccleſiæ noſtrorumque, præſentium ac futurorum ſcilicet, induſtria, qualiter nos ob deprecationem venerabilis abbatis ADÆ Deſertinenſis, ac totius congregationis, et ob interventum et rogatum principum noſtrorum, archiepiſcoporum videlicet *Udalrici a*) Aquiligienſis patriarchæ, *Brunonis b*) Treverenſis archiepiſcopi; epiſcoporum *Brunonis c*) Spirenſis, *Burckhardi d*) Monaſterienſis, *Erlundi e*) Wertzeburgenſis, *Friderici f*) ducis, ſicuti anteceſſores noſtri imperatores, beatæ memoriæ avus noſter imperator *Heinricus*, et pater noſter imperator *Heinricus* ſua imperiali auctoritate ius et libertatem prædictæ Diſertinenſis eccleſiæ confirmaverunt; ita nos imperiali auctoritate eiusdem eccleſiæ ius et libertatem confirmamus, eo ſcilicet tenore, ut noſtri, et patris beatæ memoriæ *Heinrici* imperatoris ibidem perenniter maneat memoriale, ita, ut nullus epiſcopus, nullusque dux, neque comes, neque advocatus, nullaque maior vel minor poteſtas aliquam omnino in prædicta abbatia habeat potentiam, niſi nos, aut noſtri ſucceſſores, reges vel imperatores, quibus ſimiliter, ut nobis, regendæ commendatur cura monarchiæ.

Et ut hæc noſtra imperialis auctoritas ſtabilis et inconvulſa omni ævo permaneat, hoc præceptum inde conſcriptum manu propria corroborantes ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri.

Signum domni HEINRICI quarti Rom. imperat. *Arnoldus* vice *Alberti* archiepiſcopi et archicancellarii recognovi.

Data II. Nonas Octob. anno Dom. Incarnat. M. C. XII. indict. V. regnante HEINRICO quinto rege Romanorum anno VI. ordinationis eius [XI.] *g*) imperii ſecundo. Actum *Spiræ* in Chriſto feliciter, amen.

a) Hic is ipſe eſt, cui imperator nupero anno *Paſchalem* papam captum, cuſtodiendum tradidit teſte *Ottone* Friſing.

b) Conſecratus a. 1102. Cum *Eginone* ep. Curiens. aliisque a. 1106. Romam profectus, et in valle Tridentina interceptus fuit. Obiit a. 1124.

c) *Bruno* Spirenſis occurrit a. 1111. defunctus a. 1123. vel ſeq. *Calles.* Annal. eccl. Germ. T. VI. P. I. p. 263.

d) *Burchardus* a. 1107. ab imperatore in Galliæ confinia cum aliis ad *Paſchalem* papam miſſus. Obiit circa a. 1120.

e) Alias *Erlolfus* et *Erlongus* Wirceburgenſis ab a. 1106. usque ad a. 1121. Vid. P. Æmil. *Uſſerm.* Epiſc. Wirzb. P. I. p. 58.

f) *Fridericus* de Hochenſtaufen iam a. 1105. ab *Henrico* imp. ad filium in Bavariam pacis ergo miſſus. *g*) Lege XII.

XL.

Bulla Paschalis II. papæ, qua monaſterium Fabarienſe a Baſileenſis epiſcopi poteſtate liberum et immune declaratur, die 29. Ian. anno 1116.

Ex archivo Fabarienſi.

Paschalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Geroldo abbati monaſterii ſanctæ Mariæ Fabarienſis, eiusque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

Sicut iniuſta petentibus nullus eſt tribuendus effectus, ſic legitima deſiderantium non eſt differenda petitio. Proinde nos fili in Chriſto cariſſime Gerolde! tuis petitionibus annuentes, beatæ Mariæ Fabarienſe monaſterium, cui Deo auctore præſides, apoſtolicæ ſedis auctoritate munimus. Definitionem igitur, quæ ſupra controverſia inter te et Baſileenſem epiſcopum *Rudolphum a)* habita in tua *b)* et legatorum eius præſentia, qui ab eo ad cauſam ipſam agendam miſſi fuerant, fratrum noſtrorum epiſcoporum et cardinalium iudicio facta eſt. Videlicet, ut abbatia veſtra in ſua ſemper libertate permaneat, præſentis privilegii pagina confirmamus.

Sicut enim tunc, vel ex monachorum relatione, vel ex præceptorum regalium teſtificatione comperimus, conſtat, monaſterium ipſum non a regibus vel imperatoribus; ſed ab aliis fidelibus viris fundatum; nec donorum regalium magnificentia, ſed aliorum fidelium oblatione ditatum. In ipſis etiam regum vel imperatorum ſancitum præceptis erat, ut abbatia illius monaſterii libera ſit, et ab omni extranea et iniqua poteſtate ſecura, nec alicui regum vel imperatorum liceat eam, vel res eius alteri monaſterio aut perſonæ inbeneficiare, aut in proprietatem donare.

Ad hoc adiicientes ſtatuimus, ut quæcunque bona, quaſcunque poſſeſſiones idem monaſterium in præſenti VIIII. indictione legitime poſſidet, et quæcunque in futurum iuſte atque canonice poterit adipiſci, firma tibi, tuisque ſucceſſoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus nominibus exprimenda.

Aecclesiam ſancti Gaudentii ad pedem Septimi montis *c)* cum pertinentiis ſuis: poſſeſſiones in territorio Clavennæ: aecclesiam ſanctæ Mariæ cum villa Gautegiso: aecclesiam de villa Hedingen cum eadem villa: curtem de villa Metemunſtat: aecclesiam ſanctæ Mariæ cum villa Tuconia et adiacentiis ſuis: villam Milcinhof: aecclesiam ſancti Stephani de villa Mannidorf cum curte. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prædictum monaſterium temere perturbare — — — *et cætera quoad ſenſum, et ferme quoad verba eadem, quæ in bulla Gregorii V. ſupra N. XXIX.*

Ego Paschalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Dat. *Laterani* per manum *Griſogoni* ſubd. agentis vices domni *Iohannis* cancell. IV. Kl. Febr. indict. VIIII. anno Dominicæ Incarnat. M. C. XVI. pontificatus autem dni Paschal. ſecundi papæ XVII *d)*.

a) *Rudolphi* anteceſſor *Burchardus* Gregorio VII. contrarius iam a. 1095. Fabarienſem abbatiam ab *Henrico IV.* obtinuit, quam donationem a. 1114. *Henricus V. Rudolpho* confirmavit. *Herrgott.* geneal. Habsb. dipl. T. II. P. I. p. 130. et 133.
b) Ergo *Geroldus* ipſemet Romam profectus eſt.
c) Hæc loca iam ſupra N. XXIX. explicantur.
d) Chronotaxis iuſta.

XLI.

Lotharius III. rex confirmat privilegia monaſterii Fabarienſis ſub abbate Wernero, die 28. Decemb. anno 1125.

Ex archivo Fabarienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Lotarius tercius divina favente clementia Romanorum rex. Si res etc. etc. Quapropter omnium — — — noverit induſtria, qualiter fidelis noſter Wernerus *a*) abbas venerabilis Fabarienſis monaſterii, quod conſtructum eſt in — — — comitatu *Ruodolfi b*) ètc. *Nihil porro memoratu dignum continet.*

Signum Lotarii tertii Romanorum regis. Hæc notata ſunt ſub *Alberto* archicancellario Moguntino archiepiſcopo.

Data eſt V. Kal. Ian. anno Incarn. Dom. M. C. XXV. indict. III. Actum *Argèntinæ* coram principibus *c*).

a) Fuit is *Wernerus III.* dictus etiam *Werichtimus.* *b*) Idem qui ſupra N. XXXVIII. not. a.

c) Iisdem ſcilicet, qui in diplomate noſtro S. Blaſii ibidem menſe ſequenti dato recenſentur: *Albertus* Mogunt. *Arnoldus* Spirens. *Udalricus* Conſtant. *Stephanus* Met. *Rudolphus* Augiens. abb. *Manegoldus* S. Galli. *Udalricus* Fuld. *Bertaldus* Morbac. etc. Conf. *Herrgott.* geneal. Habsb. dipl. T. II. P. I. p. 149. ſeq.

XLII.

Bulla Honorii II. papæ data Walthero abbati Deſertinæ, die 23. Ian. a. 1127.

Ex archivo Deſertinenſi.

Honorius episcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Walterio abbati monaſterii ſancti Martini Diſertinenſis, quod in Curienſi epiſcopatu ſitum eſt, eiusque ſucceſſoribus regulariter ſubſequendis in perpetuam memoriam.

Ad hoc univerſalis eccleſiæ cura nobis a proviſore omnium bonorum Deo commiſſa eſt, ut religioſas diligamus perſonas, et beneplacentem Deo religionem ſtudeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, niſi ex charitatis radice procedens a puritate religionis fuerit conſervatus. Hoc nimirum charitatis intuitu, dilecte fili Waltere abbas, tuis rationalibus poſtulationibus annuentes, monaſterium B. Martini Diſertinenſis, cui auctore Deo præſides, in B. Petri tutelam, noſtramque protectionem ſuſcipimus, et præſentis ſcripti noſtri pagina confirmamus. Bona igitur et poſſeſſiones etc. *et cætera pro more.*

Ego Honorius catho. ecclæ eps.

Datum *Laterani* per manum *Armerici* S. Rom. ecclæ diac. card. cancellarii X. Cal. Febr. indict. IIII. Incarn. Dom. anno M.C.XXVII. pontificatus autem D. Honorii ſecundi papæ anno III.

XLIII.

Bulla Honorii II. papæ pro abbatia Fabarienſi, die 23. Ian. anno 1127.

Ex archivo Fabarienſi.

Honorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto in Chriſto filio Wicrammo abbati monaſterii ſanctæ Mariæ Fabarienſis, quod in Curienſi epiſcopatu ſitum eſt, eiusque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Apoſtolici moderaminis clementiæ convenit etc. etc. Iuxta diffinitionem igitur prædeceſſoris noſtri papæ *Paſchalis a)* felicis memoriæ ſuper controverſia, quæ inter veſtrum Fabarienſe monaſterium, et Baſileenſem epiſcopum agitata fuerat, iudicio epiſcoporum et cardinalium factam, ut abbatia veſtra in ſua ſemper libertate permaneat, præſentis privilegii auctoritate firmamus. Statuentes, ut quæcunque bona etc. *Reliqua, ut alias, datum vero ſicut præcedens.*

a) Vid. N. XL.

XLIV.

Diploma Conradi III. Rom. regis pro libertate monaſterii Fabarienſis, die 28. Maii anno 1139.

Ex archivo Fabarienſi.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Cunradus divina favente clementia Romanorum rex ſecundus *a)*. Si religioſorum virorum dignis petitionibus acquieſcimus, ſi bona eccleſiis Dei collata conſervamus, conſervata quoque regalibus ſcriptis corroboramus; anteceſſorum noſtrorum regum ſive imperatorum exempla imitamur; et id nobis tam ad præſentis vitæ tranquillitatem quam futuræ beatitudinem promerendam profuturum non dubitamus.

Quapropter omnium Chriſti noſtrique fidelium tam futurorum quam præſentium noverit induſtria, qualiter fidelis noſter Wicrammus abbas venerabilis Fabarienſis monaſterii, quod eſt conſtructum in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſitum in pago Retia Curienſi in comitatu *Rodulfi b)*, cum monachis ſibi ſubiectis celſitudinis noſtræ clementiam adiit, humiliter poſtulans et obſecrans, ut eosdem monachos atque res prædicti monaſterii propter quorumdam hominum perverſorum tergiverſationes in noſtram tuitionem ſuſciperemus, atque illorum præcepta ac privilegia, quæ ab anteceſſoribus noſtris acceperunt, noſtræ auctoritatis munimine renovando confirmaremus, electionemque illis concederemus.

Inſuper etiam oſtendit nobis præcepta ac privilegia anteceſſorum noſtrorum regum vel imperatorum *Karoli*, *Ludouuici*, trium *Ottonum*, *Heinrici II.*, *Cunradi*, nec non et beatæ memoriæ *Heinrici* avunculi noſtri *c)* imperatoris Auguſti, in quibus continebatur, ut præfati monachi regiæ vel imperialis defenſionem tuitionis ſuper res ad idem monaſterium pertinentes habere debuiſſent. Quorum nos petitioni pro æterna memoria patris coniugisque noſtræ *Gertrudis d)* an-

a) Secundum ſe nominat, fors ideo, quod *Conradum I.* Romana coronatione deſtitutum inter reges *Romanorum* non computaverit. Chron. Gottw. T. I. p. 347. b) Vid. ſupra N. XXXVIII. not. a.

c) *Henrici* nimirum quinti, cuius fuit *Conradus* ex ſorore nepos. Annal. Saxo et abb. Urſperg. ad a. 1116.

d) Erat filia *Beringeri* Sulzbacenſis, et *Berthæ* Manuelis imp. Conſtantinop. coniugis ſoror. Calles. Annal. German. eccleſ. T. VI. p. 443.

nuentes, ipſos monachos et res ad præfatum monaſterium pertinentes per hoc regale præceptum in noſtram tutelam ſuſcepimus, eo quoque tenore, ut nullus publicus iudex, dux, comes vel vicecomes, advocatus, aut ſubadvocatus, ſive epiſcopus, aut quilibet iudiciaria poteſtate conſtitutus aliquam ſuper eos in rebus iuſte acquiſitis vel acquirendis, vel in familiis eorum exerceat poteſtatem intus vel foris. Sed eiuſdem monaſterii abbas prænominatus, eiuſque ſucceſſores ad monachorum uſus neceſſarios poteſtative teneant atque poſſideant.

Sit vero abbatia illius monaſterii libera, et ab omni extranea et iniqua poteſtate ſecura, nec alicui ſucceſſorum noſtrorum regum vel imperatorum liceat eam vel res ſuas alteri monaſterio aut perſonæ inbeneficiare aut in proprietatem donare. Conceſſimus namque eis electionem, et poteſtatem firmiſſimam, quemcunque inter eos abbatem voluerint, eligere, quatenus eos pro nobis libentius Deum delectet exorare.

Et ut hæc præſentis auctoritas præcepti firmior ſtabiliorque a noſtris fidelibus credatur, hanc cartam inde ſcribi, et ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus. Si vero, quod abſit, aliquis huius præcepti noſtri paginam violaverit, XXX. libras auri puriſſimi componat, quarum partem dimidiam cameræ noſtræ, reliquam vero prædictæ eccleſiæ perſolvat.

Huic autem noſtræ confirmationis præcepto teſtes idoneos adhibuimus, quorum nomina hæc ſunt. *Albero e)* Trevirenſis archiepiſcopus et apoſtolicæ ſedis legatus, *Ortliebus f)* Baſileenſis epiſcopus, *Embricho g)* Wirceburgenſis epiſcopus, *Bucco h)* Wormatienſis epiſcopus, *Warnerus i)* Monaſterienſis ep., *Albero k)* Leodienſis ep., *Fridericus l)* dux, *Cunradus m)* dux, *Matheus n)* dux, *Herimannus o)* marchio de *Batha*, et cæteri quam plures.

Signum domni CUNRADI Romanorum regis invictiſſimi. Ego *Arnoldus p)* cancellarius vice *Alberti q)* archicancellarii recognovi. Anno Dom. Incarnat. M. C. XXXVIIII. indict. II. Regnante CUNRADO Romanorum rege ſecundo, anno vero regni eius II.

Data V. Kal. Iunii. *Argentinæ* in Chriſto feliciter, amen.

e) Fuit prius eccleſiæ Metenſis primicerius, qui a. 1118. multum laboravit, ut *Adalberone* extruſo *Theotgerus* ſedem Metenſem obtineret. Archiep. Trevir. creatus a. 1132. *Calles.* ad dictos ann.

f) Idem eſt, qui biennio poſt cum *Bertholdo* S. Blaſii abbate per imperatoris arbitrium litem circa advocatiam compoſuit. *Herrgott.* geneal. Habsb. diplom. T. II. P. I. p. 165.

g) Electus a. 1125.

h) Al. *Buggo* et *Burchardus* conſecratus a. 1120. mort. a. 1149. Conf. *Calles.* annal. eccl. Germ. T. VI. p. 199. et 505.

i) Elect. a. 1132. reperitur adhuc a. 1151. in conventu Noviomagenſi. Ibid. p. 536.

k) Iam occurrit a. 1136. huius nominis alter.

l) Sueviæ.

m) Zaringiæ.

n) Lotharingiæ.

o) Marchio Badenſis. Porro iidem teſtes cum aliis leguntur in diplomate pro libertate Einſidlenſi eodem die et loco apud *Herrgott.* geneal. Habsb. diplom. T. II. P. I. p. 163.

p) *Arnoldus* poſtea a. 1151. Coloniæ archiep.

q) *Albertus* anteceſſoris ſui in ſede Moguntin. pariter *Alberti* ex fratre nepos, elect. a. 1138. ob. 1141. Chron. Gottw. T. I. p. 353. et 355.

XLV.

Charta ALBERTI abbatis Mariæmontani primi, qua familiam quamdam ſub certis conditionibus liberam declarat, die 11. Mart. anno 1150.

Ex apographo Mariæmontano.

In Chriſti nomine præſentem paginam conſcribimus, quatenus futuris fidelibus noſtrorum temporum facta clareſcant. Omnes igitur . . . ſubſcriptæ veritati teſtimonium perhibeant, ſcien-

tes, qualiter ego ALBERTUS abbas primus *a*) in monte S. Mariæ, licet immeritus, et eiusdem loci conventus *Vitali* de *Stamuz*, et fratri ſuo *Chunoni*, eorumque poſteritati liberius et honeſtius, quam hactenus in ſervitio clauſtri noſtri vivere conceſſimus. Cum enim eſſent de familia, quam felicis recordationis TRASPENSIS EBERHARDUS *monaſterio*, *quod apud* SCHULLE *b*) *fundaverat*, tradidit, ut eidem piſcationis miniſterio deſerviret; ipſi denique parentela et opibus exaltati, ſe ſuamque progeniem a piſcium tributo, quod in eis ad nos uſque manaverat, tam rebus, quam precibus eximere curarunt.

Placuit itaque nobis, ut intuitu ſervitii eorum, communicato conſilio, unacum advocato noſtro domino *Ulrico de Traſpe c*) prædictam piſcium penſionem remitteremus, et deinceps legem Curienſium miniſterialium indulgeremus, quam et fecimus: ſtatuentes videlicet, ut nulli ſucceſſorum noſtrorum eos ad aliud ſervitium cogere liceat, niſi quod ſponte facere volunt. Excipimus tamen, quod ob debitam reverentiam dominæ ſuæ S. Mariæ, abbati, uti domino ſuo, eiuſque nuntiis, cum ad eos venerint, hoſpitalitatem, et alia honeſta ſervitia libenter exhibeant, et in ſumma clauſtri neceſſitate, velut eſt in expenſis longioris itineris, in conſecratione monaſterii vel abbatis, in prædiorum emptione, ſi fuerint requiſiti, rerum ſuarum ſtipendium largius impendant; et etiam quod in obitu ſingulorum, quidquid charius poſſederint, vel in equis, in veſtibus, ſive in pecudibus, camerarius abbatis et fratrum accipiat *d*).

Adiicimus præterea, ut ſiquis eorum extra clientelam clauſtri noſtri, vel extra libertatem *e*) matrimonium contraxerit, præſens ſibi privilegium irritum fiat, et in poteſtate abbatis ſit, ut eum ad priſtinum ſervitium redire cogat, vel quacunque voluerit lege, eundem de cætero vivere conſtituat; facto quoque cum filiis ſuis ſimilem legem ſe ſortitum gaudeat: et ſiquis eam ſibi, vel prædictis infringere, vel aliter, quam præſcriptum eſt, permutare voluerit; in pleno banno et maledictione Domini noſtri IEſu Chriſti, et beati Petri apoſtoli, et eius ſucceſſorum, et omnium epiſcoporum et noſtræ, niſi reſipiſcat, in æternum permaneat: et inſuper tot homines, quot tunc erunt, abbati et clauſtro, et advocato ſuo reſtituat.

Litterarum autem harum, propter utriuſque partis cautelam duo paria fecimus, et eas ſigillo clauſtri noſtri firmavimus, quorum alterum nobis reſervamus, alterum vero præfatis in monte S. Mariæ V. Idus Martii tradidimus, cum annus videlicet Dominicæ Incarnationis M. C. L. ſub indictione XIII. temporalitatis ſuæ curſum ageret, domino *Egenio* papa Romanæ ſedi præſidente, domino quoque *Chunrado* regni faſtigium tenente *f*) horum etiam teſtimonio adhibito, qui hic ſubſcripti habentur. *Henricus*, *Albertus*, *Hugo*, *Renibmus* cum cæteris monachis. *Laurentius*, *Alexander*, *Victor* converſi cum cæteris. *Udalricus* advocatus, et ſui milites, et alii plures.

a) *Albertus* ex monaſterio Ottoburano cum aliquot fratribus circa a. 1130. ad Scolienſe monaſterium recens fundatum evocatus eſt.

b) Hoc loco confirmantur, quæ *Goswinus* Mariæmontanus ſec. XIV. refert. 1.) Cœnobium montis Mariæ primum ſtetiſſe Scolii ſeu *Schulſi* in Engadina inferiore. 2.) Illud fundatum eſſe ab *Eberhardo* Taraſpenſi ſeculo undecimo exeunte, quo tempore adhuc vixit *Udalricus II.* epiſc. Curienſis, qui obiit a. 1095. 3.) Hunc epiſcopum probabilius fuiſſe *Eberhardi* fratrem, prout adfirmat *Goswinus*, proinde Taraſpenſem. 4.) Monaſterium ex loco *Schuls* ante ſec. XII. medium in Venuſtam vallem, ubi hodiedum exiſtit, tranſlatum fuiſſe. Conf. ſupra N. XXXVII.

c) Fuit is *Eberhardi* primi fundatoris bonorum hæres, et ex fratre nepos, non filius, ſiquidem ille diſceſſit improlis.

d) Præclarum teſtimonium, *Ius Caduci* aliaſque præſtationes ex antiquo mancipatu, quo homines *proprii* dicebantur, profluere. *e*) Hoc eſt, ſi extra ditionem monaſterii, vel mancipio nupſerit, vel abſque licentia.

f) *Eugenius III.* annum pontif. ſextum, *Conradus* regni undecimum agebat.

XLVI.

FRIDERICUS I. Rom. rex donationem comitis *Widonis de Lomello etc.* iam antiquitus monaſterio Deſertinenſi factam confirmat, et alia ſuperaddit anno 1154.

Ex apographo Deſertinenſi a).

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. FRIDERICUS divina favente clementia Romanorum rex Auguſtus. Notum ſit omnibus tam poſteris, quam præſentibus, quod comes *Wido de Lomello et Sparewaira* tale prædium, quale habuit Auchſona, quod ſitum eſt iuxta *Vareia*, dedit libera et poteſtativa manu ſine omni contradictione mortua *Adelheide* uxore ſua, et poſt mortem ſuam anno duodecimo, *S. Martino*, *Sigisberto*, *Placido* patronis Deſertinæ cum omnibus pertinentiis eiusdem prædii, ſcilicet cum duabus capellis S. Blaſii et S. Galli et alia capella Stephani prothomartyris iuxta fluvium *Dagunda* cum decimis, primetiis dotalibus cum familia, viris et mulieribus, aquis, aquæduct., piſcinis, piſcationibus, molendinis, olivetis, ficetis, caſtanetis, vitetis, exitibus et redditibus, agris, pratis, paſcuis; et omnia etiam reliqua prædia ſita a fluvio *Dagunda* usque ad Gugivum et usque ad Vareia, et usque ad terminom de *Cambiri*, ea conditione, ut ſemper prædicta capella S. Galli munita monachis eſſet Deſertinenſis cœnobii, et iidem monahi victuarent de prædictis dotalitiis et rebus, et ut ibidem prædicarent, item fratres docerent, communicarent, abſolverent pœnitentes, baptizarent, ſepelirent omnes de eadem familia, et omnes chriſtianos, qui eadem ſacra inibi quærerent.

Reliqua quoque multa alia prædia cœnobio dedit Diſertinenſi, ſcilicet *Docimbir*, quicquid in eodem vico, et reliquis ſubſcriptis vicis habuit, omnia dedit fratribus cœnobitis Deſertinæ, in vico *Amorirum*, *Aſſiſſum*, *Algozila*, *Alaminath*, ad *Aguna*, ad *Phurenna*, *Apiula*, ad *Uliaga* accedentia ad *Mine*, ad *Iumunge*, ad centum *Valle*, ad *Lucarne*, *Gadampri*, *Clauateloca* (Wertelocoſa), *Piura*, *Poimuna*, *Pladamia*, *Amurcarol*, *Cunarde*, *Grantula*, *Luuin*, *Ferraira*, *Belede.* Iſta prædia et poſſeſſiones habuit prædictus comes *Wido* in iſtis vicis et prædictis terminis omnia libere, ſicut poſſedit, dedit cœnobio Diſertinenſi.

Nos vero prædeceſſorum noſtrorum regum vel imperatorum morem ſequentes, qui eccleſias et fundarunt, et ditaverunt, et honoraverunt, pro æternæ vitæ retributione prædicto Deſertinenſi cœnobio homines de *Willa*, et *Coilla*, et *Scat*, cum omni regio iure tam in fodro, quam in aliis regiis iuſtitiis in perpetuum conceſſimus, diſtrictum quoque ſimiliter ſuper hos et ſupradictos terminos contulimus.

Ut autem hæc omnia rata et inconvulſa permaneant, hanc præceptalem paginam exinde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione communivimus adhibitis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt. *Peregrinus b)* Aquileienſis patriarcha, *Hillinus c)* Treverenſis archiep., *Hermannus d)* Conſtantienſis epiſcopus, *Ortlieuus e)* Baſileenſis epiſcopus, *Wibaldus f)* Corbeiienſis abbas, *Marquar-*

a) Siſtimus hoc diploma, prout apographum tranſmiſſum habet, in quo hinc inde quædam ambigue ſcripta occurrunt. Porro loca, quæ refert, in Inſubribus ſita ſunt, eorum proin explicationem Italis relinquimus.

b) Præfuit *Peregrinus* ab a. 1130. ad a. 1162. *Ughell.* Ital. S. T. V. p. 61.

c) Elect. a. 1152. a *Friderico I.* rege in Italiam miſſus teſte *Ottone Friſing.* apud *Murator.* rer. Ital. T. VI. p. 701.

d) De *Hermanno* Conſtant. varia refert *Calles.* Annal. eccl. Germ. T. VI. ad ann. 1146. 1150. et 1151.

e) Anno 1151. interfuit conventui Ratiſbonenſi.

f) Pluribus abbatiis præfuit *Wibaldus*, Stabulenſi, Caſſinenſi, Corbeienſi, Kaminatenſi etc.

dus g) Fuldenſis abbas, *Heinricus h*) dux Saxoniæ, *Bertoldus i*) dux de Daringa, *Otto k*) palatinus de Bauuaria, *Odaker l*) marchio de Styra, comes *Wernerus*, *Udelricus m*) de Habesburch, *Bernardus* de Luderici, *Alibertus* de Varian. *Hardicio n*) episcopus Cumanus, *Wido* comes de Blandra, *Cantelin* palatinus comes.

Signum domni FRIDERICI regis Romanorum invictiſſimi. Ego *Arnoldus* Colon. archiep. et Italici regni cancellarius recognovi.

Dat. in *Runckalia o*) anno Domin. Incarnat. M. C. LIIII indict. III. regnante domno FRIDERICO Rom. rege glorioſo, anno vero regni eius III.

g) Elect. est a. 1150. *Mart.* T. II. vet. Monum. p. 411. etc. *h*) Est *Henricus Catulus* ſive *Leo* dictus, *Henrici* ſuperbi filius.
i) *Bertholdus* dux de Zaringia, *Conradi* filius frequens occurrit apud *Herrgott.* genealog. Habsb. diplomat. ad ann. 1141. 1166. 1170. etc.
k) Hic *Otto* a. 1141. ut refert *Calles* ex Ottone Friſing., Ratisbonenſes adverſus *Leopoldum* Auſtr. concitavit.
l) Idem *Odaker* legitur apud *Herrgott* a. 1152. et anno ſeq., apud *Ughellum* T. V. Ital. S. p. 293.
m) *Wernherus* de Habsburg huius nominis III. legitur annis 1141. et ſeqq. apud *Herrgott*; *Udalricum* vero nullibi circa hoc tempus reperi. *n*) Alias *Ardizzo* eodem hoc anno defunctus. *Ughell.* Ital. S. T. V. p. 291, etc.
o) *Roncalia* ſeu *Romgallia* ad Padum fluv. haud longe a Placentina urbe. Eo in loco ſubſtitit *Fridericus*, quum ante finem anni 1153. unacum exercitu Italiam ſubiret. Vid. *Ott. Friſing.* Lib. II. cap. 12. et *Murat.* rer. Ital. T. VI. p. 707.

XLVII.

Reformatio parthenonis Cazienſis a S. ADALGOTTO epiſcopo Curienſi facta a. 1156.

Ex autographo archivi epiſcop. Curienſis.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis, et S. Petri principis apoſtolorum. ALGOTUS DEi gratia Curienſis epiſcopus. Notum ſit omnibus in eccleſia Dei ſidelibus, quod ego ALGOTUS Curienſis epiſcopus, ſtatim ut complacuit ei, qui me vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret per me filium ſuum in gentibus, non acquievi carni et ſanguini, ſed continuo plantandæ religioni pro viribus operam dare ſtudui.

Quapropter in eccleſia beati Petri de *Cacias*, quæ tunc temporis tota in maligno poſita erat *a*), eiecta inde ſynagoga ſatanæ, virgines inibi Deo caſtas exhibere vix elaboravi; erant enim adverſarii multi, auxiliarii vero pauci; quibus divina favente clementia ſuperatis, et ab errore viæ ſuæ revocatis virginibus Christo ſponſo ſuo adhærere volentibus, intra ſepta claustri ſecundum regulam ſancti Augustini ſub magistra militare perſuaſi. Et quia mulieris caput virum mandat eſſe apoſtolus, priorem eis unum de fratribus *ſancti Lucii* ordinavi, et deinceps ordinari decrevi.

Præterea ne de rebus temporalibus aliquam ſuſtinerent moleſtiam, conſenſu totius cleri atque populi capellam *ſancti Martini*, et capellam *ſancti Albani b*) cum pertinentiis ſuis et cura animarum, uſibus earum mancipavi, ſtatuens, ut neque plebanus, neque archipresbyter in eis aliquid ſibi iuris uſurpare præſumat tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus; ſed in providentia prioris monaſterii et præpoſiti fratrum *ſancti Lucii* cuncta perſiſtant. Inſuper decimam de *Agisfurn*, et decimam de *Cluſo*, et decimam de *Luila*, eis in perpetuum contuli, decernens, ut de novalibus, quæ idem monaſterium propriis manibus vel ſumptibus excoluit, et adhuc excolere potuerit, ſive de nutrimentis animalium nullus decimas exigere audeat, ſed omnia integre conſer-

a) Moniales Cazienſes pro temporum calamitate ſuo genio liberius indulgentes abſque legibus vixiſſe, nec mirum, nec dubium eſſe poteſt.
b) Has eccleſias in valle Domeſtica ſitas putem.

ventur eorum, pro quorum gubernatione et ſustentatione concesſa ſunt, usibus omnimodis profutura, ſalva diœcesani episcopi canonica iustitia.

Huius rei testes ſunt *Egino* præpositus, *Egino c*) decanus, *Egino* ſcholarum magister, *Egino* ſacerdos cognomento *Blutto*, omnesque maioris ecclesiæ tam canonici, quam ministeriales. Hæc autem omnia consilio et confirmatione domni *Octaviani d*) S. Romanæ ecclesiæ cardinalis presbyteri facta ſunt. Porro ne hanc laboris mei operam aliqua delere possit oblivio, ſeu malorum hominum perturbare incursio; cuncta præsentis ſcripti chirographo et ſigillo meo, atque venerabilis *Eugenii e*) papæ auctoritate roboravi.

Siquis igitur omnino hominum ea perturbare ſeu mutare temptaverit, nisi præsumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit, omnis ecclesiasticæ communionis alienus fiat, atque in extremo examine perpetuæ dampnationi ſubiaceat. Super omnes autem eidem loco ſua iura ſervantes pax Domini nostri IEsu Christi requieſcat, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Anno Incarnationis Domini millesimo centesimo quinquagesimo ſexto, indict. V. Anno *Friderici* regis ſexto *f*).

c) Horum *Eginonum* alteruter a. 1160. *S. Adalgotto* in episcopatu ſuccessit.

d) *Octavianus* cardinalis a. 1151. ab *Eugenio III.* P. in Germaniam missus Ratisbonensi et Wirzburgensi conventibus interfuit, *Otto Frising.* Lib. I. cap. 63. qua occasione procul dubio Curiæ apud *Adalgottum* divertebat.

e) Obiit *Eugenius III.* iam a. 1153. unde patet, reformationem Caziensem plurium annorum industriam exegisse, qua in re multum adiutus ab *Eugenio* fuit *ADALGOTTUS*, cuius olim ſub *S. Bernardi* disciplina condiscipulus fuerat.

f) Ex hac chronotaxi patet, chartam ultimo anni trimestri datam esse, cœpta a calendis Septembribus iam quinta indictione; eadem fors causa est, cur annus *Friderici* ſextus ſcribatur, qui a. 1152. tempore verno electus anno 1156. nonnisi quintum agebat. Conf. chron. Gottwic. Lib. II. p. 385. et ſeq.

XLVIII.

Bulla Adriani IV. papæ bona et reformationem parthenii Caziensis ab Adalgotto episcopo Curiensi factam confirmantis, die 9. Dec. anno 1156.

Ex apographo Benedurano.

Adrianus episcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Christo filiabus Helenæ *a*) magistræ ecclesiæ beati Petri de *Catias*, eiusque ſororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosis desideriis dignum est, facilem prebere consensum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Eapropter dilecte in Domino filie! vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et prefatam ecclesiam, in qua divino mancipate estis obsequio, ſub beati Petri et nostra protectione ſuscipimus, et presentis ſcripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque ſuccessoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis.

a) *Helena* post reformationem *Adalgotti* prima iterum Caziensibus virginibus præfuit.

Capellam beati Martini, capellam beati Albani cum omnibus pertinentiis ſuis. Curtim de *Montaira b)* cum omnibus pertinentiis ſuis excepto iure episcopi. Curtim de *Sarn c)* cum omn. pert. ſ. Curtim de *Flirden d)* — — — Curtim de *Serlis e)* — — — Curtim de *Medezenu f)* et *Tosana g)* cum omnibus pertinentiis earum. Curtim de *Nilanz h)* — — — Curtim de *Scanzan i)* — — — Salvo tamen in predictis curtibus iure episcopi. Curtim *Venderiga* cum omnibus appendiciis ſuis. Curtim de *Ormen*, et coloniam de *Filectu*, et terram de *Valaina*, et terras et prata de *Cazias* cum omnibus appendiciis ſuis, ſuper que vicedominus nihil habet agere. Dimidiam coloniam de *Suanneng k)*, et dimidiam coloniam de *Presan l)*, et coloniam de *Samadn m)*; et tabernam, quæ ſita est Curiæ; tabernam que ſita est apud Castellum, et mansum de *Lumines n)*. Decimas terras de *Airfurnu*, de *Cluso* et *Luiles*, quas venerabilis frater noster ALLGOTUS Curiensis episcopus pia vobis devotione concessit *o)*.

Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas præsumat exigere. Præterea quod venerabilis frater noster ALLGOTUS Curiensis episcopus rationabiliter in ecclesia vestra ſtatuisse dinoscitur, videlicet ut moniales in eadem ecclesia consistentes, ſub regula beati Augustini recluse in claustro debeant Domino deservire, et ſpiritualia atque magistram, que eis preesse debeat, a præposito, qui in ecclesia beati Lucii pro tempore fuerit, cum omni humilitate recipere auctoritate apostolica confirmamus, et confirmationem ipsam perpetuis temporibus inconcussam decernimus permanere.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones aufferre, vel ablata retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed illibata omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione et ſustentatione concesſa ſunt, usibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica iustitia.

Siqua igitur in futurum ecclesiastica ſecularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire temptaverit; ſecundo tertiove commonita, nisi presumptionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, potestatis honorisque ſui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a ſacratissimo corpore ac ſanguine DEi et Domini redemptoris nostri I. C. aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſervantibus ſit pax Domini nostri I. C. quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Ego ADRIANUS *p)* catholice ecclesie episcopus. Ego *Uddo* diacon. card. S. Georgii ad velum aureum. Ego *Guido q)* diac. card. ſce Marie in Porticu. Ego *Centius* Portuensis episcopus. Ego *Gregorius* Sabinensis ep. Ego *Guido q)* presbyter card. tit. S. Criſogoni. Ego *Bernardus* presbiter card. tit. S. Clementis. Ego *Heinricus* presbiter card. SS. Nerei et Achillei.

Datum *Laterani* per manus *Rolandi* S. Rom. eccles. presbit. card. et cancell. V. Id. Decemb. indict. V. Incarnat. Dom. anno M.C.LVI. pontificatus vero domini ADRIANI papæ IV. anno ſecundo.

b) *Montera* olim arx in pago Caciensi. *Sprecher* Pall. rhæt. p. 208.
c) *Saren* locus Catio vicinus, ſicut et cæteri hic notati. Iacet *Saren* in iurisd. montana *Heinzenberg*.
d) *Flerden* ibidem. *e)* Puto *Sils* in eadem vicinia. *f)* *Maseinum*. *g)* *Tusis*. *h)* Procul dubio *Ilantium*.
i) Existimo esse *Scharansum* prope Fürstenoviam, vel ſic dici vallem Sexamniensem *Schamserthal*. *k)* *Savogninum*.
l) *Presanz*. *m)* *Samadenum* in Engadina. *n)* F. *Dumils*. *o)* Vid. præced. N. XLVII. *p)* Elect. a. 1154. 3. Dec. obiit a. 1159. *q)* Alteruter horum *Guidonum* fuit antea Curiæ Romanæ cancellarius, variis legationibus in Germaniam, Bohemiam et Poloniam celebris. Vid. *Calles* Annal. eccl. Germ. T. VI. p. 458. 491. 527. etc.

XLIX.

Udalricus de Taraspo omnes ſuos miniſteriales et bona ſua Taraspenſia et infra Cluſam ſub episcopo S. Adalgotto eccleſiæ Curienſi tradit, d. 25. Mart. a. 1160.

Ex apographo Mariæmontano.

Quoniam mundialia bona ſunt tranſitoria, regnum vero Dei in æternum permanet; unicuique fideli congruit, quatenus, quousque brevis temporis metam a Deo conceſſam habuerit, pro adeptione permanentis regni, relictis tranſitoriis, cogitare ac laborare non differat.

Unde ego Udalricus *a*) Traspenſis pro propriæ animæ et prædeceſſorum meorum remedio, et conſilio domini Adelgotti *b*) venerabilis ſanctæ Curienſis eccleſiæ episcopi, et aliorum fidelium dedi ac tradidi S. Mariæ prædictæ eccleſiæ miniſteriales meos utriusque ſexus. Homines videlicet de *Tingezun c*) dominum Udalricum præsbiterum cum toto allodio ſuo et familia ſua. De *Laude d*) Marquardum cum uxore et filiis; Eliſabetham cum filiis ſuis, et cum beneficiis et poſſeſſionibus, quæ de proprietate eorum habent, et fratrem ſuum Conradum, et nepotem ſuum Cunradum: Udalricum, Richenzam, et filium eius Albertum: Perctoldum filium Wicmanni. De *Slue e*) Pilungum et fratrem eius cum filiis, Itam cum filiis eius: filium Friderici, Gibizonem et Friderunam cum filiis eorum. De *Malls f*) Eginonem et Hermannum cum ſororibus eorum. De *Tartſcher g*) Udalricum et filios ſuos. De *Fle h*) Sigibandum, Marquardum, Gebhardum, Eginonem, Fridericum. De *Schulles i*) Hainricum ac Gertrudam matrem cum omnibus filiis. Swigerum de *Vetane k*), Rupertum cum filiis ſuis etc. De *Warda l*) Walcherum cum filiis, et fratrem eius Chunradum et Hermannum cum 7. ſororibus etc.

De *Viſibrane m*) Albertum et Hermannum filios Maphei et ſorores eorum. De *Caſſaſche n*) Iudentam cum filiis ſuis. De Tingezun Rudericum cum fratribus et ſororibus etc. De *Marmorea o*) Widam cum filiis ſuis etc. De *Schweemingen p*) Chunradum cum fratribus etc. De *Stanavico q*) Muthildam et filium eius Fridericum, de *Chreſſebrunne r*) Fridericum cum filiis ſuis. De *Traspes s*) Erneſt cum filiis ſuis et Rudgerum, et partem meam in ipſo caſtro, et quidquid infra *Cluſam* habui, S. Mariæ dedi, ita ut prædicti in beneficio habeant. Quod ſi forte filios non habuerint, filiæ debent habere. Et Andream de Marmorea; et ipſe Andreas caſtrum debet habere in beneficio, quod ſi filios non habuerit, filiæ debent habere. Et pactus ſum eis tantum ac tale ius, quantum et quale miniſteriales S. Mariæ debent habere.

a) De hoc *Udalrico* monumenta Mariæmontana referunt, quod a quodam nobili, cuius ſedes erat hodiernum caſtrum Fürſtenburg, frequenter cachinnis fuerit exceptus, quam iniuriam diutius ferendo impotens, eundem unacum famulis in via prope arcem *Caſtellaz* trucidaverit, caſtrumque illius funditus deſtruxerit, ubi poſtmodum eccleſia S. Florini erecta fuit. Locum ipſum *Henricus* Curiens. ep. a *Mainhardo* comite Tyrolenſi ſubinde coemit, arcemque *Fürſtenburg* ibidem conſtruxit.

b) Multa *S. Adalgottus* in monaſteriorum reformationem expenderat, quæ *Udalrici* liberalitate reſarcire aliquo modo poterat, cui forte auctor fuit, ut in perpetratæ necis pœnam bonorum partem ad cauſas pias legaret.

c) *Tinitionum* in tractu Supraſaxenſi fœd. domus Dei, cuius loci mentio fit in Itinerario Antonini Auguſti.

d) *Laudum* vicus inferioris iurisdict. monaſterienſis iam ſitus in Tyroli. *e*) Ni fallor, *Selnau* Selnauerthal.

f) *Mals* prope *Glurens* in Tyroli. *g*) *Tartſch* parœciæ Malſanæ filia. *h*) Videtur eſſe *Plawen* eiusdem parœciæ.

i) *Schuls* Scolium in Engadina inferiori. *k*) *Vetan* ſeu *Vetta* prope *Schuls*.

l) *Guarda* pariter in Engadina inferiori ad Æni fluv. ſiniſtram prope *Steinsberg*.

m) *Vicoſupranum* in Prægallia ad Mairam fluv. *n*) Caſatium *Caſätſch* ibidem.

o) *Marmorera* ad montem Iulium. *p*) Puto ſcribendum fuiſſe *Savognin*. *q*) *Scanvic*.

r) Veroſimilius *Fons rubeus* in Domeſt. valle. *s*) *Thrasp* caſtrum in Engadina inferiori.

Hæc autem omnia prædicta recepit dominus ADELGOTTUS præfatæ ecclesiæ episcopus cum manu advocati ſui Chunradi. Siquis vero ſeculo abrenuntiare voluerit, licentiam a prædicto episcopo, et ab ecclesia habeat *t*), ut ſeipsum et prædia ſua ad claustrum nostrum ſcilicet in monte S. Mariæ et devoveat et conferat — falsitiam mitto. Et in aliis ministerialibus meis ſcilicet de *Mont* Gerildam cum filiis etc. De *Riede* Irmegardam cum filiis. De *Telles* Guttam etc. quinque infantes Mergardis de *Greifenstein u*), et omnes illos, quos habui ſubtus *Telles*. De *Burgus x*) filiam Bertholdi et filiam Chunizanis. De *Fle* Othmarum etc. etc.

Hæc omnia tradidi anno Incarnationis Domini M.C.LX. in Annuntiatione S. Mariæ coram testibus. Walterus de *Vazes y*) et filius ſuus Walterus. Henricus de *Ruzunnes z*). Fridericus de *Matia aa*). Chuno de *Sigannes bb*). Walcherus de *Lebenwert cc*). Albertus de *Castris dd*). Renigerus de *Sacches ee*). Chunradus de *Castris*. Marquardus de *Tingenzun*. Bernardus de *Puigo*. Insuper *Egino* decanus, et cæteri fratres eorum et ministeriales. *Swikerus* vicedominus, frater eius Udalricus. Sigfridus de *Iuvalta ff*). Alter *Sigfridus*. Chunradus de *Midizme gg*). Wernerus de *Pludasches hh*). Ludovicus de *Salugo ii*). Henricus de *Curia*. Albertus de *Sindes kk*). Purchardus et Swikerus de *Malles ll*). Nanno de *Ramuscia mm*).

t) Hinc patet, ministeriales ita domini ſui ſervitio addictos fuisse, ut illud propria ſponte deserere non potuerint.
u) *Gryfenstein* nobilium ſedes olim prope *Fillisur*. *x*) *Burghusium* prope monast. Mariæmontan.
y) De Vatio *Vatz* homines nobilissimi, quorum frequens in hist. nostra mentio.
z) Rhætium, *Razuns*, pagus et castrum a Rhæto Thuscorum duce nomen trahens, antiquissimæ nobilitatis ſedes prope Bonadulcia, *Bonaduz*. Conf. *Guler* et *Sprecher*.
aa) Amatia, *Maetsch*, olim arx in iurisd. Foveana fœd. ſup. Noti ſunt porro comites de Amatia in Tyroli.
bb) Segaunum, *Sagens*, in fœd. ſup. haud procul Ilantio. *cc*) *Löwenwart* hodie *Löwenberg* ibidem.
dd) Castrisium, *Cästris*, ibidem ad dextr. Rheni. *ee*) De *Saccis*. Vid. *Guler* Rætia fol. 216. et 217.
ff) *Iuvalta* in valle Domestica castra duo Ima- et Alta-*Iuvalta*. *gg*) *Maseinum* prope *Thusis*.
hh) *Pludascum* vicus in Walgovia. *ii*) Salucum, *Salux*, in Oberhalbstein. *kk*) *Sins* in Engadina inferiori.
ll) *Mals*. *mm*) Eremusium, *Remüs*, in Engadina inferiori.

L.

Charta dotationis monasterii Mariæmontani ab UDALRICO Taraspensi factæ a. 1161.

Ex apographo Mariæmontano.

Notum ſit omnibus huius terræ fidelibus tam præsentibus quam futuris de traditione et donatione ſecundum leges, quam UDALRICUS de Traspes *a*), et *Uta* uxor, ac *Udalricus* filius huic ecclesiæ ſanctæ Mariæ in monte *Burgus* ſitæ, ibidem Deo ſervientibus tam clericis quam laicis perpetualiter contradiderunt anno 1161. indictione nona, regnante rege *Friderico* annis novem. *Hezil* cancellarius firmavit hoc privilegium.

Curtim *Burgus* in Broilo cum omnibus adiacentibus. Curtim in prato maiore cum omnibus pertinentibus. Curtim in *Sliniga b*) cum omnibus ſibi adiacentibus. Curtim in vico *Chorzis c*) quæ appellatur *Scircinis*, et ea, quæ ad illud pertinent. Curtim in vico *Nauders*, in vico medio cum quarta parte decimarum ex integro, et cum aliis ad curtim pertinentibus. Curtim in vico *Ramusse*, quæ iacet ſuper basilicam S. Florini cum omnibus adiacentibus, et cum familia Ianut, et ſui infantes; Arnolt, et ſui infantes, et alia familia. Curtim ad *Scullis* in Bivurca cum omnibus ad idem pertinentibus, et cum toto ſervitio, et cum tota familia. Chunrad et ſui

a) Idem est *Udalricus*, qui chartæ præcedentis auctor. *b*) *Schlinig* parœcia capituli Tyrolensis ſuperioris.
c) *Cortsch* filia parœciæ *Schlanders* ibidem.

infantes etc. etc. Terra de vico *Vetane*, quam laborat Luitfrid etc. Curtim in vico *Ardetiæ* ſubtus viam cum familia et omnibus adiacentibus. Falsitiam excipimus, et ponimus de ſupradicta terra et nominata, videlicet curtes illas ſupra nominatas, unum pratum ſubtus *Sindes* in *Sillas*; unum pratum in *Suppanina* in Sillas, et unum mansum, quem habet Adalbertus de Sindes in vico Vetano, et unam quartam ibidem, quam habet Nanno de Ramusse in beneficio, et unam quartam in eadem villa, quam habet Fridericus de *Scluse*, et unam quartam ibidem, quam habet Conradus de *Ardetz*, et in vico *Susis d)* quinque ſolidos in *Mertze* in *Sandogin*, et unam alpem in *Sampur*, quam habet Sigfridus in beneficio, et unam alpem in *Ambiam.*

Falsitiam de familia ſupra nominata ponimus, in alia familia Vetane, Chuno, Luitprand, Iustefrid. Prædium quoque, quod est in *Inthace* cum ſuo iure, et cunctam familiam, quam ex parte præfatæ *Utæ* infra Vinescanam ſilvam insimul habuerunt, eidem ecclesiæ, illicque Deo ſervientibus in perpetuum tradiderunt. Hoc prædium et curtis Burgus, videlicet in Broilo, et curtis in vico Nauders hac conditione data ſunt, ut per ſingulos annos anniversarius dies celebretur *Udalrici*, uxoris ſuæ *Uttæ*, et filii *Udalrici*, et patris *Udalrici* ac uxoris *Irmenegardæ* perpetualiter *e)*. Huius rei testes ſunt *Udalricus*, qui pennam levavit, Hervicus de *Macis* et filius Fridericus. Henricus de *Burgus*, et fratres Albertus Hilprant, Gotfridus de *Lautz*, Rupertus de *Sindes*; et de *Burgus* Romanel, Viventius, Bonellus, Alexius de ſervientibus ſanctæ Mariæ etc. etc.

d) *Süs* infra Cernetium in Engad. *e)* Vid. N. ſeq. not. *a*.

LI.

Alia dotatio monasterii Mariæmontani facta a GEBHARDO Taraspensi eiusque ſororibus anno 1161.

Ex apographo Mariæmontano.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno 1161. indictione nona, regnante *Friderico* nono anno, GEBHARDUS *de Traspes a)* ſua bona voluntate, et ſana mente, et ſorores *Irmegard*, *Adelhaid*, *Hedwig* dederunt ſanctæ Mariæ in monte *Burgus* et omnibus ibidem Deo ſervientibus.

a) Ex hac et præcedentibus chartis, nec non num. XLV. genealogiæ Taraspensium lux aliqua affunditur. Primi, qui noscuntur ex relatione *Gosuini* Mariæmontani, ſunt quatuor isti fratres ante finem ſec. XI. *Eberhardus* improlis, *Udalricus* ep. Curiens., *Gebezo* et *Egeno*, ex quorum binis ultimis cæteri prognati ſunt, qui monasterium montis Mariæ dotaverunt, *Udalricus* et filius fratris eius *Gebhardus* cum ſororibus ſuis, prout legitur in bulla *Alexandri III.* a. 1178. infra ponenda. Inde oritur hæc tabula.

Fratres 1.	
GEBEZO et *EGINO*	*EBERHARDUS* fundat. mon. in *Schuls* ante a. 1095. et *UDALRICUS* ep. Cur.
2. *UDALRICUS I.* et uxor Irmengardis	
3. *UDALRICUS II.* fundat. a. 1160. etc. et uxor Uta ob. 1163.	N. Udalrici II. frater.
4. *UDALRICUS III.* fundat. a. 1161. etc.	*GEBHARDUS* fundat. Irmengard. Adelheid. Hedwig. ſorores.

unam curticulam in vico *Nalls*, et aliam in monte iuxta ſanctum Martinum cum omnibus ad eas pertinentibus, et cum familia; et unam curticulam in *Schlanders* ſummo vico cum vinea, et cum aliis adiacentibus. Et unam curtim in medio vico *Burgus* cum omnibus pertinentibus, èt curtim in prato maiore, castrum, et ea quæ pertinent. Unam etiam curtim in vico *Scullis*, in loco, qui dicitur *Fontanaza* cum omnibus pertinentibus. Et unam curtim *Longoaqualaz* cum ſuis appendiciis. Et unam curtim *Ardezo* ſupra viam cum omnibus appendiciis. Et in *Tassima* in *Campatz b*) unum pratum in una alpe *Mutane*, et ſuam familiam de *Scullis* (*hæc multis capitibus constabat, quæ nominatim enumerantur*) falsitiam excipimus et ponimus de terra ſupradicta et nominata.

Curtim de *Salina* et curtim de *Zarnez c*); de familia falsitiam ponimus in aliam familiam. Botium filium cum ſociis ſuis. Hanc terram et hanc proprietatem recepit *Udalricus* ad tuendam et conservandam fratribus Deo ſervientibus in monte S. Mariæ æternaliter.

Siquis contra hanc chartam, et contra hoc privilegium temptare, contraire vel irrumpere voluerit, iram ſanctæ Trinitatis incurrat, et maledictionem S. Mariæ et omnium Sanctorum incurrat, insuper centum libras auri in cameram regis reponat. Tracta et facta charta in *Burgus* coram testibus. *Udalricus* qui pennam levavit. Huius negotii testes ſunt *Artwic de Matia* et filius Fridericus etc. *d*).

b) *Campogast* in Engad. ſup. *c*) *Zernez*.

d) Apographo huius chartæ ſubiunguntur ſequentes Traditiones:

„Item *Swigerus de Malls* ſua bona voluntate et ſana mente, et permissu *Purchardi*, et aliorum hæredum dedit ſanctæ Mariæ in monte *Burgus* decem modialia de terra ſubtus *Milanz* ab oriente in Eginone decumbit in via; falsitiam mittimus, a Montisello in ſuo proprio: hanc terram donavit S. Mariæ in *Burgus*, et fratribus ibidem Deo ſervientibus in remissionem omnium peccatorum, ſuorumque parentum.„

„*Henricus de Flies* conversus ſua bona voluntate et ſana mente consentientibus infantibus dedit fratribus S. Mariæ et Deo ſervientibus proprietatem, quam habuit in *Sliniga* ſine omni censu.„

„Item *Gebhardus* cum manu *Udalrici* — — — dedit ſolamen in *Sluis* ſubtus basilicam, et campum et pratum, quod habuit in vico *Sluis* ſine omni censu in remissionem omnium peccatorum.„

„Item *Sigebant* dedit unum Mo — de *Burgus* in culturà, et tantam ac talem proprietatem, quam habet in vico *Sluis*, et unam curtim in monte de *Vetane*, in loco, qui dicitur in *Montilugo* ſine omni censu, et falsitiam mittimus, utrorumque fratrum in eorum proprio vico *Fliez*. Huius rei testes ſunt vicini de *Sluis* etc. etc. Hecil cancellarius ſubscripsit manu ſua.„

LII.

Litteræ GEBHARDI abbatis Mariæmontani de BERNTRUDE inclusa anno 1163.

Ex apographo Mariæmontano.

Notum ſit omnibus Christi fidelibus præsentibus atque futuris. Cum domina *Uta a*) uxor domini *Udalrici* de Traspes in itinere ſancti ſepulchri in monastico habitu feliciter de hac vita migravit; quædam religiosissima BERNTRUDIS nomine, quæ itineris eius comes extitit, cum magna rerum ac thesaurorum dominæ ſuæ copia, omnibus videlicet fideliter reservatis, prospere ac feliciter rediit. Ipsa cum prænominatum maritum uxorem ſuam beatæ memoriæ licet defunctam a remotis terrarum finibus reducturum cognovisset; instinctu ſancti Spiritus flebili voce ſuppliciter rogavit, quatenus eam apud ſepulchrum dominæ ſuæ pro remedio animæ eius in una domuncula oratoria ſolitariam obfirmaret.

a) De hac *Uta* conf. ſupra N. L. et LI.

Prædictus itaque *Udalricus* huius monaſterii fundator et auctor ſatisfaciens petitioni ſuæ cloſam conſtruxit, eamque intus percuravit. Denique idem *Udalricus* omne prædium, quod in villa, quæ dicitur *Corzes*, et omne prædium, quod in alpe, quæ dicitur *Fimua*, poſſedit, huic eccleſiæ in hunc modum, talique tenore tradidit *b*), quatenus prædictam BERNTRUDEM, et poſt mortem eius ſemper aliquis homo, ſive maſculus ſive femina, pro remedio animæ eius et parentum ſuorum, et uxoris ſuæ beatæ memoriæ, quam de exteris finibus terrarum ad patrios lares collegit, a fratribus inibi commorantibus perpetualiter, plenarie et accuratiſſime procuretur.

Dominus itaque GEBHARDUS eiusdem loci abbas hoc privilegium manibus ſuis ſcriptum ſigillo ſuo confirmavit. Huius rei teſtes ſunt comes *Albertus*, et frater eius comes *Pertoldus* de Tyrolis *c*). Purchardus et Swikerus de Malles, Gebozo de Schuls, Adelbertus de Sindes, Hezelo de Sindes, Hertwicus, Poſcan, Englmar de Tyrolis, Chunradus de Schludern, Uto de Montelbon, Heinricus Butrich, Chunradus præfectus urbis de Tyrolis, Chunradus de Malls, Chuno de Malls. Hæc facta ſunt anno ab Incarnat. Domini M.C.LXIII. *Friderico* imperatore regnante XII. anno.

b) Quæ in hac et præcedentibus chartis ab *Udalrico* ad montem S. Mariæ tradita et donata leguntur, *Hezilo* cancellarius ſequenti anno 1164. publicis litteris ſpecialiter conſignavit, quas, quum donationis inſtrumenta ipſa dederimus, apponere ſuperfluum duximus. *c*) Ex familia Andecenſi.

LIII.

Concambium inter GEBHARDUM abbatem Mariæmontanum, et GEBHARDUM de Taraſpo anno 1167.

Ex apographo Mariæmontano.

Anno ab Incarnatione Domini M.C.LXVII. indictione XV. *Friderico* imperatore regnante XIII. anno *a*). Notificamus Chriſti fidelibus clericis et laicis tam præſentibus quam futuris (prædium, quod dominus *Ulricus* de *Traspes* bona voluntate et ſana mente ſine contradictione pro remedio animæ ſuæ, vel parentum ſuorum cœnobio S. Mariæ in monte *Burgus*, et monachis ibidem commorantibus tradidit.) Dominum GEBHARDUM eiusdem loci abbatem cum conſenſu fratrum ſuorum, in præſentia advocati ſui *Udalrici* prædictum prædium ad rectum concambium domino GEBHARDO *de Traspes b*) tradidiſſe. Et hoc eſt, quod tradidit: unam curtem in villa *Vetans*, quam coluit Benedictus, cum omnibus ſibi adiacentibus paſcuis, pratis, aquis, cum conſitis et inquirendis, et familiam, quæ eſt Benedictus cum filiis ſuis de *Schulles*, Albero filius Martini de *Wilergerungus*.

E contra venerabilis prædictus abbas per manus advocati ſui *Udalrici* ſine omni contradictione in rectum concambium eccleſiæ ſuæ recepit omne prædium, quod prædictus *Gebhardus de Traspes* habuit in alpe, quæ dicitur *Slinige* et *Montfort*.

Charta tracta eſt et facta in monte S. Mariæ. Huius vero concambii teſtes ſunt: *Udalricus*, qui pennam levavit, de *Mazes*, *Egino* frater eius, *Chunradus* de *Burgus* etc. etc. Hoc vero privilegium, quicunque contradicere vel irrumpere voluerit, duodecim uncias auri ſecundum pondus regis *Caroli* ad cameram imperatoris perſolvat. *Hezilo* cancellarius de Sindes hoc privilegium confirmavit, et ego *Habardus* ſub vice ſui ſcripſi.

a) Scil. a coronatione Romana a. 1155. *b*) De *Udalrico* et *Gebhardo* vide chartas præced.

LIV.

FRIDERICUS imp. confirmat fundationem monaſterii montis S. Mariæ, die 9. Octob. anno 1169.

Ex chartulario Mariæmontano.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator Auguſtus. Imperialis clementiæ conſuevit benignitas divinæ remunerationis intuitu, temporalia ſpiritualibus commutare, et omni negotio ad animæ remedium ſpectanti commiſerationis animum et pietatis operam clementer advertere.

Quocirca notum facimus univerſis Chriſti imperiique noſtri fidelibus tam futuris quam præſentibus, quod *Ulricus de Traſpes* vir liberæ conditionis ammonitionis divinæ compunctus oraculo, propter animæ ſuæ, prædeceſſorumque ſuorum remedium, beatæ Dei genitrici Mariæ in monte apud *Burgus* contulit et donavit allodium ſuum libere et abſolute abſque omni hæredum præſentium ſeu futurorum reclamatione.

Ut autem donationis huius traditio in ævum ſtabiliorem habeat proceſſum, et liberior perſiſtat; prædicta beatæ Dei genitricis eccleſia ſingulis annis Romæ ſuper altare B. Petri principis apoſtolorum byzantium unum perſolvet, ad inſigne huius libertatis ſtabili memoria commendandum.

Ut ergo hæc largitio rata permaneat, et ſemper inconvulſa perſiſtat, præſentem paginam auctoritatis noſtræ ſigillo inſigniri iuſſimus et corroborari, quam quicunque auſu temerario infringere præſumpſerit, gravem perſonæ rerumque pœnam, et difficilem imperatoriæ maieſtatis incurret offenſam.

Datum *Ulmæ* anno Dom. Incarnat. M.C.LXVIIII. indictione prima *a)* VII. Idus Octobris feliciter, amen.

a) Subſtituenda eſt indict. ſecunda.

LV.

ALEXANDRI III. P. bulla confirmationis monaſterii Mariæmontani ſub GEBHARDO abbate, die 18. Octob. anno 1178.

Ex chartulariis epiſcop. Curiens. et abb. Mariæmont.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis GEBHARDO abbati ſanctæ Mariæ in *Burgus*, eiusque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni et honeſtati convenire dignoſcitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium deſideriis congruum impartiri conſenſum. Eapropter *et cæt. pro more.* Eccleſiam baptiſmalem S. Georgii in vico *Sculle*, capellam S. Petri in vico *Ramuſſe*, capellam ſancti Iacobi in *Saliva* cum ipſa curte, capellam Ingenuini cum curte in *Schlanders*, capellam S. Martini cum prædio in *Paſſyre*. Quidquid iuris habetis in vico *Ardeze*, et in vico *Vetane*, et in vico *Sculle*, et in vico *Sinde*, et in vico *Ramuſſe*. Præterea quidquid iuris habetis in vico *Nudre* et in *Ezinthal*, et in vico *Wenns*, et in vico *Flieze*, et in vico *Burgus*. Curtes in *Broilo* et in medio vico, quas dederunt UDALRICUS *monaſterii veſtri fundator*,

et filius fratris ſui Gebhardus *et ſorores ipſius a)*; et alia prædia in vico *Cortzes*, et in vico *Glurne*, et quidquid iuris habetis in vico *Nocturnes*, et in vico *Plaires*, et in vico *Algunda*, et in vico *Maiis*, et in vico *Nalles' b)* et cætera vobis pie ac rationabiliter collata. — —

Liceat quoque vobis clericos et laicos e ſeculo fugientes liberos et abſolutos ad converſionem recipere, et eos ſine contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem aliqua levitate ſine abbatis ſui licentia fas ſit de clauſtro diſcedere; diſcedentem vero abſque litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere.

Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſore, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars ſanioris conſilii, ſecundum Dei timorem, et beati Benedicti regulam præviderint eligendum.

Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverunt, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen iuſtitia illarum eccleſiarum, a quibus mortuorum aſſumuntur corpora.

Ad indicium autem huius ab apoſtolica ſede perceptæ protectionis, byſantium unum annis ſingulis nobis noſtrisque ſucceſſoribus perſolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatum monaſterium temere perturbare — — *et reliqua, ut in aliis bullis.*

Datum *Tuſculani* per manus *Alberti* ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbiteri cardinalis et cancellarii XV. Kl. Novembris indict. XI. Incarnationis Dominicæ anno M.C.LXXVIII. Pontificatus vero domini Alexandri papæ III. anno XX.

a) Conf. ſupra N. XLIX. L. et LI.

b) Loca, quæ heic occurrunt, ſunt *Schuls*, *Remus* in Engadina. *Schlanders*, *Paſſeyr* in Tyroli. *Ardez*, *Vettan*, *Sins* in Engadina. *Nuders*, *Etſchthal*, *Burgeis*, *Cortsch*, *Glurns*, *Naturns*, *Algund* et cætera, quæ incolis explicanda relinquimus.

LVI.

Alexandri III. papæ bulla, qua Scandenſis ſeu Schönnenſis parthenonis bona confirmantur, die 24. Octob. anno 1178.

Ex apographo Schönnenſi.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Adelheidæ abbatiſſæ monaſterii S. Sebaſtiani *Scandenſis*, eiusque ſororibus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis ſalutem et apoſtolicam benedictionem in perpetuum.

Prudentibus virginibus, quæ ſub habitu religionis accenſis lampadibus per opera pietatis iugiter ſe præparant ire obviam ſponſo, ſedes apoſtolica debet præſidium impertiri, ne forte cuiuslibet temeritatis incurſus aut eas a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis infringat. Eapropter dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, et præfatum monaſterium ſancti Sebaſtiani *Scandenſis*, in quo divino eſtis mancipatæ obſequio, ſub beati Petri et noſtra protectione ſuſcipimus, et præſentis ſcripti privilegio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo canonicus, qui ſecundum Dei timorem et beati Auguſtini regulam in eccleſia veſtra inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſer-

vetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, et his, quæ vobis ſuccesserint, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum, in quo præfata ecclesia ſita est, cum ecclesia parochiali, capella S. Galli, et aliis ſuis-pertinentiis. Ecclesiam de *Bebinchon a*) cum cúrte et aliis pertinentiis. Ecclesiam de *Nuolum b*) cum ſuis pertinentiis, duos mansos in eadem villa, et duo nemora, terminus inferioris ab ortu fontis manantis, usque in lacum, terminus ſuperioris nemoris a lapide Fliola usque ad torrentem Marepach. In *Sibeneichin c*) dimidium mansum cum curte molendinaria. In *Buttinchon d*) duos mansos. In *Vspo* domum armentariam. In *Villitum* mansum et dimidium cum omni iure. In *Vranum e*) dimidium mansum et duos iurnales cum curte molendinaria. In *Andimo* monte *Voraten* et *Bachelin f*) cum alpibus *Alastein g*) inferius furculum, et matta dimidia. In *Flion h*) domum armentariam. *Winchilon i*) cum ſuis pertinentiis. *Horne k*) cum ſuis pertinentiis. In *Chaltenbrunnen l*) iurnale molendinarium. In *Riete* dimidium mansum. *Smaricon* cum pascuis in *Buchberg m*) portum navigalem in *Suno*. In *Tuffilinchon n*) mansum. In *Echtolwiler o*) mansum.

In *Barra p*) ſex mansos et dimidium, et curtem et quatuor iurnales cum domo molendinaria. Capellam cum *Chonowo q*) cum tota villa et omnibus ſuis appendiciis. Ecclesiam de *Wilo r*) cum omni iure decimationis, et curtem cum ſuis pertinentiis. In *Euplinswalde* pertinentia ad curtes de *Wolon s*) et iura decimationis. In *Stetin t*) portum navigalem. Ecclesiam de *Mellingen u*) et unum mansum et portum navigalem. In *Ruti* mansum. In *Wettingin w*) mansum. In *Goltbach x*) mansum. In *Aschi* mansum et prædium tributale in *Cholenbare y*) et curtem cum ſuis pertinentiis et domo molendinaria. Ecclesiam de *Reidnawo* cum omni iure decimationis, et curtem cum ſuis pertinentiis, et decimas de *Winincon z*). In *Ebersol aa*) prædium. In *Varrich bb*) prædium. Curtem de *Madolthwiler cc*) et prædium. In *Switis dd*) prædium. In *Goiheim* omne ius decimationis. In *Dienenberch ee*) prædium. In *Mose ff*) prædium. In *Cheminatum gg*) piscariam. *Buochberg* cum ſuis pertinentiis. *Riedem* cum ſuis pertinentiis. In *Chaltebrunne* duos mansos. *Mazzeltrangen hh*) cum omnibus ſuis appendiciis. Alpem *Alpilum*, et alpem *Wengin* a pede montis usque ad cacumen.

Curtem de *Scennins ii*) cum districtu in villis, in ſilvis, in pascuis, et duas tabernas, et iura pistoria. In *Dorff* dimidium mansum cum novalibus. In *Rufinum* mansum cum novalibus. Prædium in *Riete*. In *Grabun kk*) portum navigalem, et prædia illi attinentia. In *Lustunawo ll*) prædium, et ex altera parte fluvii prædium. Alpes *Masentana* dimidia, *Nidirum* et *Puzin*. In *Glarona* decem et octo oves in redditu. *Muroun mm*) cum ſuis pertinentiis. In *Mondolswi-*

a) *Benken*, vicus in Castris rhæticis. b) *Nuolen*. c) *Sibeneich*, viculus. d) *Buttiken* in marchia Helvetica. e) *Uri*.
f) Loca ad lacum *Greiffensee* dictum. g) *Alpstein* in alpibus quæ dividunt abbatiscellam a Toggenburg. h) *Flue*.
i) *Winkel*. k) Plures montes in Helvetia ſic vocantur. l) *Kaltbrun* in Castris rhæt.
m) *Mons* ad finist. ripam lacus Tigur. n) *Tuffliken*. o) *Egetschweil*. p) *Bar* prope Tugium. q) *Knonau*.
r) *Wilen*, *Niederwil*. s) *Wolen*. t) *Stetten*. u) *Mellingen* opp. prope thermas Helvet. w) *Wettingen*, ubi abbatia.
x) Villa in vico Rüti. y) *Kulm*. z) *Weinikon* in parœcia *Uster* cant. Tigur. aa) Villa parœciæ Mogelsberg.
bb) Forte *Varacht* villa in Sargans. cc) *Madetschweil*. dd) *Schwiz*. ee) Villa in paroch. Eschenbach. ff) *Mos*.
gg) *Kemnaten* cant. Tugiens. hh) Vicus ad parœciam Benken. ii) *Schönnis*. kk) *Grabs*. ll) *Lustnau*.
mm) *Murg* ad lacum Walenstat.

lare nn) domum armentariam. *Eschibach* iurnale. In *Vfterzin oo*) prædium. In *Mols pp*) prædium. In *Walestate* dimidium mansum. In *Clavilla* prædium. In *Geninnes qq*) prædium cum vineis. In *Cizurs rr*) et in *Varres* partem decimarum. In *Malanzes ss*) partem decimæ vini. In *Phalers tt*) tres mansos. In *Luuene* mansum. In *Ranguil* curtem cum ſuis pertinentiis. In *Plutin uu*) mansum. In *Slins* dimidium mansum. Montem *Clauturni* cum omni utilitate. In *Frowins ww*) iurnale. In *Checins xx*) dimidium mansum. In *Plattun yy*) mansum. In *Gisingin zz*) mansum. In *Muron aaa*) mansum. In *Eschans bbb*) dimidium mansum. Ecclesiam de *Tosters* cum curte et aliis ſuis pertinentiis. In *Swabeswiler* mansum. In *Nordinchon* dimidium mansum, et quidquid iuris habetis in ecclesia de *Benduro*.

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas præsumat exigere. Liceat quoque vobis, personas liberas et absolutas a ſeculo fugientes ad conversationem vestram recipere, et eas ſine contradictione aliqua retinere. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbatissa, vel earum qualibet, quæ tibi ſuccesserint, nulla ibi qualibet ſubreptione, astutia, ſeu violentia præponatur, nisi quam ſorores communi consensu, vel ſororum pars consilii ſanioris ſecundum Dei timorem et beati Augustini regulam providerint eligendam. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, qui se illic ſepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obsistat, ſalva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas ſit, præfatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conserventur, earum, pro quarum gubernatione ac ſuſtentatione concessa ſunt, usibus omnimodis profutura, ſalva apostolicæ ſedis auctoritate, et diœcesani episcopi canonica iustitia.

Siqua igitur in futurum ecclesiastica ſæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, nisi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, potestatis honorisque ſui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſervantibus ſit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum benedictionis (*bonæ actionis*) percipiant, et apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego ALEXANDER catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego *Hubaldus ccc*) Hostiensis episcopus. Ego *Cinthyus* præsbiter card. tit. S. Cæciliæ. Ego *Arduinus* presbiter card. tit. S. Crucis in Ierusalem. Ego *Rainerius* diaconus card. ſancti Georgii ad velum aureum. Ego *Gratianus* diaconus cardin. SS. Cosme et Damiani. Ego *Matheus ddd*) diaconus card. ſanctæ Mariæ novæ.

Datum *Tusculani* per manum *Alberti* ſanctæ Romanæ ecclesiæ presbiteri cardinalis et cancellarii VIIII. Kalendas Novembris indictione XII. Incarnationis Dominicæ anno M.C.LXXVIII. Pontificatus vero domini ALEXANDRI papæ III. anno XX.

nn) *Muntiswil.* *oo*) *Terzen* ad lacum Walenst. *pp*) *Mollis.* *qq*) *Ienins.* *rr*) *Zizers.* *ss*) *Malanz.* *tt*) *Faelers.* *uu*) Videtur esse *Bludentum.* *ww*) *Fröwis.* *xx*) *Götzis.* *yy*) *Blatten.* *zz*) *Gisingen.* *aaa*) *Muren.* *bbb*) *Estan*, *Eschenz.*

ccc) *Hubaldus* ab Hadriano papa episcopatu Hostiensi donatus. Nat. *Alex.* Hist. eccl. T. VI. p. 446.

ddd) *Arduinus*, *Gratianus*, *Matthæus* cardinales pariter leguntur in Bulla *Alexandri* Murensibus data anno 1179. apud P. *Herrgott* geneal. Habsb. diplom. T. II. P. I. p. 193.

LVII.

Occaſio et compoſitio controverſiæ inter EGINONEM epiſcopum Curienſem et *Gebhardum* de Taraſpo anno 1183.

Ex apographo Mariæmontano.

Notum ſit omnibus præſentibus et futuris Deum diligentibus de diſcordia, quæ facta eſt inter dominum EGENONEM Curienſis eccleſiæ epiſcopum cum fidelibus ſuis, ſcilicet cum domino *Udalrico de Traſpes*, et domino *Eginone de Mazia a)*, ac miniſteriales eccleſiæ Curienſis, et inter dominum *Gebhardum de Traſpes b)*, et inter confœderationem eorum.

Dominus namque *Udalricus de Traſpes* ſecundum præceptum Domini omnibus ſuis pro hæreditate cœleſti volens abrenuntiare, ſanctam Mariam Dei genitricem, et ſanctam eccleſiam matrem ſuam hæredem ſibi facere diſpoſuit, taliqne tenore complevit *c)*. Nobiliores quosque miniſterialium ſuorum cum omni poſteritate ſuorum, et prædiis eorum, et inſuper partem caſtri, quod *Traſpes* dicitur, cum omnibus appenditiis ſuis infra *Cluſam* ſitis hæreditario iure ad eum pertinentibus S. Mariæ ad Curienſem eccleſiam libere contradidit. Reliquos vero, ſcilicet humiliores de familia ſua, et quidquid habere viſi ſunt, ad cœnobium S. Mariæ, quod de patrimonio ſuo conſtruxerat, dedit *d)*. Ex his quoque omnibus, quæ eccleſiæ Dei donaverat, quartam partem, quæ vulgo falſitia dicitur, tam in hominibus quam prædiis, ſecundum ritum provinciæ, prædicto *Gebhardo* filio fratris ſui ex integro contradidit.

Advocatiam vero montis S. Mariæ huius cœnobii conſanguineo ſuo *Eginoni de Mazis* hoc tenore delegavit, ut advocatiam a perſona, quæ præfato loco præfuerit, ipſe et quilibet ſucceſſorum ſuorum ſuſcipiat: curtem quoque unam ad *Sculls* ſitam eidem advocato cum advocatia commendandam hac conditione ordinavit, ut hominibus loci ipſius nullam exactionem nec violentiam per ſe, nec per aliquam ſubvectam perſonam inferat, præter quod ſponte dare voluerint, aut propter aliquos exceſſus dare debuerint. Nihil etiam intra cœnobium, nec in electione abbatis, nec in qualicunque re ordinare vel agere, niſi ab abbate vel monachis aliqua neceſſitate vocatus præſumat. Hoſpitationes tam apud ipſos, quam apud villicos eorum omnino interdictas eſſe ſciat, niſi aliqua gravi neceſſitate ſemel in anno compulſus alio diverti non poſſit.

Hæc graviter ferens dominus *Gebhardus* filius fratris domini *Udalrici*, videlicet advocatia et cæteris bonis patrui ſui ſe privatum, nec iis, quæ a patruo ſuo voluntarie ei oblata fuerant, contentus, omnibus, quæ patruus ſuus eccleſiis Dei donaverat, dominari temptabat. Unde contigit, ut partem caſtri, quod *Traſpes* dicitur, quæ ad Curienſem pertinebat eccleſiam, homines ipſius invaderent, et militibus epiſcopi captis, et peſſime occiſis, caſtrum ditioni eorum ſubdiderunt. Quibus compertis dominus EGNO epiſcopus Curienſis, et præfatus *Udalricus*, et dominus *Egino* advocatus cum miniſterialibus Curienſis eccleſiæ caſtrum prædictum obſiderunt, et tam nefarios præſumptores ad deditionem compulerunt, caſtroque recepto, et iuſiurando, de quibus volebant, ſumpto, ad propria reverſi ſunt.

Dominus vero EGINO Curienſis electus ſciens eſſe ſcriptum, quod beati ſunt pedes pacem portantes, iniuriarum ſuarum immemor cum aliis ſapientibus de reconciliatione eorum tractabat, eos-

a) *Amatia, Matsch.*
b) *Gebhardus Udalrici II.* de Taraſpo ex fratre nepos.
c) Conf. N. XLIX. a. 1160.
d) Vid. ſupra N. L. a. 1161.

que ad colloquium in domum ſuam, ſcilicet *Monaſterium e*), vocabat, ſicque reconciliationis eorum ordo procedebat: primó dominus *Gebhardus* pro iniuria a militibus ſuis Curienſi eccleſiæ illata domino ſuo episcopo ſatisfaciens, hac ratione gratiam ſuam ipsius obtinuit, partem ſcilicet caſtri, quod *Traspes* dicitur, et omne, quod hæreditario iure infra Cluſam ad eum pertinebat, si absque hærede, de propria videlicet carne, moreretur, ad Curienſem eccleſiam donavit; inſuper et prædium ſuum ſuper *Pontalt* ad præſens in manus episcopi ad Curienſem eccleſiam dedit, cuius prædii alteram partem patruus eius dominus *Udalricus* ad eandem eccleſiam iam pridem donaverat. Episcopus autem partem prædicti caſtri, et omnia infra Cluſam ſita, quæ dominus *Udalricus* ad Curienſem eccleſiam dederat, ad confirmationem amicitiæ, et ut patruo ſuo adeo lubentius reconciliaretur, domino *Gebhardo* in beneficium conceſſit. Hæc de reconciliatione episcopi et domini *Gebhardi* dicta ſufficiant.

Nunc de amicitiæ conventione inter dominum *Ulricum*, et dominum *Egnonem* de Matiis, et dominum *Gebhardum* dicendum eſt. Dominus itaque *Ulricus* prædium quoddam in *Glurns* ſitum domino *Egnoni* de Macis pro recipienda advocatia montis ſanctæ Mariæ donavit, eoque domino *Egnoni* filio fratris ſui ea conditione, ſicut ante domino *Egnoni*, fideliter delegavit. Super hæc et alia curtim ad *Stullis* ſitam, quam pater prædicti *Gebhardi* ad cœnobium montis ſanctæ Mariæ donaverat, ad confirmationem amicitiæ illi reddidit, et ut omnia, quæ ipse de ſua hæreditate eccleſiis Dei ordinaverat, rata et inviolata exiſterent, quartam quoque partem plenarie omnium prædictorum, quæ eccleſiis ordinaverat, quæ ipse dum viveret, retinere debuerat, ad præſens illi dimiſit: quæ quarta pars ei nominata, et ab ipso locudata, ac benigne ſuſcepta eſt.

Adhuc etiam omnia prædia militibus beneficiata, præter illa, quæ domino *Egnoni* dederat, et præter duo beneficia, ſcilicet domini Hilteboldi in *Hiltoltvingen* ſitum, et domini Sibandi de *Selbinis*, ex integro illi tradidit; et omnes homines ſuos nobiles et ignobiles infra *Telles* degentes ſub præſenti poteſtati eius donavit Et de Curienſi eccleſia tria beneficia unum in *Curunes f*), et aliud in *Scharles g*), et tertium in *Samadenus h*), quod retinet Marquardus de Digiſen; hæc omnia cauſa dilectionis illi donavit, ac dimiſit. Inſuper et beneficium, quod in Cumana eccleſia viſus eſt habere, illi reliquit, et ubicunque poſſet, absque diſpendio rerum ſuarum, illi ſe profuturum promiſit.

E contra dominus *Gebhardus* aſſenſum præbens omnibus, quæ patruus ſuus de rebus ſuis ordinaverat, et ſacramento propria manu facto omnia abdicavit, de quibus in iis eccleſias Dei, vel patruum ſuum inquietare poſſet, et quæ patruus ſuus, vel ipse pro amore ſororum ſuarum ſanctis monialibus tradiderant *i*), et ſacramento facto firmavit, et eccleſiis Dei omnia perpetualiter et inviolabiliter conſervanda digne ſtipulatione dimiſit, præter unum militem, nomine Sigibandum, non tamen episcopi nomine, miniſterialium conſenſu retinuit.

Si vero contra hæc, quod abſit, temerario auſu facere temptaverit, vel in advocatia montis S. Mariæ contra privilegium quid fecerit, advocatia eiusdem eccleſiæ cum curte careat, eamque dominus *Egino* vel filius eius vel proximus hæres eius ſecundum datum privilegium poſſideat,

e) Ex hoc loco palam fieri videtur, *Eginonem* ſchismati faventem Curia diſcedere coactum fuisse, atque *Monaſterii* in valle Monaſterienſi habitaſſe. Conf. infra N. CXXIX.

f) Alias *Ciranes*, Schrans. *g*) *Scarl* in valle Scarla Engadinenſi, quæ nomen ab amne haurit.

h) Vel *Samada* in ſuperiore, vel *Samnaun* in inferiore Engadina.

i) Hinc patet non *Utam* ſolam, ſed plures ex familia Taraspenſi in monaſterio S. Ioannis Bapt. velum aſſumsiſſe.

et prædium ſuum in *Vetanes* ſitum, obtentu Curienſis epiſcopi, et miniſterialium, et advocati eiusdem eccleſiæ, monachi montis S. Mariæ libere poſſideant; et inſuper CC. marcas Curienſi epiſcopo, quicunque fuerit, et domino *Udalrico* patruo ſuo, et domino *Egnoni* advocato, vel eius hæredi expendat, de quibus et fideiuſſores dedit, quorum iſta ſunt nomina: Albertus de *Rotunde*, Purchardus et Swigerus de *Mals*, Hezil de *Sindes*, Otho et Ulfinus de *Muntelbane*, Udalricus de *Malles*, Chunradus de *Tartsch*, Mar. de *Laute*.

Hæc in præſentia domini EGENONIS Curienſis electi acta ſunt anno M.C.LXXXIII. Teſtes præſentes adfuere dominus Henricus advocatus cum tribus filiis ſuis Egnone, Friderico, Chunrado. Miniſteriales Curienſis eccleſiæ Adelbertus de Rotunde, Purchardus, Swigerus, Udalricus, Waltherus, Wernherus de Malls, Henricus de Slanders, Chunradus de Tarzis, Marquardus de Laute, Chunradus frater eius, Chunradus de Laute, Sigfridus de Sulle, Swigerus de Burgus, Marquardus et Geberhardus de Fliez; Egino, Fridericus, Hermannus, Sigfridus Reſtin: de miniſtris, Gebezo de Slues, Hezil de Sindes, Egino de Corzi etc. etc. et alii quam plures *k*).

k) Loca, unde teſtes hi denominantur, ſunt *Rotund*, *Burgeis*, *Mals*, *Sins*, *Tarsch*, *Latsch*, *Sulden*, *Schleuſs* etc.

LVIII.

HERMANNUS epiſcopus Conſtantienſis decimas in *Wolen* ADELHEIDI abbatiſſæ Schönnenſi adiudicat anno 1185.

Tranſmiſit D. Uhr, ſecretar. Schönn.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis. Ego HERMANNUS *a*) Dei gratia Conſtantienſis epiſcopus. Notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus bonæ voluntatis hominibus, qualiter inter ADELHEIDIM abbatiſſam in Schennis, et *Heinricum* plebanum in *Wolen b*) ſuper poſſeſſione quarumdam decimarum controverſia emerſerat, abbatiſſa contendente, decimas ſuæ eccleſiæ Willanæ pertinere, ſacerdote eccleſiæ in *Wolen* iure ſpectare proponente. Quæ cauſa cum in noſtram veniſſet præſentiam, nos a latere noſtro *Olricum c*) Conſtantienſem præpoſitum ad ipſius deciſionem in ipſam provinciam tranſmiſimus. Quo ibidem auctoritate noſtra conſidente abbatiſſa iuſtitiam ſuam legitimo teſtimonio tanquam omnibus notam probare propoſuit; altera vero pars tanquam iuſtitiæ ſuæ diffidens ad dilationem appellationis venire propoſuit.

Cum igitur ipſe præpoſitus unacum pluribus iuris diſcretis iuſtitiam abbatiſſæ agnoviſſet, ne ipſa litis agendæ ſumptu contra iuſtitiam fatigaretur, communi utriusque partis conſenſu tranſactionis remedium auctoritate noſtra interpoſuit, hoc pacto, hac conditione, quod ipſa abbatiſſa decimas dictas quiete poſſideret, et Heinricus iniquæ liti renuntiaret. Et ipſa non pro redemptione aliqua decimarum, ſed ut ſua quiete poſſideret, X. libras Turicenſis monetæ ſacerdoti perſolveret. Sed ne lis eadem per aliquorum perverſorum inſidias denuo ſuſcitari valeat, præſentem paginam conſcribi, et noſtro ſigillo ſignari fecimus. Facta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXXV. indictione tertia: præſidente ſedi apoſtolicæ papa *Lucio III. d*) advocato ipſius clauſtri *Friderico e*) imperatore Auguſto.

a) Fuit is *Hermannus II.* qui poſt a. 1179. præfuit, occurrit etiam in *Herrgotti* geneal. dipl. Habsb. T. II. P. I. p. 201. ad ann. 1186. *b*) Vicus in regione abbatiæ Murenſis. *c*) Medius inter *Bertholdum*, qui a. 1166. et *Heinricum*, qui a. 1218. occurrunt. *d*) *Lucius III.* eodem anno obiit menſe Novembri. *e*) Advocatia Schœnenſis poſt obitum *Udalrici VII. de Lenzburg* a. 1173. ad *Fridericum* imp. devoluta, dehinc vero a. 1190. ad Kyburgicos comites tranſlata fuit.

Testes qui viderunt et audiverunt: Chonradus de Tegerfeldt canonicus Constant.; Rodolfus plebanus Turicensis abbatiæ. Olricus de *Eilicgo*, *Anshalmus f*) abbas in *Mure*, Wigram plebanus *Murensis*, Noggerus decanus de *Windis*, Heinricus plebanus de *Schenins*, Olricus de *Obirndorf* clericus eiusdem ecclesiæ, Albertus de *Bozwilre*, Burchardus de *Scingen*, Conradus de *Sarmanesdorf*, Conradus de *Willart*, Heinricus præbendarius de *Vilmaringen*, Burchardus miles de *Baden*, Waltherus de *Hunoberg*, Hainricus de *Haidache*, Diepoldus clericus de *Rordorf*, Hartmannus miles de *Obirndorf*, et frater eius Hainricus, Egelolfus de *Burinchouen*, Hartmann de *Chienberg*, Waltherus advocatus ipsius ecclesiæ *Wolon*, Berungus de *Beriwillard*, et quam plures, ſub quorum præsentia hæc acta ſunt g).

f) *Anselmus* abbas Murensis electus a. 1178. obiit circa ann. 1210. Vid. *Herrgott* geneal. Habsb. dipl. T. II. P. I. p. 193.

g) Nomina locorum. *Eilicgo*, Ellgovia, *Ellg* distans 2. leuc. a Vitoduro. *Windis*, Vindonissa. *Schenins*, Schönnis. *Obirndorf*, Oberndorf. *Bozwilre*, Bosweil. *Scingen*, Singen. *Sarmanesdorf*, Sarmenstorf. *Willart*, Weiler. *Hunoberg*, Hünenberg, cant. Tugiens. *Haidache*, Heidegg. *Burinchouen*, forte Burghof. *Chienberg*, Kienberg, castrum in Argovia. *Beriwillard*, Bärisweil, Bäretschweil.

LIX.

Conventio inter EGINONEM episcopum Curiensem et FRIDERICUM abbatem montis S. MARIÆ circa parthenium S. Ioannis Bapt. et parœcias Scoliensem atque Burgusianam anno 1186.

Ex archivo episcop. Curiensi et apographo Mariæmontano.

Universa, quæ consilio aut ſententia prudentium aguntur, ut in ſtatu maneant firmiori, ſcripti memoria debent æternari. Nos igitur EGINO Dei gratia Curiensis episcopus ad omnium notitiam volumus pervenire de controversia, quæ vertebatur inter claustrum S. Mariæ de Monte, et claustrum S. Ioannis in Monasterio, quæ claustra ſita ſunt in valle Venusta, unum monachorum, et aliud monacharum. Asserebat nempe abbas, monachas ad eius possessionem, et quædam bona earundem ad monasterium ſuum pertinere: e contra dicebant monachæ, monasterium earum ab omni ſubiectione monachorum ſemper liberum fuisse, impetrante *Udalrico a*) pio fundatore utriusque monasterii, quod etiam constabat ex earum privilegiis.

Vertebatur etiam controversia inter Curiensem episcopum et prædictum abbatem: proponebat iam prædictus abbas adversus Curiensem episcopum, quod ecclesiam de *Schuls*, quam iure fundi ex donatione ſui fundatoris ad claustrum ſuum pertinere affirmabat *b*), et quod iniuste possidendo eam detineret. Episcopus vero ſupradictam ecclesiam ſuam et antecessorum ſuorum ſemper fuisse approbationibus multis ostendebat; addebat etiam episcopus, quædam prædia Curiensis ecclesiæ ad prædictum monasterium iniuste translata fuisse, quorum restitutionem instanter exposcebat.

Gratia divina tandem cooperante in transactionem quamdam ipsæ partes convenerunt; episcopus enim deliberato consilio ecclesiam ſuam in *Burgus c*) cum omni iure fundi monasterio S.

a) *Udalricus II.* de Taraspo medio hoc ſeculo fundavit monasterium Mariæmontanum. Vid. ſupra N. XLIX. ſeq. Parthenii vero Monasteriensis restaurator, non primus fundator extitit.

b) Ea nimirum ex ratione, quod *Eberhardus* de Taraspo cœnobium in *Schuls* construi curaverit ſeculo XI. exeunte, a ſuis ſucceſſoribus postea inde ad montem S. Mariæ translatum. Vid. ſupra N. XLV.

c) *Burgusium*, Burghausen, parœcia in dominio Mariæmontano.

Mariæ de Monte tradidit, hac tamen conditione interpoſita, ut abbas illius monaſterii curam iam dictæ eccleſiæ ſemper a Curienſi epiſcopo recipiat, et omnia iura ab antiquo inſtituta et exhibita eidem epiſcopo reddat; videlicet in palefredis, in lectis, in vehiculis, et in pellibus hircinis; et in quarto anno redemptionem decimarum, quæ vulgo dicitur *Zuwart d*), de omnibus bonis eccleſiæ prælibatæ, in duobus decanatibus noſtris *e*) videlicet vallis Engadinæ ſexaginta ſiliquas, vallis Venuſtæ centum ſiliquas, tertiam partem grani, tertiam carnis, tertiam caſei.

Quodsi abbas ſæpedicti monaſterii tertio commonitus denominata ſervitia Curienſi epiſcopo exhibere neglexerit, eodem iure, quo eccleſias alias cogit epiſcopus, cogat et iſtam. Inſuper etiam allodia, de quibus conquerebatur epiſcopus, ſupra memorato clauſtro pacifice dimiſit, ut ulterius ſimilia his non contingant, niſi cum communi conſenſu epiſcopi et chori.

Item dominus abbas omnibus querelis, quas habebat adverſus monachas, tam de earum poſſeſſione, quam de prædiorum retentione in manum epiſcopi abrenuntiavit, et querimoniam, quam habuit de ſuperius dicta eccleſia in *Schulles*, in manum domini epiſcopi remiſit. Item ſæpedictus abbas communicato conſilio fratrum ſuorum centum et triginta modios de decimis eccleſiæ in *Burgus* Curienſi eccleſiæ tradidit. Epiſcopus et abbas tenentur ad invicem hanc tranſactionem auctoritate apoſtolica confirmare.

Hæc autem acta ſunt anno gratiæ M.C.LXXXVI. in præſentia DD. clericorum Chunz. de Schengels, Ioannis de S. Valentino, Hawardi de S. Zenone, Alberti de Lautes, Gebhardi de Malles, Swikeri de Tubers, Udalrici de Prada. Affuerunt etiam laici, videlicet D. Egino advocatus de Macis, Fridericus de Glurns, Henricus de Glurns; Burguſienſes Burchardus, Conradus, Heinricus, Swikerus, Benedictus, Clemens, Mel. et alii quam plures. Ut hæc pagina robur firmitatis obtineat, ſigillo noſtro iuſſimus communiri.

d) Alias antiquis *Zuwart* idem, quod adventus ſignificabat.

e) Suſpicari ex hoc loco licet, *Eginonem* intruſum pace reddita, partem tantummodo diœceſeos curaſſe, valles nimirum Engadinam et Venuſtam.

LX.

EGINONIS de Amatia teſtimonium ſuſceptæ a ſe advocatiæ monaſterii Mariæmontani, die 5. Febr. anno 1192.

Ex apographo Mariæmontano a).

Dum cuncta, quæ ſub tempore ſiunt, cum tempore labente defluere atque tranſire cogantur. — — — Hinc eſt utique, quod ego EGINO *de Matias b*) tam præſentis quam futuri temporis Chriſti fidelibus præſenti ſcripto notum fieri cupio, quo tenore vel iure advocatiam montis S. Mariæ ſuſcepi.

Felicis itaque memoriæ de *Traſpes Udalricus* nomine, ſuæ volens ædificationis utilitati et comoditati, utpote bonus fundator proſpicere, ne poſt eius diſceſſum futuris advocatis, velut quibusdam moris eſt, præfatum monaſterium libere liceret offendere, advocatiam eius unacum curte,

a) Autographum huius chartæ anno 1304. in tumultu, quum *B. Hermannus de Schænſtein* occideretur, cum aliis ablatum, dehinc a quodam epulone repertum, ac demum ſacerdotis cuiusdam ſtudio conſervatum fuit.

b) Eſt is *Egino* de Amatia iunior filius *Eginonis*, qui ſupra N. LVII. a. 1183. occurrit.

quam ſpecialiter ad hoc deſtinavit, a manu abbatis commendatam ſemper ſuſcipi debere conſtituit; et hoc factum in præſentia ADELGOTTI quondam Curienſis epiſcopi auctoritatis ſuæ ſcripto corroborari fecit, quatenus id perpetuo ratum permaneret. In proceſsu vero temporis, cum ſe iam dictus *Udalricus* mundanæ converſationi ſubtrahere diſponeret, patri meo, quaſi conſanguineo dilecto ſibi et fideli *Eginoni de Matias* præfatam advocatiam in fide ſua commiſit, ipſeque pater meus coram memorato epiſcopo non opprimendi deſiderio, ſed defendendi, eam cum præfata curte ſuſcepit, et iuramento confirmavit, quod infra clauſtri ſepta, ſeu in electione abbatis, ſive in aliis monaſticis conſtitutionibus nullam penitus poteſtatem, niſi vocatus, haberet, et homines ad idem clauſtrum pertinentes nulla violentia vel exactione, quæ vulgo *Prego c)* dicitur, opprimeret.

Poſtquam autem ad me patris mei hæreditas pervenit, horum omnium cognita veritate prædicti fundatoris inſtitutis, quia iuſtitia renuente non debui, contradicere pertimui. Unde præſcripto iuramento præſtito, quod videlicet ex litteris prætexati epiſcopi patrem meum feciſſe didici, potius divinæ remunerationis intuitu, quam gratia temporalis lucri, committenti mihi domino FRIDERICO abbate, defenſionis ſuæ curam laboremque paterno ductus exemplo ſubii, et ſimul curtem ad hoc ſpectantem recepi. Quia vero advocatia hæc ſæpe prænominata, quemadmodum prædictum eſt, ad me deſcendit, nulli ſucceſſorum meorum ius aut poteſtatem, aliter poſt me eam ſuſcipiendi vel habendi, dereliqui.

Huius rei teſtes ſunt: Henricus et Albero de *Wanga*, Chunradus de *Matias*, Hezilo de *Schengels*, Burchardus de *Malles.* De *Lautis:* Marquardus cum Chunrado fratre, et Chunrado filio, et alio Chunrado, Gotfridus, Egino, Nanno, Chuno. De *Glurns:* Bertholdus, Heinricus, Egino, Chunradus. De *Burgus:* Fridericus etc. De *Sluderno:* Albertus etc. De *Nudris:* Marquardus etc. De *Monaſterio:* Wernherus etc. De *Tubris:* Gerungus. De *Sluis:* Fridericus etc.

Ego EGINO tradidi hanc chartam anno Dominicæ Incarnationis M.C.XCII. Imperii vero domini *Heinrici* anno ſecundo, indictione XI *d)*, die Nonarum Februarium.

c) *Prego*, Preces, Steuræ. d) Subſtituenda indict. X.

LXI.

Diploma HENRICI VI. imp. quo RUPERTUS Fabarienſis abbas S. R. I. princeps declaratur, die 13. Novemb. anno 1196.

Ex apographo Fabarienſi.

Univerſis ſacri imperii principibus, ducibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, militibus et omnibus fidelibus HEINRICUS Dei gratia rex et Auguſtus præſentem chartam inſpecturis gratiam et omne bonum *a)*.

Ad univerſitatis veſtræ notitiam pervenire et vobis notificare cupimus, quod nos ex certa ſcientia principum ſtipati caterva venerabili et fideli RUDPERTO genere de Monteforti principi noſtro regalia feoda principatus adhibitis ſolemnitatibus ſolitis per ſceptrum regium præſentialiter inveſtivimus et tradidimus. Unde præſentium tenore publice profitemur, qualiter nos honorificentius

a) Prorſus ſingularis hæc formula eſt; quamvis titulus *imperii principis* et ſalutatio per *gratiam et omne bonum* ſub *HENRICO VI.* iam in uſu eſſe cœperit.

monaſterium Fabarienſe cum abbate et monachis ſuis collegio principum aggregare, et in ſummo dignitatum apice conſtituere, prout a pluribus regibus vel imperatoribus, imprimis beatæ memoriæ parente noſtro, anteceſſoribus præſtantiſſimis factum eſt, promovere et honorare volumus.

Quapropter univerſis miniſterialibus, mancipiis et hominibus prædictæ abbatiæ ſerio mandamus, quatinus ipſi tanquam ſuo domino et principi noſtro in omnibus, adminiſtrationem temporalium pertinentibus, ſincere et fideliter intendant et pareant. In cuius rei teſtimonium hoc ſcriptum annulo aureo maieſtatis noſtræ communivimus.

Datum *Wormatiæ* Idibus Novembris anno Incarn. Dom. M.C.LXXXXVI. indictione XIIII. anno imperii VI. in Domino feliciter, amen *b*).

Ioannes c) imperialis aulæ cancellarius ſubſcripſit in præſentia *Bonifacii d*) march. Montisferrati. *Alberti e*) ducis de Tecke. *Hunfridi* de Walchenſtein cum conſenſu *Conradi f*) Mogunt. ſedis archiepiſcopi et Germaniæ archicancellarii.

b) Chronotaxis legitima eſt; nam *Henricus VI.* imperator coronatus eſt a. 1191. in paſchate. *c*) *Beſſelio* ignotus.
d) *Bonifacius II.* marchio ab a. 1192. ad 1207. L'art de Vérifier des Dats T. III. p. 632.
e) *Albertus* inter duces de Tek primus noſcitur; fuit filius *Conradi* Zaringiæ ducis adhuc ann. 1215. ſuperſtes. *Sattlers* topographiſche Geſch. von Würtemb. p. 367. *f*) De hoc *Conrado* vid. chron. Gottvic. T. I. lib. 2. p. 372. — 395.

LXII.

REINERIUS epiſcopus Curienſis parœciam Burguſianam regi a monachis poſſe declarat anno 1201.

Ex apographo Mariæmontano.

Univerſa, quæ conſilio aut ſententia prudentium aguntur, ut in ſtatu maneant firmiori, ſcripti memoria dicuntur æternari. Ego itaque REINERIUS Dei gratia Curienſis epiſcopus ad notitiam omnium volo pervenire, qualiter parochiani de *Burguſio a*) propoſuerunt coram me, quod non deberent procurari in ſacris officiis, nec in ſacramento baptiſmatis, nec in ſepultura mortuorum a ſacerdote monacho.

Ad quorum inſtantiam tam clericos noſtros Venuſtenſes, quam dominum abbatem de Monte S. MARIÆ, adverſus quem ipſi proponebant, in cauſa vocavimus, et diem in eccleſia *S. Valentini* deſuper *Calavena b*) præfiximus; ubi acceptis allegationibus partis utriusque, et perſcrutatis canonibus, qui in hac cauſa fuerant neceſſarii, de communi conſilio prædictorum clericorum noſtrorum ſic diſtinximus, quod monacho liceat populo in divinis providere, baptizare, pœnitentiam dare, mortuos etiam ſepelire et prædicare, ubi inſtitutio non ſpectat ad populum, et advocatio epiſcopi ad aſſenſum abbatis; poteſt etiam populus, in hoc caſu ſcilicet, cum inſtitutio ad eum pertinet, prohibere, ne monachus ei procurationem exhibeat in prædictis ſacramentis.

Sed quoniam inſtitutio eccleſiæ de *Burguſio* nunquam ad populum pertinebat, diximus, monacho de iure licere, divina ibidem populo celebrare, baptizare, et cætera, quæ ſupra diximus, adminiſtrare poſſe ad advocationem epiſcopi et aſſenſum abbatis. Hæc autem notitia facta eſt anno Incarnationis M.CC.I. *c*).

a) Hæc parœcia monaſterio unita eſt a. 1186. Vid. ſupra N. LIX. *b*) Al. *Caſa vena* inter *Taufers* et *Glurns*.
c) Confirmata eſt ab *Honorio III.* P. anno 1217. 9. Febr.

LXIII.

Bulla INNOCENTII III. papæ CONRADO præpoſito S. LUCII Curienſis, data 6. Maii anno 1209.

Ex archivo Benedurano.

INNOCENTIUS episcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis CONRADO præpoſito et conventui monaſterii S. LUCII de Curia ſalutem et apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur etc.

Locum ipſum, in quo idem monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis. In civitate Curienſi hoſpitale cum omni iure ac pertinentiis ſuis. Eccleſiam *S. Hilarii*, ubi moniales morantur incluſæ *a*). Eccleſiam *S. Petri* de *Prades b*). Eccleſiam *S. Mariæ* in *Benedur c*) cum capella ex ea pendente. Capellam *S. Antonii* ſecus ſtratam, domos, molendina, vineas, agros et prata, quæ habetis in civitate Curienſi. Proventus, quos habetis de *Prades*, *Sweinig* et *Lasc*.

In villa *Umbilico d*) curtem unam. In *Amedes* familiam, agros et prata. *Maladers e*) curtem unam. *Basten f*) curtem unam. *Waltramsburc g*) curtem unam. *Varin* curtem unam. *Flimis* curtem unam. *Augmin* curtem unam et vineas. *Triſime h*) curtem unam. *Escam i*) curtem unam cum appenditiis ſuis. *Vinomne* curtem unam. Decimas de *Vinomnon*. Curtem de *Turring k*) et vineas, et alpem de *Ramoz* cum paſcuis ſuis.

Sicut prædicta omnia iuſte ac pacifice poſſidetis, vobis et per vos eccleſiæ veſtræ auctoritate apoſtolica confirmamus, et præſentis ſcripti patrocinio communimus. Obeunte vero te nunc eiuſdem loci præpoſito etc. etc.

Dat. *Lateran.* II. Non. Maii anno Chr. M.CC.VIIII. Pontificatus noſtri anno undecimo *l*).

a) *S. Hilarii* ædem a *S. Fridolino* ſec. VII. prope muros Curienſes ſtructam fuiſſe in Annal. Epp. oſtendimus.
b) *Praden* in Scallvik. *c*) *Benedurum* apud Eſtiones locus præcipuus ubi 3. canonici habitant.
d) *Umblic* hodie corrupte *Malix*. *e*) *Maladers* ſupra Curiam. *f*) Puto *Prata* in Supraſaxenſi tractu.
g) Videtur Vurtium, *Valtenſpurg*. *h*) *Triſen*. *i*) *Eſchan*. *k*) *Türingen*.
l) *Innocentius III.* electus eſt anno 1197. 8. Ianuar. hinc annus Chriſti 1208. ſubſtituendus videtur.

LXIV.

Permutatio prædiorum inter præpoſitum Curwaldenſem, et ALBERONEM *de Tinzen* inita anno 1210.

Ex cod. Tradit. S. Galli p. 467.

Ne bone fidei contractus calumpniantium malitia poſſit a poſteris temeritate aliqua divelli aut infirmari, utile a ſapientibus iudicatur, ut ea, quæ fiunt, ſcripti memoria debeant recipere firmitatem.

Noſcat ergo tam preſens etas, quam etiam futura poſteritas, quod ego S. *a*) præpoſitus de CUREWALDE cum conſilio fratrum meorum, tam clericorum quam laicorum *b*) feci concambium cum domino ALBERONE *de Tinnazone c*), dando ei prædium noſtrum in *Scanevikko d*) ſolvens 1. libram mercedis, et recipiendo ab eo coloniam unam in *Luppino e*) ſolventem ſimiliter 1. libram

a) *Swigerus* præpoſitus Curwaldiæ ordine quartus.
b) Unde in mon. Curwaldenſi vivebant tunc religioſi laici ſeu converſi. *c*) Tinizonum, *Tinzen*, iuriſd. Supraſax. pagus.
d) *Schanfik* vel *Scalfik* vallis haud procul a Curia urbe. *e*) Hodie *Mayenfeld*.

mercedis. Et hoc concambium taliter factum est, quod nos resignavimus illud nostrum prædium, quod nobis accessit ex parte hominum Curien. ecclesiæ ſitum in *Scanevikko*, ut dictum est, cum manu domini ARNOLDI *f*) venerabilis Dei gratia Curiensis episcopi, et domini *Gozewini de Amedes*, qui vicem gerebat tunc temporis *Ottonis g*) Romanorum imperatoris, in manu domini *Volrici h*) Dei gratia abbatis ſancti Galli, et in manu domini *Heinrici de Smalenegge i*), qui ſimiliter ibi gerebat vicem imperatoris in advocatia ſancti Galli.

Et viceversa recepimus prædium illud de *Lupino*, renunciante ſupradicto ALBERONE in manu domini abbatis, et advocati ſui prædicti *Heinrici*, omne ius et omnem actionem, quod vel quam habere posset, vel ipse, vel heres ſuus aliquando habiturus esset, nomine pheudi contra dominum abbatem, et ecclesiam ſuam, aut etiam contra præpositum præfatum et ecclesiam ſuam. Et ipse præpositus recepit ipsum prædium ſive coloniam cum omni iure et accessione vinearum, camporum, et pratorum, et pascuorum cum manu domini episcopi memorati ARNOLDI, et cum manu domini *Gozewini* advocati. Sed libra illa mercedis, quam recepit *Albero* in compensatione illius colonie de *Luppino* ſolvitur de prædio in *Scanevikko*, de prædio *Heinrici* Iouchonis 7. ſol. mercedis, in vico *Puigo k*) in pratis, et campis, et ſoliis. Item de prædio *Bernardi*, et *Hannis*, et *Egenonis* in agris, et campis, et ſoliis 10. ſol. mercedis. In eadem villa, et in altera villa, que dicitur *Castellum l*) 3. ſol. mercedis de prædio domini *Chuonradi de Aspermont m*).

Hec autem commutatio facta est ab utraque parte absque contradictione alicuius, rationabiliter et legitime perpetuo duratura, regnante imperatore O. anno I. regni vero eius anno V *n*). Anno vero ab Incarnatione Domini M.CC.X. Indictione XIII. apud ſanctum Gallum feliciter, amen.

Huius rei testes ſunt: *Volricus* de *Saches o*), Curiensis præpositus. *Chuonradus* de Aspermont, canonicus. *Zenzo*, custos canonicus. *Reverus*, canonicus. *Heinricus Albegowe p*), canonicus. *Volricus* et *Fridericus* de *Iuvalta q*). *Chuonradus* de *Rialt r*). *Egino* de *Aspermunt*. *Chuonradus* de *Aspermunt s*). *Heinricus* de *Scames t*). *Volricus* de Murerzens. *Chuono* de *Sataines u*). *Dietricus* de Iuggon. *Eberhardus* de *Balga w*). *Marquardus* de *Bernang x*). *Rodolfus* et *Egelolfus* de *Rorschach y*). *Heinricus* de *Valchenstein z*). *Chuonradus Giel aa*).

f) *Arnoldus* de Amatia ſuccessit *Reinherio* a. præced.
g) *Ottonis IV.* in imperatorem coronati a. 1209. circa fest. S. Michaelis iuxta abb. Ursperg.
h) *Udalricus VI.* elect. a. 1204. ob. a. 1219. *Brusch.* f. 117.
i) Ægid. *Tschudius* in quodam Msc. Engelberg. *Schmalenegg* olim comitum de *Sargans* fuisse adserit.
k) *Puz* in Rhetigoia X. iudic. liga. *l*) *Castels* haud procul a præfato *Puz*.
m) *Aspermont* olim arx nobilium prope *Mayenfeld*, occurrit hic *Conradus* a. 1220. apud *Leon.* Tigur. voce *Aspermont.*
n) Est error Scriptoris loco anni II. quintum ponentis, nam *Otto IV.* demum a. 1208. rex agnitus fuit.
o) Cognatus *Udalrici* abbatis S. Galli ex fam. de *Sacco.* *p*) Legendum potius videtur *Ellegowe*, celebris locus prope Vitodurum *Ellg*, nisi mavelis *Heinricum* ex *Albegovia* ſeu *Algovia* ortum fuisse.
q) Arces de *Iuvalta* in valle Domestica.
r) *Rhætia alta* in iurisd. Suprasax. *Conradus* hic forsan frater *Henrici* fuit, qui a. 1219. de pedo Curiensi contendebat.
s) Alius hic est a *Conrado* canonico, forte ex familia Flugiorum de *Aspermont* prognato. *t*) Fuerunt olim nobiles de *Sexamnio* ſeu *Schams*, imo comites, qui præter vallem *Sexamnium* peramplam regionem ſua ſub ditione habuerunt.
u) Hoc est *Sataginis* ſeu *Sadäns* in valle Drusiana.
w) Hodie *Balgach* in ſuperiore valle Rhenana inter Marbach et Berneck, ubi olim nobiles de *Grünenstein* et *Balgach.*
x) *Bernang* in medio vallis Rhenanæ. *y*) De nobilibus de *Rorschach* vid. Lexic. *Leon.* Tigur.
z) *Falkenstein* in ditione Solodorensi duo castra.
aa) Nobilis familia de *Giel* Thurgoviam ſeculo iam XII. celebris inhabitavit, ex qua *Conradus* patrem habuit *Arnoldum* testem in charta a. 1167. (in Trad. S. Galli p. 462.) fratres vero *Ioannem* et *Rudolphum.* *Rudolphus* cum uxore ſua *Gertrude* monialibus in prato dictis apud S. Gallum donavit inter alia locum *Magdenau* a. 1244. III. Non. April. (ib. p. 476.). In qua donatione *Waltherus* abbas S. Galli *Ruodolfum de Glateburg cognomento Gielonem ecclesiæ ſuæ ministerialem ac fidelem* nominat; erat quippe monasterii camerarius (ib. p. 478.). In alia item charta de a. 1221. 8. Cal. Maii legitur: *Gielo cum filiis ſuis Chuonrado et Ulrico.* Extat instrumentum *Conradi* huius (ib. p. 473.) in hæc verba: *Notum ſit omnibus*,

Burchardus de *Hasela bb*). *Ortewinus* de *Lindenberg cc*). *Chuonradus* de *Reingerswilare dd*). *Iuitoldus ee*) et *Volricus* de *Glateburg*. Et multi alii, quorum hic non fit modo mentio.

quod Cuonradus Gielo ſenior de Glatteburc volens ultra mare proficiſci, pio et ſalubri ductus affectu, pro ſemetipſo et domina IUNTA uxore ſua, filiisque ſuis VOLRICO, CUONRADO et RUODOLFO, talem fecit ordinationem, ut videlicet ſingulis eorum decedentibus de curia in Ufhovin prope Gebirhartswiler 10. *ſolidi annuatim aſſignentur custodi monaſterii S. Galli, de quibus in anniverſario cuiuslibet eorum duo Stoupi, maior ſcilicet et minor fratribus miniſtrentur. Actum ad S. Gallum A. D.* 1226. *etc. etc.* Conf. Lexicon *Leonis* Tigur. voce *Giel.*

bb) *Burchardum* de *Hasela* iam a. 1172. producit *Leo* Tigur. voce *Hasle*, est autem *Hasela* arx diruta in cant. Tigur. inter *Bülach* et *Regensperg*.

cc) *Lindenberg* castrum dirutum prope Oberburen in dit. S. Gallenſi.

dd) Hodie *Rengetschweil* in Thurgovia.

ee) Idem, qui in instrumento patris ſui Conradi dicitur *Ruodolfus*.

LXV.

OTTO comes Tyrolensis dotationem monasterii Mariæmontani confirmat die 27. Aprilis anno 1215.

Ex apographo Mariæmontano.

Dum cuncta, quæ ſub tempore fiunt, defluere ac transire cogantur, facta mortalium, ne oblivione ad interitum trahantur, ſcripto ad posteros transmittere provida ſanxit antiquitas. Huius rei commendabilem providentiam modernorum quoque imitata ſolertia, quicquid ſuis temporibus dignum memoria facit, ſuccessioni ſuæ ſcribere decrevit.

Hinc est utique, quod nos *a*) Dei gratia comes Tyrolensis cœnobium montis S. MARIÆ apud *Burgus* in remedium animæ nostræ et antecessorum nostrorum, donationem a prædecessoribus nostris factam litteris præsentibus innovando confirmamus; videlicet (*quæ*) antecessores nostri de possessionibus vel proprietatibus dicto cœnobio contulerint, firma et illibata in ævum permaneant.

Præterea concessimus, ut si aliquis ministerialium vel hominum nostrorum, quacunque conditione censeantur, divina inspiratione compuncti — — — pie ac rationabiliter collata perpetuis usibus mancipamus. Insuper addimus, quod liceat præfato monasterio homines nostros proprios, liberos et absolutos e ſeculo fugientes ad conversionem recipere, et eos ſine contradictione aliqua retinere.

Ut igitur hæc largitio rata permaneat, et ſemper inconvulsa persistat, præsentem paginam auctoritatis nostræ ſigillo insigniri iussimus et corroborari. Hæc acta ſunt in *Maiis b*) anno Domini M.CC.XV. quinto Kl. Maii coram ſubscriptis testibus: Domino *Ulrico* comite de *Ultin c*). Domino Ulrico dicto Suppan. Friderico, Alberto et Perchtoldo fratribus de *Burgus*. C. de *Bruntsperch d*). Alberone et Marquardo fratribus de *Maiis*. Domino S. de *Montelbon e*). Branto de Leinair. Friderico de Slus. Berchtoldo et Engelmaro fratribus dictis Tarant, et aliorum, quam plurium nobilium.

a) *Otto* est ex comitibus de *Andechs*, qui anno 1204. Tyrolim gubernare cœpit.

b) Notæ ſunt alpes *Maiiæ* prope Meranum ex historia S. Valentini ſec. V. in P. I. hist. nostræ.

c) Idem comes *Ulricus* de *Ulto* occurrit anno 1223. in diplomate *Friderici II.* dato apud Ferentinum. *Herrgott.* genealog. Habsb. diplom. T. II. P. I. p. 230.

d) Forte idem locus, qui apud *Herrgott.* loc. cit. p. 297. legitur *Pruninberc*.

e) *Montelbon* castrum dirutum in iudicio Castelbellano.

LXVI.

Honorius III. papa confirmat pactum inter Curienſem et Mariæmontanam eccleſias circa parœciam in *Burgeis*, die 9. Febr. anno 1217.

Ex archivo episcop. Curienſi.

Honorius episcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis abbati *a*) et conventui de Monte S. Mariæ ſalutem et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est, nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectum prosequentes complere.

Eapropter dilecti in Domino filii vestris iustis precibus inclinati compositionem *b*) inter vos ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum episcopum Curiensem ex altera ſuper ecclesia de *Burgusio*, possessionibus et rebus aliis amicabiliter initam, ſicut ſine pravitate provide facta est, et ab utraque parte ſponte recepta, et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam etc. etc.

Datum *Laterani* V. Id. Febr. etc. Pontificatus nostri anno I *c*).

a) *Cuno* is erat, qui eodem anno 1. Dec. obiit.
b) Dedimus huius compositionis instrumentum ſupra N. LIX.
c) Electus est *Honorius* a. 1216. 18. Iul.

LXVII.

Instrumentum pacis inter Arnoldum episcopum Curiensem et urbem Comensem initæ, die 18. Augusti anno 1219 *a*).

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo decimo nono die decima quarta exeunte Augusto indict. ſeptima. Hec est concordia et pax, quam fecerunt dominus Arnaldus de Macio Curiensis episcopus pro se et pro omnibus hominibus Curiensis episcopatus, a Langaro ſuper versus Coriam usque ad *Castellum murum b*); et deinde per *Angelinam* usque ad *Remusi c*), et per Venostam usque ad *Male d*), et ab istis terminis ultra, pro omnibus qui per eum distringontur, excepto domino *Artuicho de Macio*, et eius hominibus, et bonis, et terris, qui et que non ſunt in hac pace et concordia, ex una parte; et ex altera dominus *Albertus Scacabarocius* potestas *e*) Cumarum ex parte comunis de *Cumis*.

Videlicet quod dominus episcopus Curiensis debet eligere duas potestates, quas voluerit, ex ſua parte: et potestas Cumarum ſimiliter debet eligere duas potestates, quas voluerit, ex utraque parte ydoneos, que potestates debent facere ſolvere omnes illas personas, que continentur in istis confinibus omnia debita liquida bona fide et ſine fraude, ſortem et *guiderdonum* et dispendium per cartas et extra cartas in tribus terminis: videlicet in ſancto Martino proxime terciam partem, et in ſecundo ſancto Martino aliam terciam partem, et in tercio ſancto Martino aliam ter-

a) Extat hoc instrumentum in antiquo codice membranaceo privilegiorum in civitatis Comensis archivo; eius apographum perbenigne ad me transmisit *D. Ulysses de Salis Marsliniensis*. Sanciendo huic fœderi causam dederant bellici tumultus, qui ob regionem Bormiensem Rhætos inter et Comenses exeunte priore ſeculo oriebantur.
b) Castromur, *Castelmur*, in Prægallia.
c) H. e. per Engadinam usque ad Eremusium, *Remüs*.
d) Per Venustam vallem usque ad *Mals*.
e) H. e. urbis Comensis *prætor*.

ciam partem. Que guiderdonum et dispendia debent ſolvi in laude poteſtatis Cumarum, et domini episcopi vel illarum perſonarum que electe fuerint per poteſtatem ad predicta pro utraque parte.

Itaque illi qui reperirentur ſolvere debere liquide ad decem libras novorum, infra debent ſtare obsides *Clavenne* vel *Plurii* per ſe ipſum aut dare bonum pignus tante quantitatis, quanta eſt ſumma debiti, que petitur; et ad decem libras novorum ſupra, usque ad quadraginta novorum, debeat ſtare cum uno ſuo ſocio obsides. Et a quadraginta libris ſupra debeat ſtare cum duobus hominibus obsides tamdiu, quod ſoluta fuerit ſors et dispendium et guiderdonum in laude domini episcopi et Cumarum poteſtatis, vel predictarum perſonarum, que fuerint electe poteſtates ex utraque parte. Qui obsides omnes debent eſſe legales homines, qui fuerint cum debitore, et iurate eſſe debent omni die illo loco, et in nocte ibi iacere. Et illud debitum quod liquidum non fuerit repertum, debeat cognosci per cartam vel per teſtes tam de ſolutione, quam debito.

Et tunc teneatur dominus episcopus et poteſtas Cumarum ſive poteſtates vel eorum miſſi, que ex utraque poſite vel electe fuerint, taxare per conventum ſortem dispendium et guiderdonum; ſecundum quod eis placebit, et condempnare illos ſecundum quod videbitur eis, eos debere; et illi qui condempnati fuerint, teneantur ſolvere illum debitum in illis tribus terminis ſupra ſcriptis, et eſſe obsides, et dare obsides aut bonum pignus, ut ſupradictum eſt, in *Clavenna* aut in *Plurio* in quolibet termino. Si non ſolverint ſicut condempnati fuerint, aut eis preceptum fuerit, et ibi eſſe et ſtare debent tamdiu, quam ſatisfactum fuerit creditori per ſolutionem vel ydoneum fideiuſſorem; et ut obsides non debeant ire a *Plurio* inſuper. Item teneatur ipſe dominus episcopus facere reddere omnes predas, que facte reperirentur per illas perſonas, que continentur in iſtis confinibus, in laude ſupra ſcripti domini episcopi et poteſtatis vel eorum miſſi. Que prede, ſi non poſſent probari liquide factas fore, per illas perſonas, que intra fuerint, ad illud factum, ut poſſit probari per famam illarum perſonarum, que eo tempore viderint illas res ablatas eſſe, tam per homines episcopatus Curienſis, quam Cumani, et per homines illorum locorum, ubi viſa fuerit preda. Que prede ut dictum eſt debent ſolvi et reddi in iſtis terminis tribus, ut ſupra legitur, et eſſe et dare obsides, ut ſupradictum eſt.

Et dominus episcopus poſſit facere et conſtituere ſuos miſſos obsides pro ſe, et in loco ſuo, bonos et ydoneos, et omnes teſtes qui producti fuerint, debeant iurare; et poteſtates Cumani teneantur facere reddere omnes homines Cumani, qui ſunt de ſua iurisdictione omnibus hominibus Curienſis episcopatus, a Langaro inſuper usque ad *Remuſi*, et usque ad *Male*, ut in contractu pacis continetur, omnes illas predas, que reperirentur factas fore cum dampnis et fructis ipſarum rerum in arbitrio poteſtatis et domini episcopi, vel eorum miſſi, vel illarum poteſtatum, que poſite fuerint ex utraque parte; exceptis predis de *Saxame f*) et de *Clavenna*, de quibus facta eſt finis, que poſſit oſtendi per cartam vel inſtrumentum: que prede ſi non poſſent probari liquide eſſe factas per illas perſonas, que interfuerunt ad illa negotia, poſſit probari per famam illarum perſonarum, que viderunt ipſas res ablatas eſſe. Et hoc tam per homines Cumani episcopatus quam per homines Curienſis episcopatus, et per homines ipſorum locorum, ubi fuerit viſa preda; que prede, ut dictum eſt, debent ſolvi et reddi in terminis tribus, ut dictum eſt, cum dampnis et gaudimentis taxatis.

f) Sexamnium, *Schams*.

Item de denariis, qui debentur illis de Ultramontibus, debent diſtringi ille perſone, que ſolvere debent in iſtis tribus terminis, ſolvere ſecundum rationem et diſpendium et guiderdonum in taxatione domini epiſcopi et poteſtatis Cumane, vel eorum miſſi. Et ut in omnibus capitulis debeant eſſe, et dare obſides illi de Cumis illis de Ultramontibus et eo modo ut illi de Ultramontibus debent illis de Cumis, qui de epiſcopatu Cumano debent ſtare obſides in *Vico ſuprano*, et non debent venire a *Caſtello muro* infra, et teneantur per ſacramentum eſſe omni die, et nocte ibi iacere tamdiu, quod ſatisdederint, aut ſolverint; et debent eſſe legales homines illi qui fuerint cum principali debitore.

Et hec pax et concordia facta eſt ſalva ratione rerum detentarum et ablatarum in loco de *Burmio* et *Pusclavio*, vel alibi, ubi ablate ſunt illis de Ultramontibus.

Item iuravit dominus epiſcopus, et omnes milites et ruſtici epiſcopatus Corie habitantes infra confinia predicta, ſolvere omnia debita, et facere ſolvere in iſtis terminis, que liquida reperientur; aut venient obſides, ut ſupradictum eſt, in ſupra ſcriptis locis: quod ſi aliquis vel aliqui non fecerint et non obſervaverint predicta, et poteſtas de Cumis vel eius miſſus denuntiaverit ipſi epiſcopo, vel eius miſſis, infra menſem unum, poſtquam ei denonciatum fuerit, teneantur ipſi epiſcopus et milites facere eos venire obſides, et ſtare in ſupra ſcriptis locis, ut ſupradictum eſt; et teneantur vendere de ſuis bonis uſque ad menſuram declarati debiti, et ſolvere creditori. Et ſi non haberent unde ſolvere poſſent, detur eis bannum in perſonis et rebus per epiſcopum Curienſem et poteſtatem Cumanam, niſi forent parati ſatisdare per ydoneos fideiuſſores de ipſo debito ſolvendo, vel predictis ſolvendis; nec ipſo banno debeant extrahi, niſi fuerint in concordia illius perſone pro qua illud bannum foret datum. Et ſi predicti obſides ſteterint per medium annum, ultra terminum videlicet ſancti Martini, quod non ſolverint debita in ſuis terminis; tunc in quolibet preterito debent duplicari obſides.

Item incendium de *Solglio g*), et debeat ſtare in arbitrio et laude domini epiſcopi et poteſtatis Cumane vel eorum miſſi. Item convenerunt, quod utraque parte poſſit probari per liberos homines utrique parti epiſcopatus et per legalles homines eccleſie Curienſis, vel per alios legalles homines. Et de omnibus aliis rebus que detinentur, et diſcordiis, que apparuerunt, racionem facient ſuo arbitrio, ſi arbitramento fuerint concordes, et ſi in arbitrio fuerint diſcordes, elligent unam perſonam in concordia, cuius conſilio ſtabunt et permanebunt. Si vero in eligendo fuerint diſcordes, bona fide concordabunt inter ſe ad conventionem faciendam, ſive ad ius vel racionem dicendam, vel dicendum ſecundum leges et iura. Preterea predict. poteſt. facient racionem hominibus Curienſis epiſcopatus de omnibus familiis morantibus in epiſcopatu Cumano, ſi querimonia inde fieret; niſi forte eſſet homo, qui per viginti quatuor annos quiete et abſque civili ſervitio ſtetiſſet in epiſcopatu Cumano; ſi ita ſteterit, ſit liber, niſi ille, qui eum appellat, poſſit probare, ipſum fore ſuum ſervum, et feciſſe ſibi ſervilia ſervicia infra dies XXIIII. quod ſi probatum fuerit, racio inde dicatur.

Item convenerunt, ut nullus homo Curienſis epiſcopatus debeat dare iura et actiones alicui homini Cumani epiſcopatus ad placitandum aliquem hominem, ſtantem in Cumano epiſcopatu, dicendo ipſum fore ſervum, ſed poſſit facere procuratorem, quem voluerit de Curienſi epiſcopatu ad cauſam ſuam exequendam, ſi vellit, excepto *Onrico* et *Frederico* fratribus de *Zival*

g) *Solium* in Prægallia olim ſedes nobiliſſimæ familiæ Saliceæ.

to h), qui poſſint facere et conſtituere procuratorem, quem voluerint, de episcopatu Cumano, in cauſa, et pro facto quondam *Honrici Genzonis* et ſuper rebus eiusdem. Et quod non poſſint fieri ultra ſex queſtiones cuilibet teſtium, in omnibus predictis capitulis, ubi probatio dabitur.

Item convenerunt quod ſi aliquis dampnum inferretur vel daretur hominibus Cumani episcopatus, preter furtum, predictus dominus episcopus reddet ipſemet, vel reddi faciet, et de furto facient racionem et dicent memoratè poteſtates. Item predictus episcopus non permittet aliquem hominem per ſuum episcopatum, infra ſupra ſcriptos confines, facere dampnum alicui de Cumano episcopatu in perſonis nec in rebus. Et ſi factum fuerit ſuo diſpendio reſtituet vel reſtitui faciet in menſem unum et dimidium, priusquam ipſis poteſtatibus de ipſo dampno declaraverit. Item convenerunt quod omnes homines de civitate Cumana et episcopatu Cumano ſint ſalvi in perſonis et rebus cum omnibus rebus et negociationibus, eundo et redeundo per Curienſem episcopatum, infra ſupra ſcriptos confines, ut ſupra legitur. Et ſimiliter omnes homines Curienſis episcopatus, ut ſupra legitur, ſint ſalvi in perſonis et rebus in eundo et redeundo per totum Cumanum episcopatum, cum omnibus ſuis rebus et negociationibus; preter quod non poſſint trahere *blavam i*) vel legumina de episcopatu Cumano ad partem Corie. Et ſi aliquod dampnum inferretur vel daretur eis, comune de *Cumis* cum ſuo diſpendio eis reſtituet vel reſtitui faciet infra menſem unum et dimidium priusquam ipſis poteſtatibus de ipſo dampno declaraverit, et de furto facient et dicent racionem predicte poteſtates. Et ſtrata ex utraque parte debet eſſe aperta et ſecura, excepta blava et leguminibus, ut ſupra legitur.

Si aliquis de predictis hominibus vel debitoribus Curienſis vel Cumani episcopatus dicent, ſe non habere in bonis, niſi feuda, nihil ei proſit hoc allegare, niſi probaretur, hoc per publicum inſtrumentum, vel per ſex legalles liberos ydoneos homines eccleſie, vel alios legales homines, ut ſupradictum eſt. Et de feudis, que reperta fuerint, ſolvatur ipſum debitum de gaudimentis ipſorum feudorum. Eo addito, ut vendicio ipſorum gaudimentorum fiat, ut ſupradictum eſt, de aliis rebus, et ſolutio debeat fieri et obſides dari, ut ſupradictum eſt. In qua concordia intelligantur illi de Deſertina.

Item convenerunt quod de illis creditis vel debitis, que de cetero fient, non poſſit aliquis homo predari vel pignorari ex utraque parte, niſi ſit debitor vel fideiuſſor. Et quod liceat creditoribus pignorare in duplum ipſos debitores et fideiuſſores, ſi ipſum debitum non ſolverint. Et quod ipſe poteſtas et ipſe episcopus debeant dare ſuos miſſos ad pignorandum eos, et dare auxilium et *fortiam k*), ut illud pignus ſeu pignora ducantur ad ſalvamentum, in virtute illius, pro quo accepta fuerint pignora. Et ſi ipſa concordia contradicetur aliquo tempore per regem ſeu imperatorem, qui pro tempore fuerit domino episcopo, poſtquam contradictum fuerit ipſi domino episcopo, ipſe poteſtates non teneantur ulterius procedere ab eo tempore in antea, nec audient de novis placidis, ſed de illis cauſis et placidis et diſcordiis, que ante contradictionem conteſtate forent, debent ipſe poteſtates procedere ſecundum tenorem predicte concordie. Et ſi contradictio facta fuerit ipſi episcopo; dominus episcopus ante octo ſeptimanas debeat notificare ſupra ſcripto comuni de *Cumis*, in quibus ipſa concordia debeat rata et firma permanere. Et ſi hec concordia aliquo tempore contradiceretur per comune Mediolanenſe, comuni de *Cumis*, non teneantur predicte poteſtates ulterius procedere ab eo tempore in antea, nec audient de novis

h) Sunt forte *Udalricus* et *Fridericus* de *Iuvalta*, qui ſupra a. 1210. ch. LXIV. not. *q*. habentur.
i) *Blava* vel *Blada* dicebantur fruges, frumenta. *Du Cange* Gloſs.
k) Dare *fortiam* i. e. vi adigere.

placidis; ſed de illis cauſis et placidis et diſcordiis, que ante contradictionem conteſtate forent, debent poteſtates procedere ſecundum tenorem predicte concordie. Et ſi predicta contradictio facta fuerit ipſi comuni, ipſum comune ipſi domino epiſcopo ante octo ſeptimanas debeat notificare in quibus etiam concordia debeat rata et firma permanere.

Sed tamen de facto Burmienſium nihil intelligimus in hac concordia. Et hanc predictam concordiam vult comune de *Cumis* in quolibet capitulo adtendere et obſervare ipſi domino epiſcopo, ſalvo tamen in quolibet capitulo tenore et concordie facte habite inter comune de *Cumis* et comune Mediolanenſe. Et ſi aliquod de predictis capitulis reperiretur, fore contra tenorem ipſius pacis facte inter Mediolanenſes et Cumanos, dicit ſe comune de *Cumis* de ipſa concordia nullo tenore velle teneri. Item dicit comune de *Cumis* ſe eo modo et tenore velle adtendere ipſam concordiam, ut ſi comune Mediolani voluerit eſſe in ipſa concordia quod eſſe debeat. Item teneatur dominus epiſcopus facere iurare capitulum et magnates et vaſſallos habitantes infra ſupra ſcriptos confines, hanc concordiam ratam et firmam habere, et tenere in quolibet capitulo, ut ſupra et infra legitur, hinc ad viginti quinque annos proximos.

Item teneatur poteſtas ſive conſul Cumanus qui pro tempore fuerint, hanc concordiam ratam et firmam habere et tenere in quolibet capitulo, ut ſupra et infra legitur, hinc uſque ad viginti quinque annos proximos. Et quod facient futuram poteſtatem ſeu conſulem comunis de *Cumis*, qui pro tempore fuerint, hanc concordiam, ut ſupra et infra legitur, bona fide ratam et firmam habere et tenere. Et omni quinquenio ſacramenta huius concordie debeant renovari. Et unaqueque poteſtas ſive conſularia, que pro tempore fuerint in comuni de *Cumis*, teneatur omni anno per ſacramentum hanc concordiam, ut ſupra legitur, adtendere et obſervare, et facere attendere et obſervare omnes homines Cumani epiſcopatus. Et ſi predictus dominus epiſcopus decederit infra predictum terminum XXV. annorum, alius ſucceſſor eius teneatur facere iurare in fide et anima ſua, quod attendet et attendere faciet milites, et magnates, et vaſſallos omnes, et homines habitantes infra ſupra ſcriptos confines ſupra ſcriptam concordiam ratam et firmam habere et tenere, bona fide, ut ſupra et infra legitur, excepto domino Artuicho et eius hominibus.

Item teneantur poteſtates, que pro tempore fuerint, ad diſcernendas cauſas et diffiniendas, ex quo ſub ei, incepte fuerint, infra tres menſes, ſi poterint, vel ad plus infra IIII.^{or} menſes diffinire, ita ut cauſe incepte ultra quatuor menſes non extendantur, aliquo modo vel iure, niſi remanſerit iuſto impedimento vel parobola utriuſque partis, vel parabola Curienſis epiſcopi et poteſtatum ſive conſulum comunis de *Cumis*, qui pro tempore fuerint, concorditer cum ipſo epiſcopo. Et infra ſupra ſcriptos terminos ſententias datas executioni mandabunt, ut ſupradictum eſt. Item convenerunt, ſi dominus *Alberius de Vango* et *Bertoldus* frater eius voluerint eſſe in hac concordia, et creditores ſive fideiuſſores eorum pignoraverint eos, aut intraverint ſuper poſſeſſiones eorum, non debeant impediri per homines epiſcopatus Curie, qui ſunt in predicta concordia, nec per ipſum dominum epiſcopum. Et in hac concordia poſſint eſſe, ſi voluerint, comes *Ugo de monte Fonee l)* et *Dietelmus* et *Anricus de Sacco* ad ſolvendam predictam concordiam in omni capitulo, ut ſupra legitur. Et predictam concordiam, ut ſupra legitur, in omni capitulo fecit iurare predictus dominus epiſcopus in fide et anima ſua, et eius mandato et voluntate dominum *Andream* preſbiterum de *Bivio m)* adtendere et obſervare, et facere adtendere et

l) Puto, legendum *de Monte forti*. *m)* Hodie *Stalla* ſeu *Stabulum* ad Iulii et Septimi montium radices: dicitur *Bivium*, quod ibidem duo itinera montem utrumque ſcindant.

obſervare omnes capitaneos, et magnates, et vaſſallos, et omnes alios, qui ſunt in ſupra ſcriptis confinibus; et infra menſem unum faciet iurare omnes homines ſui episcopatus, ut ſupra legitur, hanc concordiam attendere et obſervare, ſi requiſitus fuerit.

Et ſimiliter predictam concordiam, ut ſupra legitur, in omni capitulo fecit iurare predictus dominus *Albertus* Cumarum poteſtas, dominum *Petrum de Cantono* in fide et anima ſua, et eius mandato et voluntate attendere et obſervare, et facere attendere et obſervare omnes homines Cumani episcopatus et iuriſdictionis, ut ſupradictum eſt, infra menſem unum; ſi requiſitus fuerit, debeat poni et ſcribi in ſtatutis comunis de *Cumis*, ſic attendi per comune de *Cumis* usque ad predictum terminum, ut ſupra legitur, in omnibus capitulis.

In primis ex parte domini episcopi Corie iuraverunt, hanc concordiam attendere et obſervare per ſe et ſuos homines dominus *Guntterius de Vaze*, et dominus *Altemanus de Ronchomoa n)*, et *Ardericus de Rivolta o)*, et *Oldericus de Spermonte p)*, et *Nanus de Mannorerea q)*, et *Fredericus de Civolta r)*, et *Gabardus de Tegiano*, et *Albericus de Tigiazono s)*, et Ser. *Anricus de Civalta*, et *Tiriſentus* et *Albertus de Caſtello muro*, et *Egenus* filius quondam *Egenonis de Ceron t)*, et *Malcoardus de Vaze*.

Et ex parte comunis de *Cumis* iuraverunt hanc concordiam attendere et obſervare domini *Petrus de Cantono*, et *Otto de Quadrio*, et *Ruffinus de Beccaria*, ambaxatores comunis de *Cumis*; et *Alrialdus Pigocius*, et *Atto* vicedominus, et *Iacobus de Imblavado*, *Ruſcha*, et *Rumus Lavizarius*, et *Iohannes de Salice*, et *Ubertus de Turri*, et *Ottobonus de Voe*, et — — — *Lavizarius*. Quia ſic inter eos convenit. Actum *Plurio u)*.

Predicti vero contrahentes hanc cartam ut ſupra legitur fieri rogaverunt.

Interfuerunt ibi teſtes, dominus presbiter *Martinus de ſancto Balentino*, filius quondam item *Martini*; et dominus *Guido de Zibidi*, filius quondam domini *Gorgii de Zibidi*; et dominus *Albertus* presbiter *de Caſtro muro*, quondam filius *Sifredi de Caco*; et *Volcardus* canonicus *de Coria*, *de Caſtello novo*, filius *Redulfi de Caſtello novo*; et *Anricus* clericus *de Cozinvi*, filius quondam *Conradi de Cecimet*; et *Guifredus* Tempeſtadius, filius quondam *Guifredi* Tempeſtadi; et dux ſervitor filius quondam *Bertrami* Saporiti; et *Pugietus* ſervitor filius quondam *Aliprandi de Morbio*; et *Solinus* ſervitor filius quondam *Rozi de Cumis*.

Ego *Iohannes* qui dicor *Faxinatus* notarius et ſcriba comunis de *Cumis* filius quondam *Iuſti Faxinati* hanc cartam tradidi et ad ſcribendum dedi et ſubſcripſi.

n) Forſan Ruchmont, *Ruchenberg.* o) Lege Rialta, *Rhætia alta.* p) *Aspermont.* q) *De Marmore.* r) *Invalta.* s) *Tinzen.* t) Forte Cernetium, *Zernez.* u) Plurium, *Plürs*, oppidum haud procul Clavenna.

LXVIII.

Dotatio hoſpitalis *S. Ioannis* in FELDKIRCH ab HUGONE comite de *Monteforti* facta anno 1219.

Ex urbario S. Ioann. in Feldkirch T. I. p. 212.

Anno Dominicæ Incarnationis M.CC.XXVIII. a) indict. VII. ſub papa *Honorio* apud *Ulmas* coram rege, et cum rege *Friderico*, HUGO comes de *Monteforti* tradidit hoſpitali *S. Ioannis* ultra mare

a) Anno 1228. nec papa *Honorius* vixit amplius, nec *Fridericus* agere in Ulma potuit in Syriam profectus; eſt ergo, quem

eccleſiam in civitate ſua VELDKIRCH, et veudum iuxta eccleſiam, et agros extra civitatem, quos ibidem habere videbatur, et molendinum apud civitatem inter duos lapides, inter quos etiam aliud ædificari non debet, niſi cum voluntate hoſpitaliariorum, dedit eccleſie eidem imediate; capellæ quoque in valle S. Mariæ cum ſylva, quæ iuncta eſt, cum omni iure proprietario, quam in ipsa dignoſcebatur habere, eo tenore, ut pauperibus tranſeuntibus exinde ſaltem in igne et aqua et tecto, quousque domus ulterius proficiet, ſubveniatur, et ut clericus, qui divinum celebret, ibidem inſtituatur.

Licentiavit etiam dominus comes miniſteriales ſuos, ut ſi velint, patrimonium ſuum iam dictæ eccleſiæ tradere. Inſtituit etiam dominus comes, ut quidquid hoſpitali *S. Ioannis* de *Clusa*, de *Bregenz*, de *Rinegg* uſque per totum epiſcopatum Curiæ traditum fuit, totum eleemoſynæ ſupradictæ accipiat, et inſcribatur: et duæ partes pauperibus cedant ad utilitatem, tertia pars hoſpitali ultra mare reſervetur. Hic autem contractus factus eſt cum manu comitis, et uxoris ſuæ, et filiorum ſuorum, eo tempore, quando *Hainricus de Guntranshoven b)* fuit generalis procurator in *Dexthoma* hoſpitalis *S. Ioannis*, qui etiam paginam hanc, ſicut et nos, ſigilli ſui impreſſione munivit.

Huius autem rei teſtes ſunt: *K. c)* dux Lutrige, et *Hainricus d)* margravius de Baden. *Eberhardus* de Eberſtain. *Burckardus* de Iuningen. *Fridericus* de Zwirkenberg. *K.* de Ringenberg. *Artólfus* de Bartenſtein. Hoc privilegium confirmatum eſt coram miniſterialibus comitis in *Monteforti*, *Dietrico* iuniori et ſeniori, et *Burchardo* de Bodmen, *Rudgero* groſſo, *Iacobo Gunthalmo*, *Conrado* fratre *Dietrici*, et *Philippo.*

indictio VII. indicat, annus 1219. quo iuxta abbat. Ursperg. chronicon *Fridericus II.* negotia in Alemannia diſpoſuit. *b)* Ignotus *Imhofio* not. imperii.

c) *Lutrige*, Lotharingiæ, qui fuit *Theobaldus I.* unde littera initialis K. loco T. male ponitur.

d) *Heinricus I.* Hermanni III. filius auctor lineæ Hochbergicæ. Vid. *Schœpflin.* Hiſt. Zaring. Badens. T. I. lib. 3. p. 336.

LXIX.

Donatio prædii cuiusdam monaſterio S. LUCII facta anno 1220.

Ex archivo Benedurano.

Notum ſit tam preſentibus quam futuris, quod ego UDALRICUS et uxor mea LUDEVICA predium et familiam, que legitime poſſedi, et per manum domini ARNOLDI *a)* Curienſis epiſcopi, et per manum *Udalrici de Velkilche*, qui vice advocati fungebatur, multis conſanguineis et amicis preſentibus, et non contradicentibus, cum bona voluntate fratris mei *Conradi*, qui iure hereditario mihi ſuccedere debuit in eisdem bonis, eccleſiæ S. LUCII et fratribus ibidem Deo ſervientibus, omni contradictione remota, publice contuli poſſidendum. Condicione tamen hac interpoſita, ut ad preſens debeamus ſibi ſolvere libras denariorum Mediolanenſium XX. et VI. merced. ſingulis annis, duos in carne ovina, duos in caſeo, et duos in grano, neceſſitati eorum ſubveniendo, et hoc in curte *Sales.* Debemus etiam miniſtrare eis in tribus feſtivitatibus anni, communem victum, virum inter fratres, mulierem inter ſorores *b)*, procurantes. Poſſeſ-

a) Igitur *Arnoldus* non a. 1218. vel ſeq. mortuus eſt, uti *Gulerus* f. 138. indicare videtur, qui ſcribit *Henricum* et *Albertum*, poſt eius mortem biennio de epiſcopatu decertaſſe, et a. 1220. iam *Rudolphum de Guttingen* ſucceſſiſſe.

b) Nimirum in parthenio *S. Hilarii* extra mœnia urbis Curienſis.

ſionem ipſam etiam exire debet VI. ſeptimanis et III. diebus, ut nos ius poſſeſſionis habere dinoſcamur. Poſt tempus illud, ſi vult, redeat in hoſpicium, et ſolvat cenſum ſingulis annis, ſol. Mediolanenſis monete.

Si autem vir ille deceſſerit, et illa ſupervixerit virum; ſol. Mediolanens. et — — carratas lignorum, et carratam de rapulis ei ſolvere debemus. Illud etiam conſiderandum eſt, ſi præpoſitus c) S. Lucii licentiam a capitulo Premonſtratenſi potuerit obtinere; illa recipiatur in ſororem: ſi autem illa viam univerſe carnis ingreſſa fuerit, ipſum ſine mora in fratrem recipere tenemur.

Hec autem facta ſunt in civitate *Curie* apud eccleſiam S. Laurentii anno Dominice Incarnationis M.CC.XX. coram teſtibus prepoſito maioris eccleſie, *Conrado* archipresbitero, *Ottone Riverio* cuſtode, *Hainrico* plebano de Bernanc, *Hainrico* de Ziziurs, *Hainrico* de Rialt, et fratre ſuo; *Hainrico*, *Dominico*, *Rudolfo*, *Volkardo d)*, *Burchardo*, *Hainrico Melle* canonicis Curienſibus. Et teſtibus laicis *Roudgero* et filio eius *Udalrico* de Aſpermont, *Hainrico* filio domini *Sifridi* de Flumene, *Hainrico* aurifice, et filio eius *Iohanne*; *Hainrico* Morlino. *Hermannus* Malveſin. *Roudolfus* de Rialt. *Roudolfus* camerarius. *Albertus* filius villici. *Egrio* filius Hugonis. *Conradus* filius Liotoldi. *Werneherus* de Scaphuſa etc. et alii multi.

c) Erat tunc *Reinoldus*. d) *Volkardus* hic, qui etiam N. LXVII. legitur, dehinc a. 1237. Curiæ epiſcopus evaſit.

LXX.

Friderici II. imp. diploma pro immunitate monaſterii Fabarienſis, die 3. Martii anno 1221.

Ex archivo Fabarienſi.

Fridericus ſecundus divina favente clementia Romanorum imperator ſemper Auguſtus, et rex Siciliæ. Inter cætera opera caritatis illa in conſpectu Altiſſimi grata potiſſime reputamus, quæ eccleſiis et locis Deo dicatis Domino inſpirante largimur.

Eapropter notum facimus univerſis imperii fidelibus tam preſentibus quam futuris, quod nos attendentes puram fidem, et ſinceram devotionem, quam Ludoycus venerabilis abbas monaſterii *Fauarienſis* et conventus eiuſdem ad noſtram excellentiam habuerunt fideliter et devote; conſiderantes quoque divina obſequia, quæ in eodem monaſterio Deo iugiter miniſtrantur, pro remedio anime noſtre ac divorum Auguſtorum parentum noſtrorum, ipſum abbatem, conventum et eccleſiam ſuam in perſonis ac rebus cum omni iure, hominibus, poſſeſſionibus, villis et cum omnibus ſuis pertinenciis et bonis in integrum tam mobilibus quam immobilibus, que nunc iuſte et rationabiliter poſſident, atque in poſterum præſtante Domino poterunt iuſto titulo adipiſci, ſub ſpeciali protectione et defenſione noſtre recepimus mageſtatis: liberantes et eximentes ipſam eccleſiam, ex certa ſcientia de ſpeciali gratia noſtra, ab omni iuriſdictione patronatus, advocatie, ſeu cuiuslibet ſubiectionis officiique. Specialiter autem ab *Heinrico de Saxo a)* et *Alberto* filio ſuo et heredibus eorundem in perpetuum. Et ipſam cum omnibus bonis ſuis ad ſpecialem noſtram defenſionem tantum aſſumimus, nobis et imperio perpetuo retinendam; non obſtante conceſſione ab aliis edita, vel a nobis, quam omnino caſſamus, et decernimus penitus non teneri.

a) Comites *de Saxo* advocati abbatiam Fabarienſem crudelem in modum afflixerant.

Et hec omnia tibi abbati LUDOYCE, tuisque ſucceſſoribus iuste et canonice institutis, ex certa ſcientia concedimus, et imperiali auctoritate perpetuo confirmamus. Statuentes et firmiter precipientes, ut de cetero nullus dux, nullus marchio, nullus comes, vicecomes, capitaneus, ſeu quilibet exactor de ipsis causam teneat, ius dicat, vel se aliquatenus intromittat; ſet in omnibus, et per omnia, predicta ſint memorato abbati ſuisque ſucceſſoribus imperiali edicto perpetuo confirmata, ſicut in ſue ecclesie privilegiis noscitur plenius contineri.

Siquis autem contra huius nostre protectionis, concessionis et confirmationis paginam venire presumpserit; indignationem nostram se noverit graviter incursurum, et pro pena ſue temeritatis centum libras auri optimi ſoluturum: medietatem quidem camere nostre, aliam medietatem passis iniuriam. Ad cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentem paginam ſcribi, et ſigillo nostre celsitudinis iussimus inferius roborari.

Huius rei testes ſunt: *Olricus b)*, Patauens. ep. *Albertus c)*, Tridentinus electus. *Diupoldus*, marchio de Foburgh. *Gimeradus*, comes de Elfensteine. *Bertholdus*, comes de Monte ſacro. *Gotefridus*, comes de Blandrato. *Rainaldus*, dux Spoleti. *Anselmus*, marescalchus de Iustinge. *Conradus*, camerarius de Werde. *Fridericus*, pincerna de Stophen *d)*.

Datum *Trani e)* — — millesimo ducentesimo XXI. quinto non. Martii, indic. nona.

b) *Udalricus II.* elect. a. 1216. ob. a. 1222. *Hund.* metrop. Salisb. T. I. p. 208.
c) *Albertus III.* Ravenstein elect. a. 1219. *Ughell.* Ital. S. T. V. p. 603.
d) *Diupoldus* de Foburg et *Rainaldus* dux Spoleti leguntur in alia charta Friderici II. a. 1223. apud *Herrgott.* genealog. Habsb. diplom. T. II. P. I. p. 230.
e) Urbs in regno Neapolitano, ubi arcem portumque construxit *Fridericus II.* imp. *Martinier.*

LXXI.

Notitia, qua familia quædam cœnobio S. LUCII adſeritur, die 16. Ian. anno 1231.

Ex archivo Benedurano lit. E. n. 2.

Ut ea, quæ ſiunt in tempore, ſimul cum tempore non labantur, neceſſarium est, ut litteris commendata humane memorie tamquam presentia offerantur.

Notum ſit igitur omnibus tam futuris quam presentibus, quod, cum dominus *Albero Tingzun a)* impeteret conventum S. LUCII ſuper quadam familia videlicet *Vellia* de *Maladirs b)*, et per se et cognationem eiusdem, asserens, eosdem homines esse ſuos, in termino ſuper eadem impetitione utrique parti in presentia venerabilis domini BERTOLDI Curiensis episcopi constituto, prefatus conventus S. LUCII de communi prudentium virorum ſententia, probata præscriptione annorum debita, quibus eam dictum monasterium possederat quiete; obtinuit coram iam dicto episcopo ſine contradictione qualibet familiam memoratam.

Interfuerunt testes *Otto* plebanus S. Martini, *Richolfus* ſenior, *Riverus*, *Albertus* villicus de Sals, et *Cunradus* frater eiusdem etc. etc. etc. Actum in civitate *Curiensi* anno Domini M.CC. XXXI. XVII. Kl. Febr. Ad maiorem autem huius rei evidentiam ſigillum iam dicti episcopi Curiensis presenti noticie est appensum.

a) *Tinzen* vid. ſupra N. LXIV. *b)* *Maladers* vicus prope Curiam.

LXXII.

Gregorii IX. papæ litteræ ad episcopum Comensem in causa parricidæ *Rudolphi de Greiffenstein*, die 23. Dec. anno 1237.

Ex R. P. Ioann. Hyacint. Sbaraleæ Bullar. Francisc. T. I. p. 229.

Gregorius *a*) etc. Venerabili fratri episcopo Cumano *b*) etc. Intellecta dudum atrocitate horrendi facinoris, quod nobilis vir *Rodulphus de Grifenstein c*) lator præsentium in necem bonæ memoriæ Curiensis episcopi *d*) diabolo instigante commisit; et eodem *Rodulpho* cum humilitate petente reconciliari ecclesiæ matri ſuæ; inter cætera, quæ ſibi dilectus filius *Raynerius* pœnitentiarius noster post impensum ei iuxta formam ecclesiæ beneficium absolutionis, ſub debito præstiti iuramenti mandavit, iniunxit eidem, ut ſigno crucis assumpto in proximo tunc generali passagio ſtatuendo a Romana ecclesia transfretaret in ſubſidium terræ ſanctæ, per certum terminum in eiusdem terræ obsequio moraturus.

Nos quoque ſuggesto nobis postmodum, quod indulta ei dilatio esset periculum allatura, tibi dicimus mandavisse, ut ipsum ad transfretandum absque moræ dispendio, per ecclesiasticam censuram, ſublato appellationis obstaculo, coarctares etc. etc.

Datum *Laterani* X. Calend. Ianuarii. Pontificatus nostri anno undecimo.

a) *Gregor. IX.* elect. a. 1227. 20. Mart. hinc mense Decembri a. 1237. iam erat annus pontificat. XI.
b) Erat tunc ep. Comensis *Ubertus Sala* e monte ferrato. *Ughell.* Ital. S. T. V. p. 299.
c) *Greiffenstein* arx diruta in monte prælto iuxta Fillisur. *d*) Is erat *Bertholdus* de Helfenstein.

LXXIII.

Innocentius IV. papa Fabariam a provisionibus clericorum eximit, die 21. Mart. anno 1248.

Ex archivo Fabariensi.

Innocentius etc. Abbati et conventui monasterii de Fabaria etc. etc. Monasterio vestro, quod, ſicut intimantibus vobis accepimus, est per fautores *Friderici* quondam imperatoris diminutum in temporalibus, et per nos ac legatos ſedis apostolicæ clericorum provisionibus oneratum, paterno compatientes affectu, et per hoc ipsum alicuius relevationis ſolatio gaudere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut ad receptionem vel provisionem alicuius in pensionibus aut ecclesiasticis beneficiis per litteras ſedis eiusdem ac legatorum ipsius compelli de cætero non possitis, absque mandato ſedis prædictæ faciente plenam de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo omnino hominum etc. etc.

Dat. *Lugduni* XII. Kl. Aprilis. Pontificatus nostri anno ſexto.

LXXIV.

Pactum Volcardi episcopi Curiensis cum *Heinrico Tschudio* vicedomino in *Flumine* ſeu *Grappalonga*, die 6. Iunii anno 1249.

Ex Msc. D. Ægidii Tschudi T. IV. in mon. Angelomont.

Volkardus Dei gratia Curiensis episcopus omnibus hanc paginam inspecturis ſalutem in omnium Salvatore. Ut gesta præsentia futurorum memoriis inserantur, ea, quæ pro tempore fiunt, firmitate ſcripturarum expediunt roborari.

Noverint igitur universi, quod *Heinricus a)* vicedominus de *Flumins*, cum diversa et gravia damna intulerit nobis et ecclesiæ Curiensi, ſcilicet ſervitia debita non ſolvendo, ſicut tenebatur, census debitos retinendo, iura hominum et ecclesiæ nostræ diverso modo infringendo; zelo pietatis et ſpiritu compunctionis inductus, castrum *Flumins b)* et totum montem cum ſuis pertinentiis, ſanus, ſana mente, libere non coactus dedit ſanctæ Dei genitrici Mariæ, patronæ ecclesiæ Curiensis; omni iuri, quod in prædictis habuit, vel habere ſe credidit, penitus renunciando, et omnia feuda ſua, quæ ab ecclesia Curiensi habuit, in nostras manus totaliter resignavit, domina *Adilhaida* uxore ſua præsente pariter et consentiente.

Nos autem dictum castrum cum ſuis pertinentiis, et omnia feuda, quæ nobis resignaverat, concessimus titulo feudi vicedomino memorato, ut ea possideat quiete tempore vitæ ſuæ, hoc adiecto, ut dicta domina *Adilhaida* uxor eius omnia tempore vitæ ſuæ possideat, quæ ſibi pro dote, quod vulgariter *Libgedinge* dicitur, ſunt deputata, ſed post eius obitum redire debent dicta bona, et cedere ecclesiæ Curiensi. Famulos etiam, videlicet *Hainricum de Convent*, *Heinricum Bruchinum*, *Ioannem* et *Conradum* fratres eiusdem, et *Heinricum de Vallis*, quos libere donavit eclesiæ Curiensi, cum pueris eorundem, et *Ulricum* plebanum de *Flumins*, quorum auxilio castrum rehabuit, repellere non debet a castro, ſed potius conservare tempore vitæ ſuæ, nec nos, ſive ſuccessores nostri eosdem a castro debemus excludere, ſed in omnibus favorabiliter pertractare. Nec aliquos alios recipere debet ad custodiam castri, nisi homines ecclesiæ nostræ, vel ſuos ſine nostro consilio et voluntate. Nec plures, quam quatuor alienos intromittere infra portam ſecundam, ſub debito præstiti iuramenti, ne castrum, et ipse vicedominus, et prædicti famuli valeant defraudari.

Præfati etiam famuli de voluntate et mandato vicedomini memorati iuraverunt, nos, et nostros homines, et ſuccessores nostros infra castrum recipere, quandocunque duxerimus requirendum, et si, quod absit, dictus vicedominus quocunque modo decesserit, vel captus fuerit; prædictum castrum nobis, ſive nostris ſuccessoribus consignare ſine aliqua contradictione. Nos vero pro ipsius liberatione debemus, et promisimus fideliter laborare ad consilium amicorum ſuorum, quantum tempus ſuppetunt possessiones, excepto quod castrum a manibus nostris non donemus.

Cum autem dictus vicedominus gratam remunerationem per donationem huiusmodi digne recipere mereatur; officium vicedominatus tempore vitæ ſuæ ſibi duximus committendum, cum omni

a) Vicedomini de Flumine, *Flumins*, iidem ſunt ac *Tschudii*; unde hic *Heinricus* in aliqua charta a. 1220. vel certe eius parens, a ſemetipso ſcribitur: *Dictus Schudi vir de Glarus liberæ conditionis.*

b) *Flums*, castrum in comitatu Sarganensi, unde orta arx *Greplang* ſeu *Grappalonga*, quæ hodiedum existit.

iure et consuetudine, ſicut ipse et pater ſuus noscuntur hactenus possedisse, remittendo ei quinquaginta marcas argenti, pro quibus nobis obligaverat officium vicedominatus. Remisimus etiam ei omnia damna et iniurias, quas nobis in bonis et hominibus ecclesiæ nostræ intulit, remittendo census et iura nostra, et etiam ſervitia debita negligendo, ea conditione et pacto, ut nunquam aliqua occasione interveniente, donationem ſive conditionem prædictam circa castrum et feuda in aliquo debeat vel possit infringere vel impedire; et ut castrum prædictum *Flumins* nobis et nostris hominibus, et nostris ſuccessoribus ſemper pateat et aperiatur in omnibus nostris necessitatibus et agendis: et nos ſibi versa vice præstare debemus auxilium et defensionem.

Sane si prædictus vicedominus ex præfata domina *Adilhaida* uxore ſua filios vel filias procreaverit, ſuccedere debent in debitam hæreditatem; et si filium procreaverit, ille filius ſatisfacere debet nobis, ſive nostris ſuccessoribus pro quinquaginta marcis argenti, pro quibus nobis officium vicedominatus obligatum fuit. De aliis vero damnis et iniuriis nobis et ecclesiæ nostræ usque ad diem præsentis donationis illatis, et de decimis et aliis bonis debet ſatisfacere ſecundum iustitiam, vel amicabilem compositionem: adiecto tamen, ut in continenti bona et iura ad officium vicedominatus pertinentia a feudis et aliis ſuis possessionibus distinguantur. Cæterum si necessitate famis, vel alterius legitimæ necessitatis causa compulsus, unum, vel duos mansus ad plus, vendere voluerit, nobis dare debet et exhibere, si voluerimus comparare; ſin autem licentiatus a nobis, vendere potest alibi, quanto carius potest. Si vero a castro et bonis aliis cedere voluerit, ipso veniente pecuniam ſibi dare debemus, ſive concambium, ſicut duo ex illis, qui ſunt ex parte nostra inferius nominati, iurati duxerint arbitrandum, considerato et cognito iure et ſtatu, et omnibus circumstantiis utriusque partis.

Ex parte nostra nominati ſunt: *B. c*) præpositus maior, *Arnoldus* de Liebecke *d*), *Eberhardus* ſcriba canonici Curienses. *O. e*) præpositus ſancti Lucii. *E.* Boemus et *R.* de Estans milites. Ex parte vero vicedomini nominati ſunt: *Henricus* de Werdecke, *Henricus* de Beronecke, *Ulricus* plebanus de Flumins, *Udalricus* de Kaphinstaine, *Rudolfus* de Flumins et *Hermannus* de Pradelle. Demum ſæpe dictus *Henricus* vicedominus corporale præstitit iuramentum, omnia præmissa in omni parte fideliter attendere, et conservare, nec ulla unquam arte vel ingenio contravenire. Testes, qui interfuerunt: Dominus *B.* præpositus maior, et *Eberhardus* canonicus Curien. *Udalricus* plebanus de Flumins, *Waltherus* de Pludins et *R.* de Flumins milites. *Heinricus* de Convent, *Hainricus* dictus *Bruchi*, et fratres ſui *Ioannes* et *Conradus*, *Hainricus* de Vallis, et alii quam plures.

Ut autem omnia prædicta debitæ firmitatis robur ſemper obtineant, præsens ſcriptum ſigillo nostro et capituli nostri, et etiam ipsius *Hainrici* vicedomini placuit in testimonium roborari. Acta ſunt hæc in castro *Flumins* anno Domini millesimo ducentesimo XLVIIII. VIII. Idus Iunii VII. Indictione. Super hiis duo facta ſunt instrumenta: unum nobis ſervavimus, reliquum dedimus vicedomino ſæpe dicto *f*).

c) Existimem esse *Bertholdum*, qui ante quinquennium adhuc custos Curiensis reperitur apud *Herrgottum* genealog. Habsb. diplom. T. II. P. I. p. 277.

d) *Arnoldus de Liebeck* antea erat parochus in Schönnis, qualis legitur a. 1237. apud *Herrgott.* l. c. p. 253.

e) S. Lucii præpositus tunc erat *Heinricus*, unde in apographo litt. O. litt. H. male ſubstituta fuit.

f) Ex charta, quam edidit *Iselinus* in chronico *Tschudiano* ad a. 1220. familia *Tschudiana* paullisper illustratur; ibi enim legitur *Heinricus* proavus, *Ioannes* avus, *Rudolphus* pater, *Heinricus* filius dictus *Schude*, qui fuit pater *Heinrici*, quocum egit in nostra charta *Volcardus* ep. Curiens. Accepit autem iunior hic *Heinricus*, teste charta *Iseliana*, vicedominatum de *Flums* a patre ſuo a. 1220.

LXXV.

EUPHEMIÆ *de Bichelnsee* abbatiſſæ in *Schænnis* contractus de bonis in *Mose* cum *Hugone* equite initus anno 1252 *a*).

Ex Msc. Tſchudii Angelomontanis.

In demo Namin vnsirs Herrin. Ich Ebtissa OFMIA von *Schänis*, von *Bichilnse* genant, kunde dt allen, dü nu ſint, alda hernach komin ſun, mit dirre Scripht; dc Her *Huc* von Schänis der Rietier dc Guot zi *Mosin* hat gewunin von demo Gotishus, diewil vatz er läbeti, vnd danne dc Gut zi Mosi demo Gotishus ledic ſoll ſin. Darunter wart er ſich ſit ſelbin batz irkennite, vnd offinoti er deselbe uf demo Chore ze Schenis vor allen vnseren Frowon, dc ditz alles war si, vnde fürbatz me tet er durch ſiener Sele willen intze ſich ufin den Alter mines Herrin Sancti Sebastiani, des Gutis ze *Mose*, vnde der Vogetege an demoselbin Gute; vnd empfi er es wider von mir vmbe ein Zins, vntz er läbiti; das was gerlic ein Kapi. Vnde ſwer er — iner äre, dc dc Gut zi Mose vnde dü Vogitege dem Gotishus lidic wärin von imo, vnde von allen ſinen Erben, die er do hat, alda imir günin ſold.

Dis gäschac nach vnsirs Herrin Giburt übir tusent Jar, vnde zweihundirt Jar, vnde zwei, vnde ſphuzin Jar. Ditz ſint dü Gizüge, die diz ſan, vnde horton: Der Lüpriester von ſanti Gallin Her Oelrich; der Lüpriester Her Heinrich, der was von *Boswil*; der Aman von *Windeche*; Meister Huc von Steige; Her Conrat der Aman, vnde ſin Bruder; Her Heinrich vnd Her Diethelm ſine Bruder von *Kaltebrunin*; vnd Berchtold an demo *Büle*; vnd Vlrich an dem *Bach b*); vnde der Zolner, vnde Pfennli, vnde dü Sicristin bedo Heinrich, vnde Heinrich, vnde andir genuge.

a) Charta hæc, propter idioma, rarioribus adnummeranda; ſimilem edidit *Herrgott* genealog. Habsb. diplom. T. II. P. I. p. 252. Noſtræ, quam heic ſiſtimus, interpretationem, quoad ſenſum ſaltem, quum hinc inde verba aliqua deesse videantur, ſubiungimus:

„In dem Namen unsers Herrn. Ich Abbtissin *EUPHEMIA* von Schänis, von Bichelnsee genant, künde allen denen, die nun (*itzt*) ſind, oder hernach komen ſollen, (*an*,) mit dieser Schriſt; daſs Herr *Hug* von Schänis der Ritter das Gut zu Mosin von dem Gotteshaus gewonnen (*bekommen*) hat, ſo lang er lebte, und dann das Gut zu Mosen dem Gotteshaus ledig ſeyn ſolle. Hiezu hat er ſich ſeither wohl verstanden, und er bekente daſselbe ofentlich auf dem Chor zu Schänis vor allen unsern Frauen, daſs alles dieses wahr ſeye; er that ſogar auf dem Altar meines Herrn des Heil. Sebastian verzicht auf das Gut zu Mosen, und auf die Vogtey dieses Gutes, und er empfieng es wider von mir um einen Zins, ſo lang er leben würde: das war järlich ein Kapaun. Und er ſchwur bey ſeiner Ehre, daſs das Gut zu Mose und die Vogtey dem Gottshaus ledig wären von ihm, und von allen ſeinen Erben, die er wirklich hat, oder noch immer bekomen ſollte. Das geschahe nach unsers Herrn Geburt 1252. Jahr. Diese ſind die Zeügen, die dieses ſahen und hörten: Der Leütpriester etc. etc."

b) Loca ſunt *Boſsweil*, *Windegg*, *Kaltbrunn*. An dem *Buel*, an dem *Bach* ſuut familiæ antiquæ, de quibus consul. *Leo* Tigur. Helv. Lexic.

LXXVI.

Inscriptiones quorumdam psalmorum antiquæ ex Psalterio Msc. Fabariensi *a*).

Lis den zwelf Boten, daz si dir helfen umbe *b*) Gott. *Cœli ennarrant gloriam Dei etc.*

Lis dime Brister, ſo er ſpreche *Orate*. Lis in allen Ewarten *c*), ſo wirstu ir Misse tailursach. *Exaudiat te Dominus in die etc.*

a) Fragmentum hoc idiomatis gratia hic loci adponendum duximus, quum ſaltem medio ſec. XIII. confectum videatur.
b) Umbe, *vor*, *bey*. *c*) Forsan: *Lies ihn allen Gegenwärtigen.*

Lis den vnsers Herren Martyr, wan er in ſelbe ſprach, do er an deme Cruce irstarb. *Deus meus respice in me, quare me dereliquisti etc.*

Lis den die Karrine *d*) vaste. *Dominus regit me etc.*

Den Salmen ſprich vnserem, do er die Helle zerbrach; den ſprich du darumbe, daz du der Helle uberwerde *e*). *Domini est terra et plenitudo eius etc.*

Lis den fvr dine Svnde in dir ſtillvn Misse, vnde cum an dinv Kni *f*) ze deme Verse: *Delicta etc.* Daz ist gut umbe alle Not. *Ad te Domine levavi animam meam etc.*

Den ſprich, ſo du erst in ein Kilchen geist, vnd du vor dime Alter ſteist *g*). *Iudica me Domine, quoniam etc.*

Sprich din vnsirs Martir *h*), lis in och, ſo dich bosir Dinge gezeme dich der Tievil *i*), dime Engele geneme. *Dominus illuminatio mea etc.*

Den ſprich, daz dis Tievil Wille niemir an mir werde anmir irfvllit *k*). *Ad te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas a me.*

Sprich dem hailigen Gaste, lis in och, ſo er zevil regene. *Afferte Domino filii Dei etc.*

Den lis, daz dich Gott nit verdamene in ſime Zorne. *Exaltabo te Domine, quoniam ſuscepisti me etc.*

Sprich den Salmen, daz dich Got behute vor hobethaftigen Svndon, vn vor weltlichen Scandon *l*). Lis in och Scte Nicolae umbe din Ere. Er ist och vnsers Herren Martir, er ſprach in ſelbe vnze an din Vers *m*): *In manus tuas etc.* *In Te Domine ſperavi etc.*

Den ſprich vmbe dine Svnde. *Beati quorum remissæ ſunt iniq. etc.*

Lis den Salmen allen Heiligen zhelobe vnde zheron *n*), daz si dir behalten Lib vnd Sele. *Exultate iusti in Domino etc.*

Sprich den zwelf Boton *o*), daz si dir helfen vmbe Got. *Benedicam Dominum in omni tempore etc.*

Sprich dis Tages, ſo dv din fvllest vasten, daz Got din Vaste gename si. *Iudica Domine nocentes me etc.*

Sprich din Lvte, di in Vizen *p*); si aber dir Sele disen Salmen alle Tage. *Dixit iniustus, ut delinquat etc.*

Sprich de Lvten, die zi Vrteilde ſvlvn gan *q*). *Noli æmulari in malignantibus etc.*

So dv ze Bichte chomest diner Scvldon, vn dv vergeiſsest dir Bvze; ſo gewin mit diseme Salmen Gotes Hulde. *Domine ne in furore tuo arguas etc.*

Sprich, ſo dv groze Angeste habest; daz dich Got lose von alle Mesere *r*). *Expectans expectavi etc.*

Sprich din Siechen. *Beatus qui intelligit ſuper etc.*

Sprich, ſo ein Mensche an deme Tode lige, vn goter Sinne nit habi: bitte Got, daz er im gebe Sin vn gvte Gelovbe *s*). *Quemadmodum desiderat etc.*

Sprich, ſo dv in die Kilchen gest, vnd vor dem Alter ſteist. *Iudica me Deus, et discerne etc.*

d) Idem ac *Quadragena*: 40tägige Fasten. *e*) Entgehest, überwindest. *f*) *Cum an dinv Kni*: Komm auf deine Knie; knie nieder. *g*) So du in eine Kirche gehst, und vor dem Altar ſtehst.
h) Unsers Herrn Leiden. *i*) Auch dem guten Engel, ſo dich der Teufel zu bösen Dingen reizt.
k) Daſs des Teufels Wille nie mehr an mir erfüllet werde. *l*) Daſs dich Gott behüte vor öffentlichen Sünden und Schande. *m*) Er ſprach ihn ſelbst unten bey dem Vers.
n) Allen Heiligen zum Lobe und zur Ehre. *o*) Den zwölf Bothen, Aposteln.
p) Wiſsen. *q*) Richter und Räthe. *r*) A Miseria, Trübsal. *s*) Verstand und guten Glauben.

Den ſprich vber Togenot *t*), daz iſt der Salme, den Dauid vber ſine Svnde ſprach, unz in Got irhorte, daz er in becherte. *Deus auribus noſtris audivimus etc.*

Lis vnser Frovwen vmbe dine Geburt. *Eructavit cor meum etc.*

So din lieber Friunt vber Mere welle faren; ſo lis diſen Salmen alle Tage. *Deus noſter refugium etc.*

Den ſprich vnsirs Heren Vfferte *u*). *Omnes gentes plaudite manibus etc.*

Den ſprich, ſo dv dine Bichte getouſt; lis in och dim heiligen Geiste. *Magnus Dominus et laudab. etc.*

So dv habeiſt ein weltlichen Frivnt, deme ſprich diſen Salmen, daz im Got gebe ſin Willtum *w*). *Audite hæc omnes gentes etc.*

Sprich in Adventu Domini. *Deus deorum Dominus locutus eſt etc.*

Sprich, daz dich Got bechere von dinen Svndon, lis die drie Miſerere vmbe ſwen dv welleſt, ſi ſint nvze Manhen vnd Wiben zhe Sele vnd ze Libe. *Miſerere mei Deus, ſecundum etc.*

So din lieber Frivnt werde gefangen, ſo lis diſen Salmen.

Den ſprich, daz dich Got loſe von ſuntlichen Bandin. et cæt.

t) Heimliche Noth; nam *Togen* idem ac celare. *u*) Auffahrt, Himmelfahrt. *w*) Erfüllung ſeines Willens.

LXXVII.

HENRICUS de Monte forti epiſcopus Curienſis monaſterio Montis S. Mariæ donat eccleſiam parochialem in *Paſſyra*, die 21. Mart. anno 1259.

Ex apographo Mariæmontano.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nos HENRICUS Dei gratia Curienſis electus omnibus et ſingulis præſens ſcriptum intuentibus rem geſtam. Dignum eſt, et opus continet pietatis, quod divinis officiis Ieſu Chriſto iugiter famulantes non ſolum in futuro, verum etiam in præſenti ſuſtentationem recipiant pro labore, per quam commodius fatigata corpora recreentur, et valeant reperiri ad ſolvendas ſuo creatori laudes debitas promptiores.

Venerabilis igitur BERONIS abbatis et conventus monaſterii Montis S. Mariæ ordinis S. Benedicti Curienſis diœceſis, Deo famulantium in laboribus, et erumpentibus precibus inclinati, volentes eisdem gratiam facere ſpecialem, cum deliberatione capituli noſtri, eccleſiam parochialem de *Paſſyra a*) dictæ diœceſis, cuius ius memoratum monaſterium obtinet patronatus, cum dono altaris, quod ad nos, et noſtram eccleſiam pertinebat, dicto abbati et conventui, atque eorum ſucceſſoribus donamus perpetuo poſſidendam, ſalvo tamen iure in omnibus aliis diœceſani, ut fulti ipſius emolumento, Domino poſſint liberius famulari. Adiicientes, quod per ſufficientem perſonam eorum collegii, vel aliam, ſicut expedit, in dicta eccleſia divina officia, prout hactenus conſuetum fuerat, ſine ſubtractione miniſtrentur.

Acta ſunt hæc in caſtro *Curberg b*) anno Domini M.CC.LVIIII. XII. Calendas Aprilis, indictione II. Præſentibus *Hermanno* præpoſito S. Valentini *c*), *Ioanne* præpoſito Monaſterii, *Nicolao* ſacerdote de Schluderns, *Friderico* milite dicto Bellefor, *Gerardo* de Montfort, *Philippo* de

a) *Paſſeyr* nomen habet ab amne *Paſſer* haud procul Merano. *b*) *Churberg* arx ſupra Schluderium, *Schluderns*.

c) Ergo tunc temporis ea in regione erat *S. Valentini* præpoſitura.

Glurns, et aliis quoque pluribus. Ut autem hæc donatio robur obtineat firmitatis, præsens inſtrumentum nostri ſigilli munimine placuit roborari. Datum per manum *Rudolphi* archidiaconi ſupra Silvam *d*), et notarii Curiensis.

d) Sic hodiedum vocatur capitulum rhæticum in Fœdere griseo circa Rhenum anteriorem.

LXXVIII.

Concambium inter *S. Lucii* et *Curwaldensem* præpositos die 14. Aprilis anno 1263.

Ex archivo Benedurano Lit. E. N. 4.

Sciant omnes tam præsentes quam futuri, quod ego I. *a*) præpositus et conventus *S. Lucii* communicato consilio cum præposito B. *b*) et conventu de *Curwalde* nullo reclamante, ſed omnibus unanimiter consencientibus in quoddam concambium convenimus: videlicet, quod nos dicto præposito et conventui de *Curwalde* viam novem pedum latam per agrum nostrum liberaliter contulimus, ita ut, si necesse fuerit, ex una parte vie ſemper ſepem faciamus; et ut præpositus et conventus de *Curwalde* ex altera parte vie ſepem ſemper facere teneantur. Præpositus vero et conventus de *Curwalde* in concambium et recompensacionem memorate vie quemdam agrum iacentem inter agros nostros apud *Malsans* ſine contradictione contulerunt.

Acta ſunt hec anno Domini M.CC.LXIII. XIV. die intrante Aprilli, in præsentia testium videlicet *Wernheri* de Bewrge, *Victoris* de Flasch villici etc. etc. In ſignum huius concambii, nostri et præpositi de *Curwalde* ſigillis fecimus præsens ſcriptum roborari.

a) *Ioannes I.* *b*) *Bertholdus I.*

LXXIX.

Heinricus episcopus Curiensis monasterio S. Ioannis in *Thurthal* donat capellam in *Calcheren* die 9. Decemb. anno 1265.

Ex collection. Msc. Halleriana T. 40. p. 783.

Henricus Dei gratia Curiensis electus universis hanc litteram inspecturis ſalutem in perpetuum. Cum ex officio pastorali omnibus ecclesiis, ac ſervis Christi ſibi devote famulantibus pio affectu ſubvenire debeamus; ad dilectos in Christo abbatem et conventum monasterii *S. Iohannis* in *Turthal a*) oculis misericordiæ respicientes, paupertati eorum, ex ipsorum devotione, manum intendimus porrigere karitatis. Hinc noverit præsens ætas, et futura posteritas, quod nos cum communi consensu et consilio nostri capituli capellam in *Calcherun b*), quæ ex antiquis temporibus ad collationem dictorum abbatis et conventus ſpectare dinoscebatur, contulimus propter Deum, gratia ſpeciali eos prævenire volentes, ita quod redditus dictæ capellæ ad mensam abbatis et fratrum in posterum redundent, et ipsi dictos redditus percipiant pacifice et quiete.

Insuper gratiam huiusmodi eis amplificare desiderantes, damus eis facultatem instituendi vicarium dictæ capellæ, unum ex fratribus, quem voluerint, idoneum; ſalvo iure diœcesani. Et ne

a) Hæc abbatia modo S. Gallensi unita est. *b*) Ubinam ſita ſit hæc capella nolim definire, *Leo* Tigurin. voce *S. Iohan* ſcribit, *Kalchern* in regione Veldkirchensi hac charta donari; ast ibi locus huius nominis mihi ignotus. Dicerem esse *Kalchrein* in Thurgovia, ubi parthenium est, nisi extra ditionem episcopi Curiensis iaceret.

præſens gratia dictis abbati et fratribus a nobis facta, in poſterum a ſucceſſoribus noſtris, vel a quoquam infringatur, vel aliquatenus irritetur, præſentem paginam ſigillorum noſtrorum munimine roboratam eis contulimus, et ad certam rei firmitatem, ſæpe dictam gratiam dictis ſigillis fideliter munimus.

Acta ſunt hæc in choro *Curienſi* anno gratiæ M.CC.LXV. quinto Idus Decembris, die Mercurii, nona die, intrante eodem indictionis nonæ. Præſentibus teſtibus magiſtro *Volrico* decano Curienſi. Domino *Bur.* præpoſito ibidem. Domino *Arnoldo* de Libec canonico dictæ eccleſiæ, et aliis canonicis. Domino *Conrado* milite de Buchberg, *Sifrido* advocato, *Burchardo* dicto Balf, et aliis quam pluribus.

LXXX.

Formulæ oblationis *Devotorum* S. Benedicti apud monaſterium Deſertinenſe *a)* anno circiter 1267.

Ex vetuſta membrana Deſertinenſi.

I. Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod ego *Volricus* de Fopa tradidi filiam meam *Iudentam* S. Benedicto cum duobus ſolidis mercedis in *Aquila*, qui dicitur *Aldenga* pro remedio animæ ſuæ, ac omnium parentum ſuorum, et ipſa *Iudenta* ſerviat ibi Deo et S. Benedicto omnibus diebus vitæ ſuæ, et poſt obitum ſuum poſſideat capella *b)*, et omnes ibi Deo famulantes ſupradictam *Aquilam* pacifice et quiete.

II. Notum ſit omnibus præſentibus et futuris, quod ego *Henricus Druncal* contuli meipſum et uxorem meam *Bertam* et filium meum *Wilhelmum* ſuper aram S. Benedicti cum omnibus pertinenciis meis, domum pratos et agros, quæ ſiti ſunt in *Runcal*, et in *Gravinus*; et omnia mobilia et immobilia, quæ illa die poſſidebam, ſana mente et bona voluntate, ita ut nos habeamus neceſſaria de ſupradicta capella.

Et hæc acta ſunt in capella S. Benedicti in præſencia *Mauricii* plebani de Summovico et fratris ſui *Alberti* et *Munic* ſuper caſtello, et filius ſuus *Iohannes*, et *Bertoldus* filius *Paſcual*, et alii quam plures *c)*.

a) De hoc inſtituto *Devotorum*, quod originem debet *Heinrico* abbati, egimus in hiſt. Deſertin. ad a. 1267.
b) Nimirum ſacellum S. Benedicti in Summovico, *Sonvix*, ubi *Devoti* iſti una habitabant.
c) Ad finem utriusque formulæ conſpicitur ſignum in formam crucis criſpatæ, iuxta S. Regulam cap. 58: *Si novitius non ſcit litteras, alter ab eo rogatus ſcribat, et ille novitius ſignum faciat.*

LXXXI.

Henricus episcopus Curienſis decidit litem de quibusdam bonis in *Vatio* inferiore pro Ioanne S. Lucii præpoſito contra *Wilhelmum* de Ragatio die 28. Aprilis anno 1270.

Ex archivo Benedurano Lit. E. N. 5.

H. Dei gratia epiſcopus Curienſis univerſis preſens ſcriptum intuentibus ſalutem in Domino. Noverint univerſi, et ad notitiam perveniat ſingulorum, quod, cum in cauſa, quæ vertebatur in-

ter venerabilem virum domnum IOHANNEM præpoſitum *S. Lucii* et conventum ex una parte, et *Wilhelmum* de *Regaz a*) ex altera ſuper quibusdam bonis pertinentibus ad monaſterium *S. Lucii*, ſitis apud *Vaz inferius b*), memoratus dominus præpoſitus in termino ei aſſignato ad teſtes in dicta cauſa producendos, hos teſtes produxit, videlicet villicum *C.* de Cizurs, *Vlricum* Celt de Cizurs, *Hermannum*, *Heinricum* filium *Wernheri*, *Olricum* iuniorem, *Albertum* filium *Waltheri*, villicum *Ioannem* de Vetan, *Burchardum* ſutorem, *Swikerum* de Vineas planas, *Stephanum* de Fintias, *Mimoum* de Vaz. Qui teſtes unacum prædicto domino præpoſito eorum ſacramento corporaliter præſtito coram nobis et iudicibus dixerunt, dicta bona ad monaſterium *S. Lucii* pertinere, et eum in poſſeſſione fuiſſe 30. annis et ultra bonorum ſuperius prædictorum.

Eapropter nos iuris regula exigente, prudentum virorum habito conſilio, definitione pronunciamus, ſæpe dictum præpoſitum in poſſeſſionem dictorum bonorum induci, et etiam ipſum et conventum in poſſeſſionem induximus corporalem.

Acta ſunt hec *Curie* ante monaſterium S. Marie *c*) coram nobis et iudicibus domino *Wa. de Nuwenburg*, *C. de Monteforti*, canonicis Curienſibus; domino *C. de Fillaunes*, domino *E. Fillingo*, ſacerdotibus; *Olrico de Wineck*, *Wernhero de Beuoroa*, *Henrico de Dankes*, *Arnoldo Murlino*, *R. Rabazusa*, et aliis quam pluribus. Anno Domini M.CC.LXX. proxima die Lune post *Miſericordia Domini d*). Ut autem hec robur firmitatis optineant, preſens ſcriptum ſigillo noſtro fecimus roborari.

a) Ragatium, *Ragaz*, in planitie infra Fabariam ad torrentem Tamingam.
b) *Untervaz* ad ſiniſtram Rheni in regione 4. pagorum.
c) Hoc eſt ante templum cathedrale, nam ſueta phraſi maiores baſilicæ *monaſteria*, *Münſter*, vocabantur.
d) *Miſericordia* eſt Dominica II. poſt Paſcha, incidens hoc anno in diem 27. Apr. unde ſubſequens dies Lunæ eſt 28. eiusd.

LXXXII.

Conſtitutiones CONRADI episcopi et capituli Curienſis die 17. Maii a. 1273.

Ex autographo, quod aſſervatur apud DD. lib. Baron. de Ruplin canonic. et cuſtodem Curienſis eccleſiæ.

In nomine Domini amen. Anno Domini M.CC.LXXIII. XVI. Kal. Iunii, indictione I. Quoniam, ut ait ſcriptura, omnium habere memoriam et nullius obliviſci potius eſt divinitatis, quam humanitatis; et ne geſta in tempore, ſimul cum tempore dilabantur: neceſſe eſt, ut, que inter homines aguntur, ſcripture teſtimonio eternentur.

Notum ſit igitur preſentibus, et ad notitiam perveniat futurorum, quod nos CONRADUS Dei gratia electus Curienſis ex compromiſſo a toto capitulo in nos et diſcretos viros *Eberhardum* decanum, *Iacobum* cuſtodem, *Fridericum* de Monteforti iuniorem, *Alberonem* de Monteforti canonicos Curienſes facto, propter augmentum divinorum miſteriorum, et ad ſupplementum defectus divini cultus; volentes utilitati eccleſie providere, et indempnitati eccleſie conſulere, ac confratrum omnium antedicti capituli communicato conſilio, et de eorum communi conſenſu, diligenti deliberatione habita, hec ordinamus et ſtatuimus, et ſtatuta ſervari volumus inconcuſſa; nulla enim ratio permittit, ut quod pro communi utilitate datum eſſe dinoſcitur, propriis cuiusquam uſibus applicetur: nam in tantum quorumdam ambitio proceſſit, quod Curienſes canonici vite ſuſtentationem habere non poterant, nec prebendarum ſuarum proventibus ſuſtentari. Nam dig-

M 2

num est, ut qui ad honus eligitur, repelli non debeat a mercede, et qui altari ſervit, de altari vivere debet, prout requirit ratio, et desiderat ordo iuris.

Primo enim ſtatuimus, ut prebende absentium presentibus tribuantur, ita ut cuilibet presenti dentur cottidie duo panes, unus in prandio, et unus in cena, tante quantitatis, ut XXX. panes compleant duo quartalia frumenti puriſſimi Curien. mensure; et duo pocula boni vini huius terre, unum in prandio, et unum in cena *a*), quorum octo compleant galletam unam Curiensis mensure. Hoc adiecto, quod annuatim de predictis prebendis absentium V. libre mercedis recipiantur per prepositum, qui pro tempore fuerit, aut eius ministrum, medietas in ordeo, et alia medietas in proventibus quibuscunque, et per ipsum apud prepositum *S. Lucii*, qui pro tempore fuerit, deponantur, quousque de communi consensu, vel maioris partis presentium, in utilitatem ecclesie convertantur.

Preterea ſtatuimus et ordinamus, quod redditus ſecundi anni prebende vacature cuiuscunque in usus predicte ecclesie ſeu capituli per prepositum *S. Lucii*, exceptis cottidianis distributionibus conserventur *b*).

Item ſtatuimus et ordinamus, ut qui ad Matutinas ante principium primi Nocturni non venerit, et ibi a principio usque ad finem non perseveraverit, nisi de licentia decani, vel ſui vicarii ex legitima causa exiverit, illa die careat ambobus poculis vini: et qui ad Miſſam ante *Kiriel c*) non venerit, et ibi a principio usque ad finem non perseveraverit, nisi de licentia decani aut ſui vicarii ex legitima causa exiverit, careat alio pane; et qui ad Vesperas ante primum psalmum non venerit, et ibi usque ad finem completorii non perseveraverit, nisi de licentia decani vel eius vicarii exiverit, careat alio pane: et hoc intellige ex legitima causa, nisi propter legitimam infirmitatem, naturalem aut valitudinariam, aut aliam legitimam causam, videlicet minutionem aut captivitatem impediatur.

Statuimus etiam, ut recedentibus ex legitima causa, de licentia decani, aut eius vicarii, qui pro tempore fuerit, tribus diebus post eorum recessum, eis tanquam presentibus in cottidianis distributionibus ministretur.

Ordinamus etiam et ſtatuimus, ut ſtudentibus in ſcholis, in theologia ſolummodo, et duobus capellanis domini episcopi, qui pro tempore fuerint, qnamdiu cum eodem episcopo commorantur, et non alibi, nisi per eundem episcopum ad alia loca mittantur, exceptis cottidianis distributionibus, distribuantur, tanquam presentibus, nisi per diœcesanum, vel decanum cum consensu capituli revocati fuerint hii, qui in ſcholis tunc temporis commorantur, et eis in hoc neglexerint obedire *d*).

Item ſtatuimus, ut quicunque prepositus, vel minister, aut cellerarius pro tempore fuerit, nichil ratione officii de cottidianis distributionibus, nisi census antiquos ſolummodo eisdem ſecundum antiquam consuetudinem deputatos (*accipiant*). Insuper ſtatuimus, ut quicunque canonicorum aliquos census acceperit, vel accipi procuraverit ſine licentia ministri, qui pro tempore fuerit, et admonitus a ministro infra VIII. dies non restituerit, post mensem duplum restituere te-

a) Hic locus comprobat, canonicos Curienses tunc temporis usos fuisse mensa communi, ſicut in monasteriis, præsertim cum infra cellerarii mentio fiat.

b) Ecclesiæ paupertas eiusmodi provisionem necessariam reddiderat.

c) *Kyrie eleeson.*

d) Hoc proin tempore nulla Curiæ ſchola viguit, quum necessarium fuerit, iuniores canonicos alio pro addiscenda theologia transmittere. Poterant tamen pro episcopi lubitu revocari.

neatur; quod ſi non fecerit, noscat, ſe ab VIII. diebus in antea ſuspenſum esse ab officio et beneficio prebendali. Et ſi in contumacia ſua per alium menſem proximum perduraverit, in beneficia ſua feratur ſententia interdicti per episcopum vel decanum.

Statuimus etiam et ordinamus, ut quicunque in canonicum eligitur, antequam ei fructus prebende ſue administrentur, extimationem unius marce pro una *Capa e*) teneatur in ſecretario *f*) consignare. Item ſtatuimus, ut quicunque canonicorum tabernas intraverit, X. ſol. mezanorum, V. accusatori, et V. ad communes usus ſolvere teneatur; quod ſi non fecerit, admonitus per decanum, aut eius vicarium ministrum, qui pro tempore fuerit, de fructibus prebende ſue duplum ſolvere teneatur.

Preterea ſtatuimus, ut prepositus, qui pro tempore fuerit, nullas locationes faciat ſine consilio et consensu VI. canonicorum ad minus, quos capitulum ad hoc deputaverit; quod ſi ſecus fecerit, ab administratione preposíture ipso facto ſuspensus ſit, quousque, quod ſecus factum fuerit, per ipsum retractatum ſit, nichil de fructibus prebende ſue medio tempore recepturus.

Ordinamus preterea et ſtatuimus, quod, dum in coro canitur Missa maior, nullus in monasterio *g*) interim Missam aliam legere audeat vel cantare: et quod ebdomadarii ecclesie cathedralis, et prebendarii S. Crucis, aut eorum vicarii, cum infra muros civitatis fuerint, omni fraude remota, oris omnibus debeant interesse: et ſi per ipsos ebdomadarios Missa in coro fuerit neglecta, ſi fuerit ſacerdos, in X. ſolid. mezanorum, diaconus in V. ſubdiaconus in III. ſolid. puniantur, quos prepositus, vel minister eius, de eorum proventibus exigere teneatur.

Item ſtatuimus, quod ſi capitulum viderit aliquos redditus capituli indebite locatos, requisito preposito per decanum vice ſanioris partis capituli, nos, vel nostri ſuccessores, ſi interesse poterimus, vel qui pro tempore fuerit decanus, nomine ſanioris partis capituli, licet preposito absente aut contradicente, antedictos redditus augmentare. Volumus etiam et ſtatuimus, ut ſervitia, que per circulum anni canonicis debentur, ſecundum antiquam consuetudinem actenus observatam, inter canonicos dividantur.

Statuimus etiam, ut ſi quis canonicorum requisitus per episcopum, ſi interesse potuerit, aut decanum, ut ad convocationem veniat, et usque ad tertiam pulsationem campane venire contempserit, ei cottidiane distributiones per VII. dies proxime ſequentes penitus ſubtrahantur, et in communes usus aliorum fratrum distribuantur, niſi legitima causa fuerit impeditus, et de predicto impedimento decano, qui pro tempore fuerit, plenam fidem facere teneatur, et quicquid ibidem a maiori et ſaniori parte capituli ſtatutum et ordinatum fuerit, ratum et firmum nichilominus habeatur.

Insuper ſtatuimus, ut beneficia claustralia *h*) nulli, niſi canonicis, conferantur, ita quod unum uni, et non amplius, conferatur; quod ſi ſecus factum fuerit, irritum et cassum penitus habeatur: et ſi admonitus ſe non correxerit, per maiorem partem capituli antedictum beneficium claustrale canonicis conferatur.

e) *Capa* intelligitur vestis talaris, qua in officio divino utebantur canonici.

f) *Secretarium* est locus, ubi vestes et res ſacræ adservantur, *Sacriſtia*.

g) *Monaſterium* hic ſumitur pro navi ecclesiæ, inhibeturque ne ſub missa publica, quæ in presbyterio vel choro celebratur, aliæ missæ privatæ dicantur.

h) Beneficia claustralia intelligimus ea, quæ ecclesiæ cathedrali annexa ſunt, nec alio in loco peragi possunt.

Statuimus etiam, ut minister, qui pro tempore fuerit electus a capitulo et prepoſito, annuatim in feſto S. Galli per circulum anni incipiat diſtribuere vinum et panem ſuperius antedictum *i*). Item ſtatuimus, ut miniſter, qui pro tempore fuerit, ſemper infra XIIII. dies canonicis de eorum proventibus rationem reddere teneatur; et quicunque miniſter pro tempore fuerit, ut bene diſtribuat inter canonicos, et ſecundum equam portionem, det ſufficientem fideiuſſoriam cautionem.

Preterea ſtatuimus, ut quicunque canonicorum preſens eſſe voluerit, et ipſum recedere contigerit, ita quod in eccleſia Curienſi reſidentiam facere noluerit, redditus receptos infra menſem reſtituere teneatur, exceptis cottidianis diſtributionibus, quas, quamdiu preſens fuerat, receperat; et de hoc det ſufficientem fideiuſſoriam cautionem.

Item ſtatuimus et ordinamus, ut nullus niſi ad prebendam vacantem in canonicum eligatur, et quod in ſummis feſtivitatibus, videlicet in Nativitate Domini, in Circumciſione Domini, in Epiphania Domini, in omnibus feſtivitatibus S. Marie, in omnibus feſtivitatibus Apoſtolorum, in feſto Paſce, in Aſcenſione Domini, in feſto Pentecoſtes, in Dedicatione eccleſie kathedralis, in feſto S. Iohannis Baptiſte, in feſtivitatibus SS. Lucii et Florini, in feſto omnium Sanctorum, nullus in coro, niſi canonicus Evangelium aut lectionem legere audeat, vel cantare; et ſi culpa ebdomadariorum hoc neglectum fuerit, eo die cottidianis diſtributionibus careant, et in X. ſol. puniantur, quos prepoſitus, vel miniſter, qui pro tempore fuerint, de eorum proventibus ad communes uſus ſolvere teneantur.

Statuimus etiam, quod ſemper unus edituorum iacere omni nocte in ſecretario teneatur, et ſi legitima admonitione poſthabita in hoc negligentes extiterint, cuſtos, qui pro tempore fuerit, eorum officium conferre alii teneatur infra X. dies, et ſi hoc facere neglexerit, epiſcopus, qui pro tempore fuerit, cui ſibi expedire videbitur, offitium conferat ſupradictum.

Adhec ſtatuimus et ordinamus, ut quilibet canonicorum, ſive ſit in ſacris conſtitutus, ſive non, congruentem coronam et tonſuram deferre teneatur, nec in coro quicquam in capite deferre audeat, niſi biretum aut diaram, que vulgariter *Kuzhuot k*) appellatur; nec interim, cum divina in coro peraguntur, aliquis canonicorum monaſterium aut corum abſque ſuperpelitio, aut capa clauſa intrare preſummat, quod ſi ſecus fuerit attemptatum, quotiens contra predictam conſtitutionem fecerit, totiens in cottidianis diſtributionibus, que ipſum illa die contingerent, puniatur, et ſi tunc temporis cottidiane diſtributiones non darentur, per prepoſitum, vel eius miniſtrum abſque ulla admonitione mulctetur de proventibus aliis prebende ſue in X. ſol. mezanorum.

Item ſtatuimus, ut piſtor, qui pro tempore fuerit, panes ante dictos cum ſtatera equali pondere debeat coequare: et ſi legitime ammonitus in hoc piſtor negligens extiterit, prepoſitus vel miniſter, qui pro tempore fuerit, eius offitium conferre alii debeat, cui ſibi videbitur expedire; et ſi prepoſitus vel miniſter in collatione huiusmodi negligens extiterit, ad epiſcopum talis collatio devolvatur.

Statuimus etiam, ut ſiquis hanc conſtitutionem infringere attemptaverit, quod preſentes canonici ſe de communibus ſumptibus defendere teneantur. Item ſtatuimus et ordinamus, ut prepo-

i) Miniſter idem ac cellerarius eſt, ut proin dubium non ſit, canonicos Curienſes vitam communem tunc ſervaſſe, ſaltem quoad victum; quum ſuos proventus miniſtro ſpecialiter ad id electo adminiſtrandos commiſerint.

k) *Kuz* a *Kutten*, *Kutzen* tegere vel ſcindere; vocatur proin *Kuzhuot* pileus ſectus aut ſciſſus, qualis eſt infula, tiara, aut biretum.

ſitus, miniſter vel cellerarius, qui pro tempore fuerit, de portione negligentium (*poſt*) Matutinas, Miſſam vel Veſperas preſentibus deputata ſemper infra VIII. dies canonicis, et etiam uni ſoli canonicorum, cum requiſierit, rationem reddere teneatur; quod ſi non fecerit, ab officio ſtatim removeatur per epiſcopum vel decanum.

Et ut hec robur firmitatis optineant, preſens ſcriptum hiis ſigillis, videlicet noſtro et capituli, *Friderici* prepoſiti, *Eberhardi* decani, et *Alberonis* cuſtodis fecimus roborari.

LXXXIII.

Refertur ſpoliatio monaſterii Mariæmontani facta die 25. Octob. anno 1274 *a*).

Ex Goſuino Mariæmontano Mſc.

Anno gratiæ M.CC.LXXIIII. VIII. Calendas Novembris, in feſto *Criſpini* et *Criſpiniani* dominus *Swikerus de Reichenberg b*) cum aſſociatis ſibi iniquitatis filiis militibus laicis Tridentinæ, Brixienſis, et Curienſis diœceſis damnificavit eccleſiam montis S. MARIÆ in ſpoliatione ſibi facta. Imprimis 13. boves, 5. tauros, 16. vaccas, iuniores vaccas octo, alia armenta undecim, equos tredecim, aſinos tres, porcos 37. Septem trezas *c*), vomeres duos, lectos novem, pulvinaria ſeptem, carratas integras vini — — — et dimidium, 14. modios, 130. ſiliquas *d*), donegas 676 *e*). Magnum caldarium *f*), tres ollas abſque alia utenſilia domus; ſcoriatas oves 12. duo armenta ſcorticata, linteamina duo nova, coria duo, vaſa quoque, et alia utenſilia minora, quorum mentionem vix facere poſſumus.

Inſuper in ſecunda ſpoliatione, quæ primitus *g*) facta fuit, cum qua interfuit *Henricus de Slus*, oves 170. armenta 37. et duos homines captivaverunt, quos oportebat omnia bona ipſorum totaliter vendere et obligare, ſcilicet propter bona famulorum eccleſiæ, quæ abſtulerunt, de quorum mentionem fecimus in duplo plus, quam eccleſiæ.

Super hac ſpoliatione expendimus tam in Romana curia, quam alibi in terminis datis, et cum executoribus noſtris, ad minus 50. marcas abſque damno, quod adhuc habemus, et habebimus. Inſuper detinet nobis (*Swikerus vel Heinricus*) libras 23. et ſiliquas 23. apud *Türtſch*. Inſuper deſpoliatio amborum fratrum damnificata eſt eccleſiæ annuatim in 700. ſiliquis, in 300. modiis et ultra, in 180. ovibus, in 200. ulnis griſei panni *h*) et ultra, abſque damno famulorum eccleſiæ.

a) Quum annus, quo ſcripta hæc relatio fuit, incertus ſit, illam hoc anno ſiſtere volebamus, quo ea, quæ narrantur, contigerunt.

b) *Swikerus* hic, qui pariter ab *Herrgotto* profertur a. 1268, genuit *Henricum de Reichenberg*, qui ſe ad domum teutonicam in Schlanders tranſtulit, genuitque *Urellum* monaſterio Mariæmontano maxime infenſum. *Ex litt. Mariæmont.*

c) Sub voce *Treza* currus, vehiculum intelligi videtur.

d) *Siliqua* genus monetæ minoris.

e) Per *donegas* ſcriptorem tunicas exprimere voluiſſe reor.

f) Vas æneum maius, Waſſerkeſſel.

g) H. e. nuper, paulo ante.

h) Credibile eſt, monachos Mariæmontanos veſtitu griſeo uſos fuiſſe.

LXXXIV.

Arbitrium Conradi episcopi Curienſis, et Eberhardi de Aſperomonte, in cauſa Fabariam inter et *Heinricum de Wildenberg* dicti monaſterii advocatum a. 1276.

Ex regiſtro Fabarienſi Mſc.

Nos Conradus episcopus Curienſis, et nos Eberhardus de Aſperomonte etc. etc. Abbas et conventus monaſterii Fabarienſis, omneſque homines, ſive miniſteriales, ſive adſcriptitii, ſeu mancipia ſub imperii protectione perpetualiter manebunt; ita tamen, quod abbas ab imperio advocatum ſeu defenſorem accipere, et quamdiu ipsi aut conventui idoneus vel utilis viſus fuerit, aut deſerere, aut retinere poſſit.

Quia monaſterium Fabarienſe ſuam propiam advocatiam, iudicium, bannum, et alias antiquas conſuetudines habet, idcirco nullus publicus iudex in iudiciaria poteſtate conſtitutus, vel quævis alia tam eccleſiaſtica, quam ſecularis perſona invitis monachis aliquam poteſt exercere iuriſdictionem; ſed omnes immunitates, iura, pœnæ, mulctæ, donationes mancipiorum, aut quorumlibet hominum ſusceptiones, elocationes, itemque villarum, coloniarum, feudorum, huobarum, poſſeſſiones cum ſuis iuribus, fructibus, et uſibus, ſicut in præſenti poſſident, præfato monaſterio Fabarienſi et monachis ab imperio conceſſa ſunto.

Omnes et ſinguli advocati ab abbate tunc exiſtente, vel ab imperio conſtituti teneantur monaſterio et monachis debitum ſervitium ac fidelitatem iurare, et firmiter præſtare; itemque monaſterii ſeu advocatiæ privilegia contra violatores tueri, et omnes homines præter miniſteriales, nobiles et officiales ad iura abbatis et reliquorum villicorum cogere, ſanguinis, furti, et latrocinii cauſas, vulgo *Bluetruess*, vice abbatis, quia in his ſe immiſcere non poteſt, nec decet, cognoſcere, et punire, ac deſuper ſuam partem mulctarum ſecundum imperii iura exigere poſſunt ac debent.

Cum advocatus magnum et imperiale iudicium, ſeu *Placitum Maiale a*) cum conſilio abbatis inſtituere debet, tunc ſuper univerſas monaſterii cauſas temporales ius dicere, querelas invicem litigantium audire, immorigeros reddere morigeros, negligentes ad ſolvenda monaſterii debita compellere, ac denique quoscunque rebelles ad obedientiam abbatis reducere, tanquam iudex ab imperio conſtitutus ſine cunctatione hæc omnia in propria perſona præſtare tenetur. In feudis tamen aut in iudiciis gravatos quocunque modo ad cameram abbatis citabit. Advocati autem, quamdiu huic placito præſident, ex culpis et pœnis temerariis more imperii duas partes, abbas vero unam accipient.

Mulieres extra conſortium *b*) monaſterii, et ſine expreſſa voluntate abbatis ſeu conventus nubere præſumentes advocatus ſoli abbati puniendas tradere tenetur. Mulierem vero alicui viro

a) Iudicium *Maiale* hinc dicitur, quod ſingulis annis menſe Maio *Ragatii* publice inſtituatur.

b) Quum agricultura nonniſi ab hominibus propriis ſeu mancipiis exerceretur, curandum fuit, ne illorum numerus decreſceret, hinc eſt, quod integræ familiæ colonorum aut ſeorſum, aut cum villis et prædiis, ad eccleſias devolutæ fuerint dono aut emtione, permutatione etc. etc. Hominum propriorum copia magnam tunc temporis divitiarum partem conſtituebat, horumque labore homines liberi tam eccleſiaſtici quam laici potiſſimum ſuſtentabantur, a quibus quotannis certam frumenti, vini, caſei, lactis etc. etc. copiam percipere conſueverant. Illimitata quoquo vellent, nubendi facultas illorum numerum diminuiſſet. Eapropter ſpecialis cuiusdam amicitiæ et confraternitatis inter monaſteria ſpecies habebatur, conceſſa hominibus propriis viciſſim connubia ineundi licentia, quæ etiam publicis chartis firmari ſolebat.

horum monaſteriorum Diſertinenſis, Curienſis, Scandunenſis *c*), S. Gallenſis, Richenaugienſis, Einſidlenſis; aut eccleſiarum S. Fridolini *d*), SS. Felicis et Regulæ *e*), S. Leodegarii *f*) in connubium traditam nec abbas nec advocatus punire debet; quia eodem iure ſuas mulieres cum noſtris hominibus nubentes impedire aut punire non poſſunt.

Advocatus a noſtris hominibus ubilibet conſtitutis, exceptis miniſterialibus, officialibus, candelariis *g*), hoſpitalariis, baſtardis *h*) et cuſtodibus (in quos omnes qualecunque ius exercere, vel dicere prohibetur) debitam ſteuram de mercede regis ſeu imperatoris exigere, et ſingulis annis abbati tradere tenetur. In venationibus, in ſilvis, in viis et teloniis, in piſcationibus, in inſulis aut aquis, in fredis et paſcuis ſolus abbas diſponere poteſt.

Advocati per totum anni circulum pro ſua iuſta defenſione tertiam partem mulctarum, tam ex iudiciis et cauſis gravioribus, quam ordinariis caſtigationibus et pœnis habebunt; excepto placito *Maiali*, tunc habebit mercedem ab imperio conſtitutam. Sed ſine voluntate abbatis neminem punire poteſt.

Sciendum eſt, quod advocati ſingulis annis circa Ioannis Baptiſtæ natalem de quibusdam curtibus et prædiis, et de bonis in *Freudenberg* accipere debent ſuas oves, poſtquam tertia pars ovium monaſterio expedita fuerit. Item de coloniis in *Ragaz* 50. ſolidos mercedis, id eſt, de mercede regis aliquos modios in grano exigere poſſunt, abſque tamen cenſuum monaſterii defectu.

Tenentur advocati omnes et ſingulos villicos in *Ragaz*, *Meils*, *Tuggen*, *Quarten*, *Münidorf* et *Hedingen*, et in toto comitatu Churwalenſi ad ſervitia et obedientiam abbatis ducere. Itemque omnes monaſterii homines, ſive ſint *Huobarii* ſive *Feudatarii i*), cogere et monere, ut ſua debita ſervitia præſtent, et annuos cenſus in ſolidis mercedis, in panno ſale et grano ſolvant, excepta huoba *Schaſſeur*. Et pro hac depiliga duas partes grani, appretiatæ, et non menſuratæ, id eſt partem caſei et lactis habebunt. Item gallinam carnis privalis aut arvum; niſi abbas aliter iuſſerit et conſtituerit. Item habebunt advocati ſolamen de tribus iugeribus ſub caſtro in cuneo — — —

Denique advocatus pro tempore exiſtens ad omnia iudicia comparere, et ea defendere, aut per ſe, aut ſuos miniſteriales, excepto placito Maii, tunc in propria perſona, uti conſtitutio imperialis habet, monaſterio ius ſuum dicere et conſervare tenetur, et nihil ſine expreſſa voluntate abbatis conſtituere, prout in privilegiis pontificiis et imperatoriis, itemque in rotulis authenticis monaſterii continetur. — Anno 1276.

c) Schönnenſis. *d*) Seckingenſis. *e*) Turegi. *f*) Lucernenſis.

g) Candelarii ſunt, qui neceſſaria pro luminibus alendis ſubminiſtrant, vel candelas in eccleſiam deferunt.

h) Baſtardi, omnes qui ex thoro illegitimo oriuntur.

i) Homines monaſterii, *Gottshausleute*, duplicis generis erant: *liberi*, qui monaſterii feuda tenebant, *Feudatarii*: *mancipia*, *homines proprii*, qui modernorum villicorum ferme modo, monaſterii prædia colebant, *Huobarii*.

LXXXV.

Statutum capituli Curienſis de ſolvenda cappa a quovis canonico in capitulum ſuſcipiendo die 21. Novemb. anno 1282.

Ex archivo episcop. Curienſi.

Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, ad quorum manus præſens ſcriptum pervenerit, quod nos FRIDERICUS *a*) præpoſitus, C. *b*) decanus, totumque eccleſiæ Curienſis capitulum tale inter nos de communi conſenſu pactum ordinavimus et ſtatutum, ut nullus in concanonicum noſtrum imposterum in eccleſia Curienſi recipiendus ad aliquem tractatum capituli noſtri, videlicet ſuper electione episcopi, præpoſiti, decani, canonici, vel alterius negotii cuiuscunque admittatur; ſed per cuſtodem eiuſdem eccleſiæ noſtræ tunc temporis ab ipſo tractatu penitus expellatur et excludatur, donec idem *Cappam c*) unam valentem unam marcam argenti capitulo noſtro perſolvat, ſeu marcham unam nomine et loco ipſius cappæ ſuæ perſolverit et aſſignaverit. Qui ſi ipſa cappa non ſoluta invito cuſtode vellet ipſi tractatui intereſſe, idem tractatus penitus differatur.

Et ſi forte idem futurus concanonicus noſter per ipſum ſtatutum noſtrum ad ſolutionem prædictæ cappæ ſuæ compelli non poſſet; ſtatuimus nihilominus et ordinamus, ut ille, qui tunc pro tempore cuſtos eccleſiæ fuerit Curienſis, poteſtatem liberam habeat et auctoritatem, interdicendi et præcludendi eidem futuro concanonico noſtro adminiſtrationem præbendæ ſuæ, ſeu diſtributionem apud eum, qui tunc pro tempore fuerit miniſter noſter, ſeu concanonicorum noſtrorum diſpenſator, ita ut eidem miniſtro noſtro non liceat coram iudice eccleſiaſtico per contralibellum ullum allegationes aliquas proponere; ſed ut contra ipſum ad inſtantiam prædicti cuſtodis, quantum de iure fuerit procedendum, quouſque tam prædictus futurus concanonicus noſter per ſubtractionem adminiſtrationis præbendæ ſuæ, quam et prædictus miniſter noſter ad condictam ſolutionem capæ prædictæ per cenſuram eccleſiaſticam compellatur *d*).

In cuius conſtitutionis evidentiam et teſtimonium indubitatum, præſens inſtrumentum ſigillo venerabilis in Chriſto FRIDERICI *e*) Dei gratia electi Curienſis, C. decani et capituli noſtri fecimus roborari.

Datum *Curiæ* anno Domini MCCLXXXII. proximo die ſabbathi poſt *Florini f*), indictione XI.

a) Idem procul dubio, qui ſupra ann. 1273. occurrit. Hinc errare videtur *Gulerus*, qui (p. 143.) hoc anno *Henricum Friderici* ep. fratrem præpoſitum ſtatuit.

b) Quiſnam ſub initiali hac littera C. intelligatur, nos latet.

c) Statuti huius rationem non aliam fuiſſe putem, niſi ut canonici decenter et eccleſiaſtico more veſtiti, ſcilicet veſte talari, officiis divinis intereſſent. Conf. N. LXXXII. a. 1273. not. *e*.

d) Nimirum miniſter omni excuſatione poſthabita ex ſubtractis neocanonico diſtributionibus quotidianis capam ſolvere teneatur.

e) Electus eſt eodem hoc anno menſe Septembri exeunte.

f) *S. Florini* diœceſeos Curienſis patroni ſecundarii feſtum cum octava celebratur die 17. Novemb. quæ hoc anno 1282. fuit feria III, ut proin ſequens ſabbathum cum 21. Novemb. coinciderit.

LXXXVI.

HEINRICUS præpoſitus *S. Victoris* in valle Meſaucina FRIDERICO ep. Curienſi et *Udalrico de Rietberg* pignoris loco tradit capellam *S. Petri* ad Rhenum pro centum libris mezanis etc. die 5. Martii anno 1287.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

HEINRICUS *a*) Dei gratia præpoſitus *S. Victoris* in Meſaco univerſis et ſingulis hanc paginam intuentibus tam præſentibus quam futuris ſalutem cum notitia ſubſcriptorum.

Noverint omnes, quos noſſe fuerit opportunum, quod nos reverendo in Chriſto patri ac domino FRIDERICO Dei gratia electo et confirmato eccleſiæ Curienſis, nec non honeſto viro *Ulrico de Rietberch b*) capellam noſtram *S. Petri* apud Rhenum ſitam cum omnibus ſuis reditibus et iure pro centum libris mezanis bonæ monetæ, et pro una libra mercedis in grano Curienſis menſuræ, cum conſenſu et aſſenſu noſtri capituli ſub titulo pignoris obligamus tali conditione interpoſita, quod, ſi prædictas centum libras, et 1. libr. mercedis in grano Curienſis menſuræ ante octavam S. Martini *c*) præſentis anni prælibato domino FRIDERICO electo et confirmato Curienſis eccleſiæ, ſeu *Ulrico de Rietberch* in caſtro iam dicto præſentantes non perſolverimus, ipſis prænominatam capellam cum omnibus ſuis attinentibus ex nunc, prout ex tunc, reſignamus libere, et ſine cuiuslibet contradictione perpetuo poſſidendam; ſcilicet, ſi præfata bona ſeu debita tempore ſtatuto, videlicet ante octavam præhabitam perſolverimus in loco prælibato, prænominata capella et omnia ei attinentia ad nos et noſtram eccleſiam debeant libere remeare.

In cuius rei teſtimonium ſæpedicto domino FRIDERICO electo et confirmato eccleſiæ Curienſis, ac *Ulrico* præfato hanc zedulam damus in teſtimonium noſtri ac capituli noſtri ſigillorum robore communitam. Teſtes autem, qui interfuerunt, ſunt hi: Dominus *Ulricus* de Flunſez *d*), dominus *R.* et dom. *Got.* de Schowenſtein *e*), dominus *Chuno* de Richenſtein *f*) milites, *Bur.* de Schowenſtein, *Al.* de Rialt, et alii quam plures fide digni.

Datum et actum *Curiæ* anno Domini MCCLXXXVII. quinta die intrante Martio, indict. XV.

a) Unicus hic eſt, quem inter præpoſitos Meſaucinos monumenta hactenus viſa ſuppeditant.
b) *Rietberg* caſtrum vallis Domeſticæ ad dextram Rheni prope Rotelium, *Rötels.* *c*) Seu 18. Novembris.
d) De *Flumins* ſeu *Grapalonga* ex *Tshudiana* familia, vicedominus epiſcopi Curienſis in dicto caſtro. Conf. N. LXXIV.
e) *Schovenſtein* arx vetus in valle Domeſt. haud procul a parthenio Cazienſi. *f*) In valle Monaſterienſi.

LXXXVII.

NICOLAI IV. papæ litteræ pro indemnitate monaſterii Mariæmontani, die 22. Aprilis anno 1289.

Ex apographo Mariæmontano.

NICOLAUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio præpoſito *a*) Monaſterii vallis Venuſtæ per præpoſitum ſoliti gubernari ordinis S. Benedicti, Curienſis diœceſis ſalutem et apoſtolicam benedictionem.

a) Sermo hic eſt de Monaſterienſi parthenone *Münſter* in *Münſterthal*, quæ vallis ad *Venuſtam* pertinet; quandonam autem cœperint ibi virgines per præpoſitum gubernari non conſtat. Legitur *Ioannes præpoſitus Monaſterii* anno 1259. 21. Mart. ſupra in chart. N. LXXVII.

Ex parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monaſterii S. MARIÆ in *Burgus* ord. S. Bened. Curienſis diœceſis nobis extitit intimatum, quod nonnulli clerici et eccleſiaſticæ perſonæ tam religioſæ quam ſeculares, in perſonatibus et dignitatibus conſtitutæ; nec non comites, barones, milites, et alii laici Curienſis, Brixinenſis, et Tridentinenſis diœceſium, qui caſtra, domos, villas, grangias, poſſeſſiones, prata, nemora, molendina, terras, et nonnulla alia bona immobilia ſub annuo cenſu ſeu redditu a monaſterio iſto tenent, cenſum ſeu redditum huiusmodi dictis abbati et conventui, ut tenentur, exhibere non curant: quamquam iidem clerici, comites, barones, milites et laici caſtra, villas, grangias, domos, vineas, poſſeſſiones, terras et alia bona prædicta pacifice poſſideant et quiete, ac fructus cum integritate percipiant eorundem. Propter quæ dictis abbati et conventui dictoque monaſterio non modicum imminet detrimentum.

Quare iidem abbas et conventus nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ſibi ſuper hoc de opportuno remedio paterna ſolicitudine curaremus. Quocirca diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, dictos clericos etc. et laicos, ut cenſum ſeu redditum memoratos prælibatis abbati et conventui exhibeant integre, ut tenentur, una monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota, prima ratione compellas, proviſo, ne in terras comitum, baronum et nobilium prædictorum excommunicationis vel interdicti ſententiam proferas, niſi ſuper hoc a nobis mandatum receperis ſpeciale. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere.

Datum *Romæ* apud S. Mariam maiorem X. Calend. Maii pontificatus noſtri anno II *b*).

b) Electus eſt *Nicolaus IV.* ann. 1288. 22. Februar.

LXXXVIII.

BERTHOLDUS II. epiſcopus Curienſis civibus Turicenſibus liberam mercaturam in ſuo dominio concedit die 4. Sept. anno 1291.

Accepi a D. Peſtaluzio Tigurino.

R. *a*) Dei gratia confirmatus in epiſcopum Curienſem omnibus præſentium inſpectoribus ſalutem cum notitia ſubſcriptorum. Noverint omnes, quos noſſe fuerit opportunum, et ad quorum manus præſens pervenerit ſcriptum, quod nos cives Thuricenſis civitatis in noſtram protectionem recepimus ſpecialem, dantes et concedentes ipſis ducatum et cenſam *b*), ut et ipſi cum ſuis mercimoniis per totum noſtrum dominium et diſtrictum ſalvis rebus et perſonis ſervire, a nobis et a noſtris, ſeu ab aliis quibuscunque venire, tranſire, ſtare valeant et redire, quandocunque et quocunque ſibi viderint expedire, et donec nos duxerimus revocandum.

In cuius rei teſtimonium præſentem ipſis tradidimus cedulam noſtri ſigilli munime roboratam. Datum *Curiæ* anno Domini MCCLXXXXI. ſecund. Non. Sept. indict. IV.

a) In tranſmiſſo apographo male ponitur littera initialis R. loco B. *b*) *Cenſa* idem ac cenſus.

LXXXIX.

Fragmentum instrumenti teutonici circa litem inter CONRADUM Fabariæ abbatem et *Heinricum* de Wildenberg advocatum de anno 1299.

Ex collect. Msc. Halleriana T. 20. p. 687.

In Gottes Namen, amen. Allen den ſey kund gethan, die diſsen Brief läsend old hörend leſ-ſen, das der Irode *a)* und der Stoſs, der entzwüschen dem Gottshuse von *Pfefers* ainhalp, und dem Hr. *Hainrich* von *Wildenberc* des vorgenanten Gottshus Vogte ze *Ragaz* anderhalp was, uf des vorgenanten Gozhauses Maiers und Viztums Rechten und Gerichten in dem Dorf ze *Ragaz*, und uf den Sunderleuten der Spitaler, Kerzer, Kamerer *b)* und Amptleüthe ſind, by dem Eidte, mit rechter Urthel gerichtet, und geschlichtet ist; also das wir — — von Burglen und von *Valendawes c)* Hr. *Rudolf* Schidleuthe gegeben und erwellet des vorgenanten Vogetes halp dazu: und wir *Heinrich* von *Schellenberc d)*, und *Gunthalm* von *Schwarzenhorn e)* Ritere, Schidleuthe gegeben und erwellet des vorgenanten Gottshaus halp dazu: und ich *Egelolf* von *Aspermunt* Riter, ein gemeiner, und ein Oberman gegeben und erwellet, und gebeten von beyden vorgenanten Theilen darzu, nach beyder Teil Furlegunge, und Antwurte bey dem Eidt erteilt han, das ein Abet von Pfefers ſoll Meyer und Vizthum ſeyn, und von aller Rechte und Gerichte ze Ragaz, als dur das Jahr [one Mäjer Gedwinge *f)*] gewaltic Wäsen, diu ein Majer, und ein Vizthum von Alter her hat gehan, older ze Rächte haben ſoll, alder ſwen ein Abbet diu Rächt und diu Gericht an ſyner Stat empfilchet.

Darnach hand wir vorgenante Schideleute umbe *Jochanesen* von *Vilters* und ſein Geschlächte nach beyder vorgenanter Teil Furlegunge und Antwurte bey dem Eide erteilet, das alle Spitaler, Kerzer, Kamerer und Amtleute, ſwer die ſind, ſwa die ſind, einen Abbt ſonderlich horend an, und ſund ze Räht im dienen. So han wir vorgenante Schideleute um *Johansen* von *Vilters*, und ſeine Geschlacht, die Spitaler und Kerzer ſind, nach beyder Teil Fürlegunge und Antwurt by dem Eid ertheilt: Mac der vorgenant Vogget mit zweyen Sempermanen *g)* ohn verſprochenen, die über Eigen, und über Lechen ſprechen mund und ſunt *h)*, den er gepiethen nitenmac, das ſyn Hant ſy diu drite bezügen und behan, das der vorgenant *Johànnes*, und ſeyn Geschlächte mit Abbet CUNRADS Willen, der nu ist, mit einem Recht enscheide; würdind der vorgenanten Voggete ze Voggetlüten geschikt und gescheiden, ze dienende ihm, als ander ſeine Voggetleüte, dieweil der vorgenante Abbet CUNRAD lebet, und fürbas nit; des ſoll der Vogget genieſsen.

Darnach han wir vorgenanten Schideleute ertheilet bey dem Eidte, nach beyde Teile Fürlegunge und Antwurte umb *Cunzen* den Banwarten, um *Ulrichen* den Bruder ſeyn: Mac der forgenante Vogget erzugen und behan mit zweyen Semperenmannen, un versprochen, die ſprechen münd und ſond über Eigen und über Lechen, der er gebiethen nit den mac, das ſin Hand diu

a) Irode, Irrung, Uneinigkeit. *b)* Hospitalarii, candelarii, camerarii. Conf. N. LXXXIV. ann. 1276. not. *g*.
c) Valendaunum in iurisdict. Foveana fœd. gris. *d)* Ad dextram Rheni prope Estiones.
e) Schwarzhornii inter nobiles Rhætos nummerantur a *Gulero*. *f) One Mäjer Gedwinge*. Puto heic excipi iudicium ſic dictum *maiale*, cui ſemper advocatus præesse debet. Conf. N. LXXXIV.
g) Semperman idem ac *Sendbarer Mann*, qui mitti ad pertractanda negotia potest. Vid. *Wachter* Glossar.
h) Mund und ſund, müssen und ſollen.

drite ſey, dc die vorgenanten Gebrudere *Kunz* und *Ulrich* mit eines Abates und ſeines Conventes Willen, die do warend, und mit eines Voggetes Gunst, der do Vogget was, wurdend mit einem rechten und redlichen Wechsel, in des vorgenanten Voggetes Voggetai ze Voggetleuten gegeben, des ſoll der Vogget genieſsen. So han wir vorgenante Schidleute nach beyder Theillen Fürlegge und Antwurte, one Urteil gescheiden und geschlichtet, das der vorgenanter Vogget ze lassen in des forgenanten Gottshuses Alpe, von des Hofes Rechten, zu *Salnamines* 50 Melkkin *i*) Rinden treiben ſoll ohne allen Var. *Cætera desiderantur.*

i) Hoc est: 50 Melkkühe, ut puto, auf der *Malanser* Alp, ubi plures olim villæ habebantur.

XC.

Contra *Ioannem* de *Windeck* Glaronensem quidam homines proprii parthenio in SCHÆNNIS adiudicantur a ſenatu Turicensi, die 16. Martii anno 1301.

Ex Msc. Tschudi cod. IV. p. 647. in bibliotheca Angelomontana.

Allen, die disen Brief ſähen, oder hören, künden wir, der nachgeschriben Rat von Zürich, das *Johans* von *Windegge a*) für uns kam, und vorderte für eigen *Heinrichen* den *Bicierr b*), vnser Burger, ein Hütter, und ſin Mutter, und ſine Geschwisterde. Des laugneten si im, und jachen, das si an das Gotzhus von *Schännis* hörtin. Hierumbe ward von uns urtheilt gemeinliche, ſit si an ſelbiges Gotzhus jächen, das vnser Vrowe, die Abtissin von *Schänis*, einen Tag drumb gäbe für ſich; *Johanese* von *Windegge* vür ſich, ſwa si wollte. Und möchte ein Vrowe von *Schänis*, deme dieselbe Lüte ze ihr Gotzhus wägen besetzen, nach vnserere Statt altem Rächte und Gewonheit, das ſie des genüſse, vnd ir die Lüt belyben; wäre das nicht, möchte ſie deme *Johans* von *Windegge* besetzen, das er des genüſse, und si im belyben.

Hierumbe gab min Vrowe, die Abtissin von *Schänis*, ein wüſsentlichen Tag *Johanse* von *Windegge* ze Zürich in Rathus, ze demselben Tage kam *Johannes* von *Windegge* nüt. Do besezte min Vrowe von *Schänis* die vorgenante Lüte rächt und redliche nach vnserr Statt Rächte vnd alter Gewonheit, das si ir Gotzhus eigenliche anhörtin. Vnd hierüber, das dis war ſig, vnd ſtäte belybe, ſo geben wir disen Brieff besiglet vnserer Burgere Insigele ze einem offenen Vrkunde *Heinrichen* dem vorgenanten *Bicierr*, vnd ſiner Mutter, vnd ſinen Geschwistergiden.

Diser Brieff ward gegäben ze *Zürich*, do von Gottes Geburte waren, dreycechen hundert Jar, vnd darnach in dem ersten Jar, an dem Dornstage nach Mittervasten *c*).

Vnser des Rats Namen ſind: Herr *Rudolf* der Mülner *d*), Herr *Rudegger* Manesse der Jünger *e*), Herr *Johans* von Glarus, Herr *Lütolt* von Beggenhouen, Ritter. Herr *Wernher* Biberli. Herr *Rudolf* Thrieg. Herr *Johans* Bilgerin. Herr *Burckhart* Schäffli. Herr *Wilhelm* Marti. Herr *Johannes* Vütschi. Herr *Lütolt* Gnuesser. Herr *Otto* Manesse, Burger.

a) Ex familia nobilium de *Oberwindegg* nuncupatorum ab arce cognomine ſupra *Niederurnen* in districtu Glaronensi, intra *Wesen* et *Schænnis*; qui et comites de *Schænnis* et *Gastern* vocabantur. Vid. *Leu* Helvet. Lexic.

b) Utrum familiæ an opificii nomenclatura hæc ſit, divinare nolim; fors *Bicierr* idem est ac *Bigerr*, quod ſartorem ſignificare videtur, qui vestes plebeias conficit. Vide *du Cange* in voce *Bigera*.

c) H. e. die 16. Martii anno 1301, nam *Mittlerfasten* est Dominica *Lætare*, quæ hoc anno in 12. Martii incidebat, unde ſequens feria V. est 16. Martii.

d) *Mülner* vel *Müller*, alias de *Friedberg* dicti, familia nobilis Turegi; *Rudolphus*, qui hic ſenator occurrit, dotavit cœnobium Augustinianum recens ſuo tempore Turegi erectum, ibique ſuæ familiæ ſepulturam constituit. *Leu* Helvet. Lex.

e) *Rudgerus* hic idem est, qui anno 1304. castrum *Manegg* ab Henrico et Ulrico de *Maneſs* coemit. *Ibid.*

XCI.

Elisabetha abbatissa in *Schænnis* vendit L. Baroni de *Wildenberg* villam in *Genines* et decimas in *Malans*, die 9. Aug. anno 1301.

Ex Msc. Tschudii Angelomontanis.

In Gottes Namen, amen. Wyse Lüt gent vns Rat, ſwas die Welt Geschäfftes mit einander hat, das ſol man haiſsen ſchriben, vnd erbaren Gezügen für künfftiges Kriegen empfehlen.

Davon si allen den kunt getan, die disen Brief läsent, alder ſechent an, alder läsen hörend, das wir Elisabeth *a*), von Gottes Gnaden Aeptissin, vnd wir andere Frowen, alle des Convents des Gotzhuses von *Schænis*, Sant Augustins Orden, Curer Bistumbs, an vnsers Gotzhuses Statt, mit gemeiner Betrachtunge, vnd mit gantzem vnd gemeinem Rat vnd Sinne der Besserunge vnsers Gotzhuses verkouffend, vnd habend verkoufft rächt vnd redlich ane alle Var, willenlich vnd gerne, vnserem guten Vründe vnd Herren, dem Herr *Heinrich* von *Wildenberc b*), dem wolerbornen Herren vnd Frien, vnseren Hoff ze *Greieers c*) mit Grund vnd mit Gräte, mit Wueer vnd mit Vaide, mit Bu vnd mit Vrbu, mit Wasen und mit Zwie, vnd würtglich gesait *d*), mit allem dem Rechte vnd mit der Aigenschaffte, alse wir vnd vnser Gotzhus denselben Hoff vntze her hat gehan: vnd nämlich ainen Zehenden ze *Malans e*), giltet fienff Schillinge Mailaischer Pfenninge, die ſol järgelich richten vnd gen her *Egen* vnd ſin Bruder *Heinrich*.

Darzu han wir verkouffet im vſsgenomenlich dise Lüte, die uf dem Hove ſäſshafft ſind, vnd Niemanden me, wan die man hie benännet; des ersten, ainen *Egenen*, der ist gar vnd gäntzlich vnsers Gotzhuses, darnach ainen *Jacoben*, vnd ainen *Wernheren*, ſwas wir an den baiden han münt Eigenschafft, vnd dahär han gehan. Vmbe zwo vnd zwänczig Marcks Silbers raines vnd gutes Zürcher Gewages. Des Silbers wir vergehin hie, vnd kündend offenliche, nach vnserm Willen gewärt si vnd gäntzlichen vergolten. Entziechen, vnd entzichen wir vorgenanten Vrowen an vnsers Gotzhus Statt vorgenantem Herren von *Wildenberc* aller der Aigenschafften, vnd der Rächte, die wir vnd vnser Gotzhus an dem vorgenantem Gute, Lüten, Hove vnd Zähenden, überal ane Var, daher handt getan. Dabi entzichen wir vns öch für vns vnd für vnsere Nachkommenden an vnseres Gotzhus Statt frilich vnd gemainlich aller der Vorderungen, vnd aller der Clage, und der Ansprach, die nu alder hernach vns, alder von vnserem Nachkommenden, vmb das vorgenante Gut, ſunderlich alder allencklichen *f*) vor gaistlichen alder vor weltlichen Gerichten wärden oder bestehen möchte.

Vnd das dis war vnd gantz ſige, als vor der Brief beschaiden hat, vnd iemer ſtäte blybe, darumbe han wir vorgenante Vrowen zwäne geliche Brieve haiſsen gemacht vnd geschriben; vns vnd vnnserm Gotzhuse ainen, vnd dem vorgenantem Herren von *Wildenberc* vnd ſinen Erben

a) *Elisabeth* de *Scholgene*, Schalchen, quæ præfuit ab anno 1275. ad annum 1301. quo obiit.

b) Barones de *Wildenberg* in *Freudenberg* dicti originem trahunt non a castro *Wildenberg* ſeu *Wildenburg* in cantone Tugiensi, ſed ab alia arce *Wildenberg* antiqua in Rhætia: habitabant autem in castro Freudenbergico infra Ragacium. Vide *Leu* Helvet. Lexicon.

c) *Greieers* erronee ſcripsit *Tschudius* vel potius quidam amanuensis; nam *Genines* est hodie *Genisium* vulgo *Ienins* vicus prope *Meyenfeld* et *Malans*. Occurrit *Genines* in bulla *Alexandri III.* P. anno 1178.

d) *Mit Grund vnd mit Gräte, mit Wueer vnd mit Vaide, mit Bu vnd mit Vrbu etc.* h. e. cum fundis et utenſilibus, aquis, pascuis, cultis et incultis, ſeminandis et ſeminatis.

e) *Malans*, Melansium, pagus prope *Meyenfeld*.

f) *Sunderlich alder allencklichen*, insbesondere oder überhaupt.

den anderen Brief, mit baiden vnsern Insigelen der Abtej, vnd des Convents, vnd och mit dem ſinem beſiglete gegäben, vnd gevestet; där Sicherheit vnd ze bezuuge alles, das vor der Brief beshaidet. Dis beschach ze *Schännis* in dem Closter des Jars, do man von Gottes Geburte zalte tusend vnd eins vnd drühundert Jar. des Tages, do idus des Augusten die fünffte was. vnd Indictio die Zal was die vierzechendeste.

Vor dem Herren Heinrich dem Lütpriester von *Sant Gallen*, vor dem Herren Heinrich dem Lütpriester von *Zovingen*, vor dem Herren Rudolph dem Lütpriester von *Saergawes g)*, vor Petro dem Kilchherren von *Reickenowe.* vor Martino dem Kilcherren von *Vatz.* Do was öch bi Swiger von *Castris*, Andres von *Buhel.* Ber: der Amman von der *Taüer.* Berwic von *Walastade.* Wite von *Walastade.* C. der Banwart von *Ragatz*, der Richwi der Waise, vnd ander erber Lüte gnuge, den gut ze glouben ist.

g) *Saergawes*, Sargans.

XCII.

Recognitio diſſidii inter domicellas Schænenses et *Ioannem* de *Windegg* ſuper proprietate quorumdam mancipiorum anno 1302.

Ex Msc. Tschudii Angelomontanis.

Allen, den disen Brief ansächent oder hörent läsen, künde ich *Rudolf* der Sumer, Amman ze *Glarus* und in dem nideren Ampt, ein Erkantnus der nachgeschribnen Dingen.

Wissen alle, denen es zewissen beschicht, da ich umb den Stotz, und den Kriek, den Gotzhus ze *Schänis* hatte und noch hat mit *Johanse* von *Windegge*, ze *Schänis* kam in das Kloster, dur Richtung von miner Herren wegen, der Hertzogen von Osterrich, die ze dem vorgenanten Gotzhus rächte Vogte und Schirmer ſind *a*), vnd ich nach dem Tage, ſo bedenthalpen ze *Schänis* genomen ward, hörte Gezüge über den Krieck der Lüten, vmb die der Stotz ist, mit geschwornen Eiden, da *Johannes* von *Windegge*, der vorgenande, da es an den Eid gien, nit zegägen wolte ſin; vnd ich ermant ward von miner Vrowen der Abtissin vnd dem Conuent, das ich das Gotzhus ſchirmen ſölti, von miner Herren wägen, die über dieselbe Lüte Vögte ſind, ſwa das Gotzhus die Eigenschafft behät, vnd ich die Gezüge horti mit geschwornen Eiden, ſit si zegägen waren, vnd unter Ougen. Dise Zügen wurden geleist vnd fürbracht, da ich zegägen ſas dem Gotzhus nach der Eigenschafft, und minem Herren nach der Vogteie. Als hienach geschriben ist, nach den Worten, als ſie ſeiten, vnd öch einandern gehullen, vnd öch nach den Worten vf den Heiligen ſchwuren.

Dis ist der erste *Gezück b*): Der Witze ab *Rüti* ſeite also, das des Nadelers Ana vnd ſin Aeni waren des Gotzhus eigen, vnd des Vatter und des Mutter; och ſeit er, das des Riethmans Vatter und ſine Kint des Gotzhus von *Schänis* waren, vnd öch ire Välle dem Gotzhus berichten, als si ſolten. Ru: der Giſse hat gseit, das des Riethmans Vatter vnd Mutter ab *Ebersoll*, vnd drie ir Geschwesteran des Gotzhus eigen ſint mit allen Rächten, vnd ir Välle an das Gotzhus giengen. Derselb Giſse *gehillet c*) dem vorgenanten Wiſsen, vmb den Nadeler, als öch

a) Advocatia parthenii in Schænnis anno 1264. ad comites de *Habsburg*, ac deinceps ad archiduces Austriæ devoluta est.
b) *Gezück*, Zeuge, Testis. c) *Hillen*, consonare, consentire, gravibus verbis aliquid confirmare. Vide *Wachteri* Glossar.

er ſeite. Nach dem Gezüge ſeite Hug Trempe ab dem *Strickle*, das der Val Vlr. des Nadelers, vnd Heinrich ſines Bruders, vnd des Sünen wurd geantwurt dem Gotzhus ze *Schänis*, des si eigen waren.

Nach dem ſeite Ru: Lingi von *Dorff*, das Ru: Val des Riethmans, vnd Ru: ſines Suns, vnd Diethelm des Sun kamen an das Gotzhus von Eigenschafft; öch ſeit er, das der Riettman hatte drie Döchtran, die des Gotzhus eigen ſint, vnd ir Kint; öch ſeit er, das Heinrich der Nadler nach dem Tode dem Gotzhus gab ſin Val, vnd das ſis Bruders Val wäre frävenlich genomen nach ſinem Tode, vnd denselben Val das Gotzhus wider gewan mit Rächten. Darnach ſeit Ru: der Wäber von *Huwenhus* (*Nuwenhus*) alle dü Wort, die die vorgenanten geſeit hend, und gehillet mit inen an ſiner Sage an alle Dingen.

Rudolf der Erbe, Cunrat Schilt von *Rufi*, Ru: der Tangeler, Wern: Häge, Vlr. Zwickel von *Rufi*, Mangolt Hüweli von *Hüwenhus*, Ru: Rotzi, Swester Gute von *Dorf*, Berchin Tavern vnd Vlrich der Schädler hand geseit allü dü Wort, mit Sinnen vnd mit Gehellungen, dü die vorgenanten der Witze ab *Rütti*, Ru: der Giſse, Hug Trempe, Ru: Lingi von *Dorff*, Rudolf der Wäber von *Huwenhuss* hant geſeit. Nach direr Sage und nach disen Worten die Gezüge, die hievor genännet ſind, hattens gemeincklich vf ir Hände, vnd ſwuren öch gemeincklich ein gelerten Eit, der inen vor mir und von mir gäben wart, ſwas si gseit hatten, das das war wär, vnd gantz Nieman ze Liebe noch ze Leide.

Ditz ſind Gezüge, die hiebi waren: Herr Vlr. Techan von *Wesen*. Der junge Summer. Wackerbolt ſin Bruder. Heinrich von *Wadelberg d)*. Peter Haüwe. Der Witze von *Bencken*. Ru: der Frome von *Dorff*. Berthold Spiller. Ru: Spiller. Ru: der Barrer. Wern: Nutzböm. Friderich Brunwart. Cunrat der Amman von *Wagenberg e)*. Vlrich von *Dorf* vnd der Frie.

Ich der vorgenande Ru: der Amman, wan ich ze Züge was, vnd öch mit mir, vnd vor mir volfüret wart, vnd da ſas an miner Herren Statt der Hertzogen, der Pfläger ich bin, vnd Schirmer des Gotzhus von ir wegen.

Zur Gelopsami aller der Dingen, ſo hievor geschriben ſint, vnd ze einem gewarren Vrkunde, hencke ich an disen Brief min Insigel. Dis beschach ze *Schennis* an miner Fröwen Löbe *f)* der Abbettischin vor der Stuben. Do von Gottes Geburte waren dryzechen hundert Jare, darnach in dem anderen Jare.

d) Wadelberg idem ac *Wandelberg*, castrum antiquum in Castris rhæticis ſupra *Bencken*. Vide *Leu* Helvet. Lexicon.
e) Wagenberg ſeu *Wagenburg*, castrum antiquum in tractu Kiburgico. *Ibid.*
f) Laube, porticus, ſolarium.

XCIII.

ANNA abbatissa Schænensis Suitensibus iniurias condonat die 12. Dec. anno 1303.

Ex bibliotheca Basileensi.

Wir ANNA von Gottes Gnaden Aptyssin des Closters und des Gotzhus zu *Schennis*, Sant Augustins Orden, gelegen in Churer Bistumb, thun khund allen den, die diſsen Brief ansehen oder hörend lesen: das wir, durch unsers Gotzhus Nutz und Notturff willen, allen den fromen Lütten, dem Amman und den Landlütten ze *Schwytz*, alles das und allen den Schaden, lutterlich

durch Gott und darumb, das ſy ſych genutzlich mit unns verrichtet hand, vergeben habentd, und inen vergeben handt, das ſy uns Schaden je gethan hand biſs uff den hüttigen, als der Brieff geben ist, das ſy uns gethan hand ze Schaden an unseren Gotshus, am Closter, oder an unser Kilchen, es ſy an Brand, an Roub, oder welchen Weg unns von inen Schaden beschehen ist *a*), das das gentzlich für unns und unser Nachkomen han gelassen faren, das wir ſy darumb von ditzhar nimmen mer bekumbren, noch angesprechen weder mit geistlichen noch weltlichen Gerichten, noch mit entheiner ſclechten Sache an alle Gründt.

Und das das war und ſtet unbekrenkt blibe; ſo hand wir unnser Insigel gehengkt an disen Brieff, der geben ward in dem Jare, da man zalt von Gottes Geburt XIII. hundert und III. Jar, am nechsten Donstag nach ſannt Niclaustag *b*).

a) Qua occasione, causa, damna a Suitensibus parthenio illata fuerint, non comperimus.
b) Festum S. Nicolai hoc anno incidit in feriam ſextam, proxima proin feria quinta fuit dies 12. Decembris.

XCIV.

Publica pœnitentia *Udalrico* de Amatia B. HERMANNI de Schœnstein abbatis Mariæmontani parricidæ iniuncta die 19. Mart. anno 1308.

Ex apographo Mariæmontano.

Venerabili in Christo patri *a*) Dei gratia episcopo Brixinensi, vel eius vicario in ſpiritualibus frater THOMAS domini papæ pœnitentiarius ſalutem in Domino.

Ulricum advocatum de Amatia Curiensis diœcesis, laicum, latorem præsentium, qui olim *b*) ausu ſacrilego, Dei timore et honore christianitatis postpositis, religiosum virum abbatem monasterii montis S. Mariæ Ord. S. Benedicti Curiensis diœcesis interfecit, ab excomunicatione, quam propter hoc incurrit, et huiusmodi reatu, et aliis peccatis ſuis, quæ nobis in foro confessionis aperuit, ad vos autem domini papæ, et de ſpeciali mandato reverendi patris domini *Berengarii* Dei gratia tituli SS. Nerei et Achillei presbyteri cardinalis plenarie domini papæ curam gerentis vivæ vocis oraculo nobis facto remittimus iuxta formam ecclesiæ absolutum, mandantes eidem inter alia ſub debito præstiti iuramenti, ut per omnes ecclesias maiores illius loci, ubi tantum facinus fuit perpetratum, nudus et discalceatus, braccis duntaxat retentis, virgam ferens in manibus, et corrigiam circa collum, si ſecure poterit, incedat; et ante fores ipsarum ecclesiarum a præsbiteris earundem, psalmum pœnitentialem dicentibus, se faciat verberari; quando maior in eis aderit populi multitudo, ſuum publice confitendo reatum.

Ecclesiæ autem et monasterio, cui dictus abbas mortuus præsidebat, si non ſatisfecit, ſatisfaciat competenter. Etsi aliquod feudum ab ipsa ecclesia tenuit, vel ius patronatus obtinet in eadem, ipse ac eius hæredes illis perpetuo ſint privati *c*). Vos autem audita confessione diligenter, et culpa considerata ipsius, iniungatis inde ſibi auctoritate prædicta pœnitentiam ſalutarem, quæ ſibi ſit ad ſalutem, et aliis ad terrorem; et quod in primo passagio generali in terræ ſanctæ ſubsidium debeat transfretare.

a) Fuit *Fridericus* Madius eodem hoc anno electus. *Ughell.* Ital. S. T. IV. p. 550.
b) Nimirum anno 1304. die 26. Aug. quo *Udalricus* iste *Hermannum* de Schœnstein abbatem Mariæmontanum crudeliter trucidavit.
c) Ea de causa parricidæ coniux *Margaritha* cum filio *Udalrico* a. 1311. Merani advocatiam monasterii resignare coacta est.

Cæterum si, quæ mandantur, facere forte contempserit, ipsum denuntietis, eo ipso in dictam excommunicationis ſententiam recidisse.

Datum *Avinione* XIV. Calendas Aprilis. Pontificatus domini *Clementis* papæ V. anno IV *d*).

d) Electus est Clemens V. anno 1305. 5. Iunii.

XCV.

Diploma Henrici VII. imp. quo Conrado abbati Fabarienſi regalia feuda traduntur menſe Maio anno 1310.

Ex archivo Fabarienſi.

Heinricus Dei gratia Romanorum rex ſemper Augustus, universis ſacri imperii nostri principibus, ac cæteris Christi fidelibus tenore præsentium publice profitemur; quod nos inter venerabilem et devotum Conradum abbatem et principem nostrum, ac ſuos dilectos fratres monasterii Fabariensis æternam cupientes præparare comemmorationem, ut ſiquando de mortali hac vita nos abire contigerit, ex nostra munificentia et confessione haberent, quo libentius et devotius Deo optimo animam nostram commendarent; abbatem nominatum cum monachis ſuis ſubiectis, ac omnes res et immunitates, quocunque titulo et prærogativa notentur, in nostram et imperii tuitionem fideliter ſuſcepimus; et ipsi abbati ac ſuccessoribus ſuis regalia feoda principatus adhibitis ſolemnitatibus imperialibus et consuetis tradidimus.

Idcirco volumus, et præsenti ſcripto ſerio mandamus, quatinus ministeriales et vasalli, omnesque homines, ubicunque locorum commorentur, monasterii Fabariensis venerabili abbati tanquam ſuo domino et nostro principi in cunctis reverenter obediant.

Datum *Bernæ a*) in præsentia virorum principum *Balduini b*) archiepiscopi Trevirensis, *Theodibaldi* Leodiensis, *Gerardi c*) Constant., *Gerardi* Bas., *Leopoldi d*) ducis Austriæ, *Werneri e*) comitis Hombergæ et Rappersvillæ veteris, *Valdrammi* Lucemburgi Cæsaris frat. Anno Domini millesimo trecentesimo decimo.

a) Quum *Henricus* profectionem italicam hoc anno iniret, Helvetiam transiens Turegi et Bernæ mense Maio paulisper morabatur, prout data istis in urbibus diplomata testantur apud *Herrgottum* et alibi.
b) Erat Luxemburgicus hic *Balduinus* elect. a. 1307. adi *Hontheim* hist. Trevir.
c) Ambo isti *Gerardi* leguntur in alio Heinrici diplomate 1. Maii h. a. dato Turegi apud *Herrgott*. geneal. Habsb. diplom. T. II. P. II. p. 597. *d*) Fuit cognomento *Bellicosus*. *e*) Vid. *Herrgott* l. c. nec non Annales Eremi p. 281.

XCVI.

Confraternitas inter monasterium Mariæmontanum et præposituram Augeanam prope Bozanum inita die 23. Febr. anno 1320.

Ex apographo Mariæmontano.

Viris religiosis in Christo dilectis dominis Wisoni abbati venerabili, *Conrado* priori totique conventui monasterii montis S. Mariæ virginis in valle Venusta iuxta *Aditem a*) apud Burgusiam Ord. S. Benedicti Curiensis diœcesis, Bertoldus divina miseratione præpositus, *Hartmannus* deca-

a) Hoc est: Iuxta *Athesin*.

nus, totusque conventus eccleſiæ S. Mariæ in *Augea b*) iuxta Bozanum Ord. S. Auguſtini regularium canonicorum Tridentinenſis diœceſis ſalutem in Domino Ieſu Chriſto.

Ut inter noſtrum et veſtrum monaſteria devotionis fructus, qui hactenus inter nos charitative viguit affectu, propenſius augeatur; et ut mutuæ charitatis obſequium longa et ſolita conſuetudine inter nos habitum, ad unam cœleſtem patriam tendentes, firmius obſervetur; quorum dilectionis conſtantiam frequentius operis exhibitio indicat, et evidentius talem inter nos et vos, noſtramque veſtramque eccleſias pacti, et veſtræ fraternitatis et inviolabiliter contrahimus, et convenimus unionem durante ſæculo duraturam: ut fratrem vel fratres veſtri monaſterii, quem vel quos nobis mittere duxeritis, tanquam unum ex nobis fovere et tractare debeamus, et recipere, receptumque ſive receptos, pro tempore definito, pie ac paterne in noſtri clauſtri gremio conſervare: adiicientes quoque, ut ſiquis de conventu veſtro, prælati ſui licentia non conceſſa, ad noſtrum monaſterium acceſſerit, quod Deus avertat, poteſt ac debet ab ipſo prælato noſtri monaſterii ab excommunicationis vinculo, ſi incurrit, abſolvi, receptaque huiuſmodi abſolutione, ſuum officium habere licite, et exercere, donec prælato ſuo, noſtro interventu, per reconciliationem fuerit reſtitutus, apud nos permaneat.

Inſuper noſtrum monaſterium ad hoc eſſe perpetuo obligatum, ut prælato veſtri clauſtri, quandocunque, quamdiu, et quotieſcunque apud nos manere curaverit; in omnibus, veluti prælato noſtri ſæpe dicti monaſterii, debet reverendiſſime miniſtrari, et ſpecialis habitatio ſibi in bono commodo adaptari, ſuiſque famulis et equis neceſſaria impendi.

Commemorationem vero omnium vivorum fratrum veſtri monaſterii proxima feria ſecunda poſt *Nicolai*; defunctorum autem proxima ſecunda feria poſt *Invocavit c*) officiis debitis volumus in noſtra eccleſia celebrari. Pro defunctis etiam prælatis et fratribus veſtris, de quorum nobis obitu conſtiterit, tanquam noſtris, apud nos miſſarum et vigiliarum pro quolibet iſtorum ſingulariter officium celebretur, fratribus habentibus pro conſolatione ferculum unum, picarium *d*) lacois vino prælati impletum, præter cottidianam præbendam, in qualibet iſtarum trium commemorationum. Ad ſupra autem dicta omnia veſtro monaſterio digne iudicavimus nos adſtringi; cum vos e converſo noſtro monaſterio ad omnia obligaveritis ante dicta.

In quorum teſtimonium et evidentiam præſentes vobis offerimus ſigillorum noſtrorum robore ſolidatas *e*). Datum in *Augea* anno Domini M.CCC.XX. Dominica *Reminiſcere f*).

b) Corrupte pro *Augia*; nam a. 1160. *Arnoldus* comes de *Morit* infra Bozanum in Augia fundavit monaſterium canonicorum Lateranenſium in honorem S. Mariæ, quod modo extat in loco *Grieſs*. Vixit adhuc a. 1328. præpoſitus *Bertoldus*. Vid. *Wendenthal* Auſtr. Sacr. 2. Th. 3. Band. p. 240.

c) Scilicet poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.

d) *Picarium*, Calix, *Becher*; quid vero vox abbreviata *lacois* ſignificet, non auguror.

e) Eiuſdem ferme tenoris confraternitatem Mariæmontani iam antea ſub abbate *IOANNE* iniverunt a. 1316. cum monaſterio S. Stephani vulgo *Weihenſtephan* prope Friſingam; et a. 1317. cum monaſteriis montis S. Georgii in valle Oeni, et S. Magni in Faucibus ſeu Füſsen.

f) *Reminiſcere* ſeu Dominica II. Quadrageſimæ hoc anno incidit in diem 23. Februarii.

XCVII.

Rudolphus episcopus Curienſis confirmat pactum á monaſterio Mariæmontano cum communitate *Slus* initūm circa ſacellum B. Matthæi apoſtoli, die 4. Octobris anno 1322.

Ex apographo Mariæmontano.

Rudolphus *a*) Dei et apoſtolicæ ſedis gratia electus confirmatus in epiſcopum eccleſiæ Curienſis, univerſis præſentium inſpectoribus ſalutem cum notitia ſubſcriptorum.

Ad univerſorum notitiam pervenire cupimus, quod dilecti in Chriſto abbas et conventus monaſterii montis S. Mariæ in valle Venuſta Ord. S. Benedicti Curienſis diœceſis ex parte una; et univerſitas hominum villæ *Schluſa* dictæ vallis et diœceſis ex altera; de conſenſu et bona voluntate diſcreti viri *Alberti de Caſtromuro* rectoris parochialis eccleſiæ S. Mariæ in *Malls*, compoſitionem amicabilem inter ſe fecerunt et ordinarunt infra ſcriptam.

Videlicet quod præfati abbas et conventus capellam B. Matthæi apoſtoli ſitam in dicta villa *Sluſa* ſingulis ſeptimanis bis inofficiare debent, ſeu in ipſa bis tenentur divinum officium celebrare ſine præiudicio matricis eccleſiæ in *Malles*, cui præfata capella in *Sluſa* eſt annexa. In cuius inofficiationis ſeu celebrationis recompenſam ſupradicti abbas et conventus in ſilva ſita ſuper villa *Sluſa* antedicta, protenta ex utraque parte aquæ dictæ *Arundina* decurrentis, ſpectante ad univerſitatem ſæpedictorum hominum in *Sluſa*, ſine quavis eorum conditione (*contradictione*) de lignis ſecare, et ſibi adducere debent, quantum ad comburendum et utendum ſufficit abbati et conventui monaſterii prædicti; ſicuti etiam in litteris ſuis, ſuper hoc confectis, plenius continetur.

Talis vero in recompenſam damni, quod ex dicta celebratione prædictæ capellæ provenire poſſet eccleſiæ parochiali in *Malls*, præſcripti abbas et conventus tradiderunt et donaverunt redditus quinque modiorum grani, de agro ſito in campo *Sluſa*, memoratæ eccleſiæ parochiali glorioſæ virg. Mariæ in *Malles*. Debent etiam prælibati abbas et conventus domino *Alberto* anteſcripto, rectori in *Malles*, tantum pro tempore vitæ ſuæ, eiusdemque vicariis, quando et quotieſcunque ipſum vel ipſos in ſupradicta capella in *Sluſa* ſolemnitates miſſarum celebrare contigerit, ſufficienter vinum et hoſtias adminiſtrare. Superior autem compoſitio remanere debet irrevocabiliter inconcuſſa perpetuis temporibus, fraude et dolo penitus circumſcriptis.

Nos vero dictam compoſitionem tanquam iuſtam, et rationabiliter initam et ordinatam auctoritate nobis a ſede apoſtolica commiſſa ratam et gratam habentes, ipſam in his ſcriptis approbamus, et in nomine Domini confirmamus. In cuius rei teſtimonium et robur firmum, ſigillum noſtrum duximus præſentibus appendendum. Datum in caſtro *Fürſtenburg* anno M.CCC.XXII. quarto nonas Octobr. indictione quinta.

a) *Rudolphus II.* de Monteforti proin non ſolum adminiſtrator, ut quidam volunt, ſed reapse epiſcopus eccleſiæ Curienſis fuit, qualem ſe ipſemet heic nominat.

XCVIII.

Fundatio monaſterii Carthuſiani in Schnals die 25. Ianuar. anno 1326.

Ex apographo Curienſi.

Henricus *a*) Dei gratia Bohemiæ et Poloniæ rex, Karinthiæ dux, Tyrolis et Goritiæ comes, Aquileenſis, Tridentinæ et Brixinenſis eccleſiarum advocatus omnibus in perpetuum.

Quoniam, ut ait ſapiens, generatio præterit, et generatio advenit; neceſſe eſt ea, quæ memoria digna ſunt, ſcripturarum teſtimonio et teſtium indicio deduci ad notitiam poſterorum. Noverit ergo omnis ætas, quod nos moti ſpeciali devotione, quam ad ſacrum Carthuſienſem ordinem retinemus, et divina inſpirante clementia bona habita deliberatione, maturo conſilio, voluntate libera et devotione ſincera, pro animarum noſtrarum, et omnium parentum meorum remedio et ſalute, ad honorem ſanctæ et individuæ Trinitatis, glorioſiſſimæ ſemper virginis Mariæ, et omnium Angelorum, ac ſancti Ioannis Baptiſtæ, fundamus domum, ſeu clauſtrum ord. eiusdem Carthuſienſis in duabus curiis noſtris . . . . *Chorſe* ſituatis in valle dicta *Schnaltſe b*) omnipotentis gratia annuente. Ad cuius domus ſeu clauſtri fundationem ſeu dotationem libere donavimus et tradidimus eidem domui et clauſtro præfati ord. Carthuſienſis diœceſis Curienſis infra ſcripta bona.

Prædictas duas curias *Chorſe*, in quibus dicta domus ſive clauſtrum, ut præmittitur eſt fundatum, ſolventes ſingulis annis veron. libras 45. et oves 10. Item curiam dictam *Pfalkhoſ* ſolventem ſingulis annis veron. libras 32. ſiliginis modiolos 10. hordei modiolos 6. oves 8. agnos 2. hedos 2. ſcapulas 4. panes 4. et ſagiminis *Schot* unum *c*). Item curiam *in dem Waſſer* ſolventem annuatim veron. libras 30. ſiliginis modiolos 5. et oves 2. Item curiam in *Oberperual* ſolventem annuatim veron. libras 30. Item curiam in *Niderhoſ* ſolventem annuatim veron. libras 50. ſcapulas 4. agnum 1. hedum 1. pullos 4. ova 30. oves 5. Item curiam *Linterinne* ſolventem annuatim veron. libras 43. ova 14. oves 2. hedos 2. ſagiminis Schot 2. Item curiam in *Pretrach* ſolventem annuatim veron. libras 43. ſagiminis Schot 1. et pro ſteura coquinaria oves 2. et ſteuram annualem.

Item curiam de *Ulrico in dem Choſel* ſolventem annuatim veron. libras 25. oves 7. agnos 2. hedos 2. ſagiminis Schot unum, et pro ſteura coquinaria oves 2. et ſteuram annualem. Item curiam de dicto *Miserchortzeras*, quæ prius dicta eſt *Geroldi*, ſolventem annuatim veron. libras 25. oves 7. agnos 2. hedos 2. ſagiminis Schot 1. et pro ſteura coquinaria oves 2. et ſteuram annualem. Item redditus annuales veron. marcas ſeptem, quas coloni prædictarum octo curiarum annuatim ſolvunt pro pœnis in iudicio, pro *Carpenmal d*), pro *papulatione e*), pro ſteura, pro ſteura corporali, et pro iuribus, quæ conſueverunt dari iudici in *Caſtelmell f*).

a) *Wenceslao III.* a. 1306. extincto *Henricus* Carinthiæ dux et comes Tyrolis etc. eiusdem ſororem *Annam* in coniugem aſſumſit, cuius infra mentionem facit, et rex Bohemiæ dictus eſt. Conf. infra N. CXII not. *b*.

b) Vallis *Schnals*, das *Schnalſerthal*, in iudicio Caſtelbellano per 3. leucas ſe exporrigit usque ad montem *Ferner*, variis diſtincta villis, quas inter *Roſenhof*, quæ forte hic dicitur *Chorſe*.

c) *Schot*, *Scot*, *Schoſs*, quidquid acervatim clauditur in ſacculo vel vaſe, vid. Gloſſar. *Wachter*. et *du Cang*.

d) Pro *Carpenmal* idem ac pro vulnere inflicto, *carpia* enim faſcia eſt, qua ligatur vulnus.

e) *Papulatio* videtur eſſe ulcus a verberibus ortum vid. *papula*, quaſi vapulatio.

f) *Caſtelbell* locus regionis primarius, cáſtrum et pagus.

Item curiam, quam colit *Ulricus* in *Schnallis* ſolventem annuatim tritici modiolos 15. ſiliginis modiolos 85. hordei modiolos 50. oves 2. ſcapulas 6. agnos 2. hedos 2. ova 100. pro xeniis tritici modiolum 1. et pro ſteura coquinaria oves 2. Item curiam *Hylpolidi* ſolventem annuatim tritici modiolos 10. ſiliginis modiolos 56. hordei mod. 34. oves 2. ſcapulas 6. agnos 2. hedos 2. ova 100. pro xeniis tritici modiolum 1. et pro ſteura coquinaria oves 2. Item in *Plazeil* annuatim ovem 1. Item in *Nirchol* annuatim ovem 1. Item *Nider Ravinosch* annuatim ovem 1. Item curiam in *Stauben* ſolventem annuatim vini carradas . . . . quam colit villicus de *Stauben.* Item curiam in *Valzrai* ſolventem annuatim vini carradas tres. Item curiam in *Pragad* ſolventem annuatim vini urnas 20. Et decimam in *Chulsaun* ſolventem annuatim urnas 20. quæ curiæ vineales dant ipsum vinum in mensura fictuali et censuali.

Item donamus eis castrum nostrum in *Schnalse* cum curia vicina ad ipsum castrum pertinente cum omnibus attinentiis et metis, cultis et incultis, quæsitis et inquirendis, quocunque nomine vocari possent, ad ipsum castrum et ad ipsam curiam pertinentia tradidimus libere perpetuo possidenda. Insuper donamus eis libere ius patronatus ecclesiæ parochialis in *Naterns g)* pleno iure, ſicut ad nos dignoscitur pertinere, huius considerationis confidentia, ut et ipsa ecclesia cum ſuis fructibus, et iuribus, et usibus universis eidem fundationi nostræ pro ſustentatione fratrum ibidem incorporari debeat facilius et uniri.

Item donamus eis lacum in monte dicto *Walserich* proximum et vicinum monti S. Mariæ in valle Venusta, et piscariam in flumine Athesis, a ponte S. Helenæ usque ſuperius in Aure. In prædictis autem curiis ſeptem coloni granum et victualia ſolventes, unacum ipsis curiis et ſteuris, consuetis et annuis, et locatione, quæ fieri consuevit omni quinto anno, eis proprietarie permanebunt; ita tamen, ut quælibet ipsarum curiarum habeat colonum unum nunc ibidem existentem, aut aliquem ſibi ex ſuis hæredibus ſuccedentem, quia nolumus, ut aliqua curia in colonos plures ullatenus dividatur. Homines vero vinum ſolventes, ut præmittitur, nobis et nostris ſunt hæredibus reservati; ipsa bona præscripta per dictam domum claustri et fratres ibidem existentes ordinis præfati tenenda, usitanda, et perpetuo ſine omni impedimento pacifice possidenda cum ſuis pertinentiis universis.

Quorum bonorum assignationem fecimus in manus religiosi viri fratris *Godefridi* prioris vallis omnium Sanctorum de *Maurbach h)* nomine domus et claustri in *Schnalse* ordinis prænotati, adiectis et additis conditionibus talibus, quod claustrum ſeu monasterium cum cellulis ſecundum consuetudinem, in prædictis duabus curiis dictis *Chorſe* a principio nominatis, ædificetur, prout ex parte temporis, rerum et eventuum et negotiorum citius occurrerit facultas.

Ipsum quoque claustrum ex ſpeciali devotione montem omnium Angelorum volumus appellari. In quo quidem claustro, ſeu monasterio et cellulis fratres cellicolæ eremiticam vitam professi, et professuri, cœlibem vitam ducant, quoad mores, consuetudines et divinum officium ſecundum ſtatuta et ritum ordinis omnino uniformiter conversantes, et nihil penitus in contrarium a rectoribus ordinis toleretur.

Præterea eidem fundationi libertates immunitates, gratias atque prærogativas contulimus et donavimus infra ſcriptas.

g) Ecclesia parochialis S. Mariæ V. et S. Zenonis in pago *Naturns* in districtu Meranensi.

h) *Mauerbach* monasterium Carthusianum in Austria inferiore prope Vindobonam.

Primo ipſum locum fundationis ſcilicet montem omnium Angelorum cum omnibus attinentiis et iuribus eorum, ſicut ea nos poſſedimus cum omnibus, hæc univerſa et ſingula cum omnibus ſuis metis cultis et incultis, quæſitis et inquirendis tradidimus libere perpetuo poſſidenda. Item concedimus quod quicunque homines, vel quæcunque res infra ſepta clauſtri veniunt, plena libertate, pace, qua alia clauſtra vere exemta utuntur, abſque omni obſtaculo plenarie perfruantur. Nec unquam aliquis ipſos fratres vel homines, aut loca eorum in huiusmodi libertate aliquo læſionis vel moleſtiæ genere audeat perturbare. Item eosdem fratres et homines eorum, quos in præſentiarum habent, vel in futurum habebunt, abſolvimus, et exemimus ab omni exactione, ſteura, labore, vectura, et gravamine quacunque occaſione ſubortis, ut homines pro utilitatibus et profectibus clauſtri tantummodo ſint intenti.

Item interdicimus, atque firmiter inhibemus, nequis apud eos in clauſtro, grangiis aut villis eorum, exceptis pauperibus, deſcenſum vel tranſitum cauſa paſtus vel expenſarum petentibus hoſpitari conetur, niſi facto ab ipſis ſit invitatus. Prior vero capellanus principum terræ ſemper erit, cum tribus equis annumeratus curiæ et adſcriptus. Item omnia, quibus pro victu et veſtitu, coriis, lignis, et aliis neceſſariis pro clauſtro ſuo indiguerint, ubique debent per terras et aquas libere deducere, et nullus ab eis theloneum, vel aliam exactionem audeat extorquere. Item addicimus, quod iidem fratres debent vel poſſunt habere in *Merano*, *Gries*, in *Inspruck*, et in *Hallis*, in quolibet prædicto loco proprium hoſpitium, ita quod hæc quatuor hoſpitia, quæ ipſi ad hoc deputaverint, ab omni exactione, ſteura, et gravamine tam vigiliarum, quam laborum qualicunque principum (*libera*) et penitus ſint exemta.

Item dedimus eis ſuper omnes homines et colonos eorum iudicia et emendas in omnibus cauſis et cætibus, qui rebus et pecunia redimi poſſunt et exolvi. Si vero aliquis reum mortis ſe fecerit excedendo, officialis domus, ſeu qui a priore iudex inſtitutus eſt, poſt iuſtas querimonias iuxta conſuetudinem terræ coram ſe factas, debet eum iudicio, cui pertinuerit, ut comprehenditur cingulo præſentare *i*), rebus omnibus et poſſeſſionibus ipſorum reorum remanentibus clauſtro integre et complete.

Inſuper ad maiorem et fortiorem defenſionem dictæ fundationis noſtræ advocatiam, non propter aliquod temporale emolumentum, ſed pure propter Deum nobis et poſteris noſtris pro eiusdem fundationis uſibus et utilitatibus reſervamus.

Statuimus quoque, et omnino firmum eſſe decrevimus, quod quicunque horum tenorem privilegiorum in aliquo infregerit, et admonitus infra proximum menſem non emendaverit, omne damnum, quod exinde clauſtro contrahitur, duplo refundat, gratiam principis nunquam habiturus, niſi prius de illatis damnis, ut prædicitur, fuerit ſatisfactum.

Inſuper eandem fundationem ſic inſtituimus, quod prior et conventus in clauſtro dies anniverſarios infra ſcriptos, ſcilicet felicis recordationis *Meinhardi k*) illuſtris ducis Karinthiæ noſtri genitoris chariſſimi, et matris noſtræ chariſſimæ *Eliſabethæ* ſuæ conthoralis, et fratrum noſtrorum dilectorum *Alberti*, *Ottonis* et *Ludovici* inclytorum ducum Karinthiæ: et conthoralium noſtrarum

i) H. e. vinctum ordinario et legitimo iudicio ſistere.

k) *Meinhardus III.* uxorem duxit *Eliſabetham Ottonis* Bavariæ ducis cognomento *Boni* filiam, quacum anno 1273. fundavit monaſterium Ciſterciense in *Stams* diœces. Brixin. Vid. *Wendenthal* Auſt. Sac. 2. Th. 3. B. p. 393. Fuit autem *Heinricus Meinhardi* filius natu minor; *Albertus* frater natu maior obtinuit comitatum Göritiæ, *Otto* vero occurrit anno 1302. apud Maximil. comit. *de Mor* Msc. Beschreibung der Grafschaft Tyrol, 1. Th. p. 59.

quondam *Annæ*, et *Albaidis*, et *Beatricis*; noſtrum quoque et cohæredum noſtrorum, cum Deo volente de medio vocati fuerimus, ſingulis annis debeant peragere cum miſſis, vigiliis, orationibus, et aliis divinis obſequiis, ſicut in ordine pro fundatoribus fieri eſt conſuetum. Item quod prior in eisdem anniverſariorum diebus fratribus unum bonum ferculum de piſcibus de coquina ad præbendam conſuetam pro ſpeciali pitantia *l*) adminiſtret.

Ut autem ſingula et univerſa, quæ prædicta ſunt, perpetuo remaneant illibata, et nullis unquam temporibus violentur; ſupradictis fratribus, et eorum monaſterio præſentem paginam pro nobis et omnibus hæredibus noſtris, noſtri pendentis ſigilli ſignaculo prædictis fratribus et monaſterio dedimus roborandam. Datum in *Tyrol* anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto die vigeſimo quinto Ianuarii, indictione nona.

l) Alias *pictantia*: portio monachis dari ſolita.

XCIX.

Incorporatio parœciæ Ragacenſis cum monaſterio Fabarienſi a IOANNE epiſcopo Curienſi facta die 24. Ianuar. anno 1327.

Ex archivo Fabarienſi.

IOANNES *a*) Dei et apoſtolicæ ſedis gratia electus et confirmatus in epiſcopum eccleſiæ Curienſis omnibus præſentes litteras inſpecturis ſubſcriptorum notitiam, et ſinceram in Domino caritatem.

Sollicitudo officii noſtri ſuo debito nos inducit, quod religioſis perſonis noſtræ diœceſis, qui ſe et ſuis abnegatis, carne ſua cum vitiis et concupiſcentiis crucifixa, die ac nocte Domino ſerviunt in timore, ad aſſequendum vitæ neceſſaria temporali remedio conſulimus, ut curam temporalium deponentium, et Deo devote famulantium numerus feliciter augeatur. Nos igitur oculo debitæ conſiderationis attendentes, quod religioſi viri abbas et conventus monaſterii Fabarienſis Ord. S. Benedicti noſtræ diœceſis propter diſcordiam et guerras *b*), quæ diu duraverunt inter reverendum patrem *Rudolphum* Dei gratia quondam epiſcopum Curienſem prædeceſſorem noſtrum nomine eccleſiæ noſtræ Curienſis, nec non nobilem virum dominum *Donatum* de *Vaz*, in prædis animalium, exuſtione domorum, ſterilitate poſſeſſionum et fugatione colonorum ad tantam devenit paupertatem, quod hoſpitalitatem hactenus in eodem monaſterio obſervatam continuare non poſſunt, et alia onera dicto monaſterio incumbentia propter defectum neceſſariorum nequeunt ſupportare.

Eapropter ipſis in præmiſſis compatientes, et cupientes eorum defectibus ſubvenire, eccleſiam parochialem in *Ragaz* *c*) noſtræ diœceſis, cuius ius patronatus ipſis pertinet cum filia ſua in *Valens* *d*) ac omnibus pertinentiis earundem; nec non proventibus, obventionibus, libertatibus et iuribus quibuscunque, cum ſolemni tractatu, noſtri capituli voluntate præhabita et conſenſu, ſalvis iuribus noſtris eccleſiæ noſtræ et archidiaconi, qui pro tempore fuerit, ibidem contulimus, tradidimus et donavimus ipſorum menſe et uſibus perpetuo ſervituram; dantes dicto

a) *Ioannes I.* Pfefferhardus dictus.
b) Loquitur nimirum de bello ann. 1322. in Rhætia geſto, cuius incentor *Rudolphus* ep. Cur. fuerat. Porro ex loco hoc confirmatur, quod ſupra a. 1322. N. XCVII. not. *a*. inſinuavimus.
c) Conf. N. XXVIII. ann. 998. not. *k*.
d) *Valens* vicus ad ſiniſtram Tamingæ ſupra thermas.

abbati et conventui plenam potestatem, cum ipsam ecclesiam vacare contigerit, propria auctoritate per se, vel per alium eandem ingrediendi, et possessionem eius nanciscendi, obventiones, fructus, redditus et proventus eiusdem ſuis usibus adplicandi, et in usum dicti monasterii convertendi absque requisitione cuiusquam.

Et quod abbas, qui pro tempore fuerit, nobis et ſuccessoribus nostris ſacerdotem idoneum religiosum ſui monasterii prædicti, vel ſæcularem, prout ecclesiæ in *Ragaz* et dicto monasterio ſuo magis expedire viderit, ſub præbenda ſufficienti, per quam hospitalitatem ſervare, et nobis et ecclesiæ nostræ de iuribus episcopalibus valeat respondere, ſibi de fructibus ecclesiæ assignata investiendum cum cura animarum ipsius ecclesiæ offerat et præsentet, cum dicta ecclesia eidem monasterio ſatis ſit vicina.

Et ne prædicta donatio ſeu traditio facta ſimpliciter propter Deum, et augmentum divini cultus, per nos, nostrum capitulum, ſeu ſuccessores nostros aut quemcunque alium irritetur, aut aliqualiter valeat retractari, præsens instrumentum nostro et capituli nostri ſigillis prænominatis abbati et conventui tradidimus ſigillatum.

Nos *Fridericus e)* decanus, totumque capitulum ecclesiæ Curiensis præmissis omnibus nostrum consensum confitemur affuisse liberum et expressum, et in evidentiam nostri capituli ſigillo hanc paginam fecimus ſigillari. Datum et actum in civitate *Curiensi* anno Domini M.CCC.XXVII. Nono Calend. Febr. Indictione decima.

e) Fuit *Fridericus* a Nenzingen postea in episcopum electus.

C.

Compositio litis inter parthenium in *Schænnis* et *Henricum* de *Huse* die 20. Ian. a. 1330.

Ex collection. Msc. Tschudiana et Halleriana.

Ich Herr HERMAN von *Landenberg a)*, Vogt ze Glarus, thun kunt allen denn, die disen Brieff ansehent oder horend läsen, daſs min Frow die Ebtissin von *Schännis b)* und der Convent einen Stoſs hattend mit *Heinrich* a dem *Huse* umb eine Wisen, dera man ſpricht des Banwartswiſe; und namend mich die vorgenante min Frow die Ebtissin von *Schännis* und der Convent, und *Heinrich* a dem *Huse* ze einem oberen Manne, und gab min Frow die Ebtissin von *Schännis* und der Convent zu mir ze einem Schidmane *Niclaus* den *Bueler*, und der vorgenant *Heinrich* a dem *Huse* Her *Bilgrin* von *Wagenberg c)* den jungen. Und hört ich und die vorgenanten Schidlüt ein Kundschaft, und erfuren vns als ver in der Kundschaft, das min Frow die Ebtissin von *Schännis* und der Convent gut Rächt hettin zu der vorgenanten Wisen, als si die vorgenanten Wisen herbracht hattend, vnd daſs der vorgenant *Heinrich* a dem *Huse* zu den zweyen Teilen kein Recht hat.

Do gieng zu der vorgenant *Heinrich* a dem *Huse*, und er innen ward von der Kundschaft, daſs er kein Rächt hette zu der vorgenanten Wisen. Do enzoch er ſich alles der Rächten, und aller Ansprache, so er zu den vorgenanten zweyen Teilen der Wisen hetti. Darum er min

a) *Hermannus* hic a. 1329. a ducibus Austriæ primus præfectus Glaronensis denominatus fuit, de cuius nobili prosapia vid. *Leu* Tigur. in Lexic. Helvet. b) Erat tunc *Ursula* de *Grünenstein*.
c) *Bilgerim* de *Wagenberg* ſenior iam ann. 1306. Amannns Glaronensis et in Castris rhæticis constituebatur. Vid. *Leu* ibid.

Frow die Ebtissin von *Schännis* und den Convent ansprach, da zegägin waren die vorgenanten Schidlüte, und Herr *Ulrich* von *Schalchon d*) Ritere, *Ulrich* der Aman, *Hug Fröwi*, *Cunrad Brunwart*, und andere erbare Leüte.

Und ze einer merer Sicherheit und Bestätung der vorgeschribnen Dingen, so henchen wir Herr HERMAN von *Landenberg* Ritere, Herr Bilgri von *Wagenberg* Ritere der jüngere, Herr Ulrich von *Schalchon* Ritere, und Niclaus von *Buel* unser Insigel an disen Brief, der ward gegäben, do von Gottes Geburt waren dryzechen hundert Jare, und darnach in dem dreisigesten Jare, am Freytag nach St. Hilarien Tag des Byschofs *e*).

d) *Schalken* pagus cant. Turic. ubi olim arx eiusdem nominis, cum familia nobilium de *Schalkon*, ex qua fuit *Elisabetha* abbatissa Schænensis ab a. 1275. ad ann. 1301.
e) Festum S. Hilarii ep. Pictav. coincidit cum octava Epiphaniæ in diem 13. Ianuarii, quæ hoc anno erat feria VI. igitur feria VI. post hoc festum fuit 20. eiusdem mensis.

CI.

UDALRICUS episcopus Curiensis incorporationem ecclesiæ parochialis S. Martini in *Passyra* cum monasterio Mariæmontano confirmat die 28. Sept. a. 1331.

Ex apographo Mariæmontano.

Frater ULRICUS *a*) Dei et apostolicæ ſedis gratia episcopus Curiensis reverendo et religioso viro in Christo dilecto abbati montis S. MARIÆ nostræ diœcesis Curiensis ſalutem et ſinceram in Domino charitatem.

Ex ſummorum pontificum privilegiis, et reverendi in Christo patris domini *Ioannis b*) nostri prædecessoris et capituli ecclesiæ nostræ Curiensis instrumentis ſufficienter didicimus, ecclesiam parochialem S. Martini in *Passyra c*) cum omnibus ſuis iuribus et pertinentiis vestræ mensæ et conventus vestri esse incorporatam perpetuo et annexam; quam incorporationem, prout merito tenemur, approbamus, et præsentibus confirmamus.

Volentes igitur contemplatione religionis vos, vestrumque collegium et monasterium prosequi favore ſpeciali, vobis concedimus per præsentes, ut dictam ecclesiam S. Martini per unum de vestris monachis auctoritate nostra inofficiare possitis, et eidem commendare curam animarum; ac etiam quod possit ſubditis præfatæ ecclesiæ omnia ſacramenta ecclesiastica tanquam verus vicarius, ſeu plebanus licite ministrare, et ut eundem vestrum monachum mutare et revocare, et alium ibidem cum plena auctoritate ſuperius expressa instituere possitis; quotiescunque, vel quandocunque vobis, et vestro conventui videbitur opportunum, vobis præsentibus indulgemus. Iura cum nobis et ſuccessoribus nostris, ac ecclesiæ Curiensi debita, ac etiam omnes consuetudines hactenus observatas reservamus per præsentes.

In quorum testimonium ſigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum in castro nostro *Fürstenburg* IV. Calendas Octobris anno Domini MCCCXXXI.

a) Scilicet *Udalricus V.* ex familia Schultaciorum de *Lenzburg*.
b) Teste fragmento quodam a nobis viso episcopus *Ioannes* circa a. 1328. Mariæmontanis dictam parœciam ea de causa donavit, quod monasterium multis tunc debitis oneratum fuerit.
c) *Passeyr* in parte inferiore capituli Tyrolensis.

CII.

Hermannus de *Landenberg* Argoiæ et Glaronæ præfectus parthenio-Schænensi census quosdam emortuales adiudicat 23. April. anno 1335.

Ex collect. Msc. Tschud. Angelomont.

Allen den, die disen Brief ansähent, oder hörent läsen, kunde ich Herman von *Landenberg a)*, Vogt in Ergöw vnd zu Clarus, das ich von des hochgebornen Fürsten vnd meines gnädigen Herren Hertzog *Otten b)* von Oesterreich Heisenne und Gebott erfahren han, mit den erbersten Lüten, so ich finden kante, vm die Fälle, so das erber Gottshaus *Schännis* han ſoll, in miner Herren Gebiete, ob dem *Lägner c)*, vnd umbe das Closter zu *Wettingen*; ob die Fälle minen Herren anhörint, oder das vorgenant Gottshaus von *Schännis*.

Darumb hant mihr geseint dis erberen Lüten, die hienach geschriben ſtant, und ander erber Lüte: Werner Güpfer, Vlrich Marquart, Burgi Kumber, Vlrich in dem Bache, Chuni Kräntzicon, Chuni nid dem Wäge, Erni Schmid, Meiger Bürsti, vnd Vlrich Liechti; vnd hant das als erblichen, vnd als vollkomentlich geseit bi dem Eide, das ihnen darumen billich zu glauben ist, das die Välle dem vorgenanten Gottshaus, vnd von iren Lüten nie erfordert vnd genomin wurdint, wan bi groſsen *Chun* fälligen, dieweil er Weibel vnd Knecht was, vnd auch bi deme angefangen wurd zu vordereme.

Vnd dis zu einem wahren offen Vrkunde, so gibe ich dem vorgenanten Gottshuse disen Brief besiglet mit minem hangenden Insigel, der gäben ward zu *Baden* an Sant Görien *d)* Tage, do von Gottes Geburte waren drützehen hundert Jare, vnd darnach in dem fünfften vnd driſsigisten Jare.

a) Conf. ſupra N. C. a. 1330. *b)* *Otto* Audax est, dux Austriæ etc. comes in *Habsburg* et *Kyburg*.
c) *Lägerenberg*, ſeu mons in præfectura Regenspergensi cant. Turic. ad Badenam usque protensus. Vid. *Leu* Helv. Lex.
d) *Görien*, *Görigentag*, festum S. Georgii die 23. Aprilis.

CIII.

Pacificatio inter monasterium Fabariense nec non Hartmannum et Rudolphum comites de *Werdenberg* mens. Maio anno 1342.

Ex archivo Fabariensi.

Wir Hartman und Ruodolff *a)*, Gebruedern Grauen von *Wärdenbärg*, von Sargans, vierjechen offenlich an disem Briefe, dz wir lieplich vnd güetlich bericht ſient mit dem Erwirtigen Herren Abt Herman des Gotshauſses ze *Pfäffers* vmb alle die Stöſse, die er mit vns, vnd wir mit im gehabt hand, vnd haben vff disen hüttigen Tag *b)*. Als vns der Erwirtig Herr Bischoff Vlrich von Gots Gnaden ze Chur, der edell Herr Graff *Albrächt* von *Wärdenbärg*, Abt *Vlrich c)* von Salmanschwiler, Her *Fridrich* von *Riet*, vnd Her *Wölfli* von *Wolfurt* Riter, die

a) De hoc *Rudolpho* refert *Tschudius* Gall. comat. p. 292. quod a. 1335. partem dominii Vatiensis hæreditate acquisiverit.
b) Nimirum hi comites more antecessorum ſuorum advocatia, qua gaudebant, abusi castrum *Wartenstein* ſibi usurpare volebant. Conf. N. LXXXIV. a. 1276.
c) Fuit hic *Udalricus* etiam ex comitibus de *Sargans*, abbas elect. a. 1337. ob. a. 1358. *Brusch.* Chronol. mon. fol. 106.

wir ze Schidlüten darüber namen, vnd genomen habend, geſcheiden vnd bericht hand mit einanderen alſo, das wir vnd der vorgenant Abt HERMAN von *Pfäffers* einandern gut Fründ ſond ſin vmb die Sachen, die wir mit einandern ze ſchaffen gehabt hand uf diſsen hütigen Tag, bi vnſeren Treüwen, die wir darumb gegäben hand an Eides ſtat, ſtäte ze habene.

Si hand auch geſcheiden, das wir im, noch dem Gotzhus Pfäffers die Burg *Wartenſtein d)* nimermer empfrömbden ſond, noch darnach ſtellen, das ſy im entpfrömdet würde von vnsertwägen. Sy hand auch witer geſcheiden und uns geſeit, das wir mit dem vorgenanten Abt vnd dem Convendt ze *Pfäffers* in aller der Liebe vnd Fründtſchafft läben ſüllent, vnd ſin ſond; als Vogt vnzher mit im geläbt handt mit andern Aepten bi der Treüwe, als wir gelobt handt.

Ze Vrkundt ainer Warheidt, ſo gäben wir diſen Brief beſiglet mit unſerm eignen Inſigell, der gäben ward ze ingändem Mejen, do man zalt von Gots Geburt drizächen hundert Jar, darnach in dem zwei vnd vierzigiſten Jar.

d) Arx diruta haud procul a monaſterio Fabarienſi, a *Conrado I.* abb. incunte ſec. XIII. extructa, ut ſe adverſus advocatorum violentias tueretur.

CIV.

CAROLUS IV. Rom. rex eccleſiæ Curienſi reſtituit bona quædam in valle Venuſta, quæ eidem olim ſubtracta fuerant, die 4. April. anno 1348.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

CAROLUS Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus, et Boemiæ rex — Notum facimus univerſis, quod inſinuatione venerabilis ULRICI epiſcopi Curienſis, principis devoti noſtri dilecti percepimus, quod caſtrum dictum *Montani a)* in fundo et proprietate Curienſis eccleſiæ conſtructum extitit contra voluntatem illius, qui pro tunc erat epiſcopus eccleſiæ memoratæ, et capella ſancti *Medardi b)* ſita prope dictum caſtrum eidem eccleſiæ eſt abſtracta de facto potius, quam de iure.

Nos igitur volentes ſupradictum ULRICUM epiſcopum Curienſem principem noſtrum, et eius eccleſiam indemnes reddere, et in ſuis iuribus per omnia, prout expedit, gratioſius conſervare, ſibi et omnibus ſucceſſoribus ſuis prædictum caſtrum, capellam *S. Medardi* præfatam cum eorum pertinentiis; nec non curias villicales *Morter c)* et *Lätſch*, quæ ab antiquo ad dictam eccleſiam pertinuiſſe noſcuntur, eo iure, quo prædicta bona, ſicut et totus comitatus Tyrolis, certis rationabilibus de cauſis ſunt ad noſtram celſitudinem legitime devoluta, de regiæ poteſtatis plenitudine reddimus, reſtituimus, et ipſum ac ſucceſſores ipſius ad poſſidendum prædicta, et eorum quælibet de regiæ benignitatis gratia præſentibus inveſtimus: inhibentes diſtricte omnibus et ſingulis principibus, ducibus, comitibus, baronibus, militibus, clientibus, civibus, officialibus et viceofficialibus, qui ſunt, vel qui pro tempore fuerint, fidelibus noſtris, quatenus prædictos epiſcopum et ſucceſſores ipſius, ac eccleſiam prædictam circa præmiſſam noſtræ redditionis ac reſ-

a) Duplex olim caſtrum hoc nomine inſignitum ſupra- et infra *Montani* in tractu oppidi *Latſch* in valle Venuſta.

b) Hodiedum extat *S. Medardi* eccleſia ſupra pagum *Tartſch*, quæ equitum Melitenſium eſt, ab epiſcop. Curiens. *Bertholdo* anno 1228. illis tradita.

c) *Morter* pagus in eadem regione eſt illa *terra mortuorum* quam *Otto I.* imp. a. 967. *Victori* Curienſi archipresbytero donaverat, quæ ea omnia complectebatur, quibus eccleſia Curienſis in valle Venuſta gaviſa eſt.

titutionis gratiam non impediant, ſeu moleſtent; imo verius ſtudeant favorabiliter promovere, ſub pœna noſtræ indignationis, quam, qui ſecus attemptare præsumpserint, se cognoscant graviter incursuros, præsentium testimonio litterarum.

Dat. *Pragæ* anno Domini MCCCXLVIII. indict. I. quarta die menſis Aprilis, regnorum noſtrorum anno ſecundo.

CV.

Carolus IV. Rom. rex eccleſiæ Curienſi donat caſtrum et dominium *Nudersbergense* die et anno iisdem.

Ex archivo Curienſi.

Carolus Dei gratia Romanorum rex ſemper Augustus, et Bohemiæ rex. Si regiæ celsitudinis circumspecta benignitas universos fideles ipſius, quos Romanum ambit imperium, pro (*pio*) favore prosequitur; ad illos tamen honores et commoda accuratius tenetur intendere, qui se ſingulari devotionis ſtudio et ſpiritualibus fidelitatis obsequiis gratos fecerunt hactenus, neque cessant assidue virtutum continuis incrementis reddere gratiores.

Sane inspectis meritis fidei et puritatis constantia, quibus venerabilis Vlricus episcopus Curiensis, princeps et devotus noster dilectus se ad honores Romani imperii promtum reddidit, et in futurum acceptis beneficiis promtiorem facere poterit et debebit; prædicto Vlrico, nec non omnibus ſuccessoribus ipsius in perpetuum, et eccleſiæ ſuæ memoratæ bona deliberatione prævia, et ſano noſtrorum procerum accedente consilio caſtrum *Nudersberg a*), totum iudicium, et ius patronatus eccleſiæ ibidem; *Closam* in *Vinſtermünz b*) et quicquid ad ſupradictum iudicium in *Nuders* ab antiquo pertinuit, ſeu pertinet in præsenti, incipiendo a longa cruce, quæ est ſuper Merica in *Mals* usque ad pontem in *Vinſtermünz*, qui est ſuper fluvium Oenum: et ab ipso ponte Oenum ascendendo usque ad illum pontem, qui *Pons altus* dicitur, ex utraque parte ipsius aquæ Oeni, cum universis honoribus, et bonis, directo et indirecto dominiis, bannis, proſcriptionibus, et omnibus iudiciis, cippo et patibulo, censibus, ſteuris, montibus, vallibus, planis, et toto eo, quod in iudicio ſupradicto ſitum est, cum omni iure, dominio, ſervitiis, usufructibus, consuetudinibus, et libertatibus; prout idem iudicium et bona in *Nuders* a bonæ memoriæ ſpectabilibus comitibus, ſeu dominis Tyrolis habita ſunt hactenus et possessa; eo iure et forma, ut eadem bona, ſicut et comitatus Tyrolis certis de causis ad noſtram celsitudinem ſunt legitime devoluta, de certa noſtra ſcientia damus, conferimus, et donamus.

Ut autem hæc noſtra donatio illæsa permaneat, et nullo unquam tempore a nobis vel ſucceſſoribus noſtris imperatoribus et regibus Rom. amodo revocetur, præsentes litteras fieri, et noſtræ maiestatis ſigillo iuſſimus communiri. Mandamus igitur universis et ſingulis principibus etc. etc. quatenus ſupradictum episcopum, eccleſiam memoratam, et omnes ſuccessores ipsius in prædicta noſtræ concessionis, donationis gratia non inquietent, offendant etc. etc.

Dat. *Pragæ* anno Domino millesimo trecentesimo, quadragesimo octavo, indictione I. non. Aprilis, reg. noſt. anno ſecundo.

a) Territorium *Naudersbergense* olim complectebatur non ſolum extremam occidentalem plagam Tyrolis circa *Mals*, ſed integram quoque inferiorem *Engadinam* a *Finſtermünzio* usque ad Pontem altum (*Pont alt*) ſupra *Cernetium*, quemadmodum in hoc diplomate describitur. Hinc est, quod rhætica iurisdictio in Engadina inferiore hodiedum ab Aug. domo Auſtriaca in quibusdam reſtricta ſit.

b) Die *Clausen* prope *Finſtermünz*.

CVI.

Udalrici episcopi Curiensis litteræ in causa divortii *Ioannis* comitis Tyrolensis et *Margaritæ* coniugis die 30. Maii anno 1349.

Ex apographo arch. nostri.

Ulricus Dei et apostolice ſedis gratia episcopus Curiensis omnibus et ſingulis ecclesiarum rectoribus et ceteris clericis per Curiensem atque Pragensem aliasque civitates, et earum diœceses constitutis ſalutem in Domino, et mandatis nostris, ymo verius apostolicis ſubscriptis firmiter obedire.

Noveritis omnes et ſinguli, nos rescriptum apostolicum ad nos delatum non cancellatum, non abolitum vel abrasum, ſed expers prorsus omni ſuspicione, ut apparuit ſub bulla plumbea et filo canapis, nos reverenter recepisse continencie in hec verba:

Clemens episcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus patriarche Aquilegiensi et episcopo Curiensi ſalutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri *Iohannis a)* comitis Tyrolis, nati clare memorie *Iohannis* regis Bohemie, peticio continebat, quod licet ipse et nobilis mulier *Margarita b)* nata quondam *Henrici* ducis Carinthie, quarto consanguinitatis ſeu affinitatis gradu vel infra se contingerent, ipse cum tunc huiusmodi impedimentum ignorans, cum dicta *Margarita* matrimonium contraxit per verba legitime de presenti etc. etc. — — quodque postmodum dicta *Margarita* desiderans esse mater, et filios procreare, propria temeritate, non expectato iudicio ecclesie, ab ipso *Iohanne* discedens, se *Ludowico c)* de Bavaria, qui se tunc marchionem Brandeburgensem nominabat, dicti *Iohannis* comitis infra quartum gradum consanguineo matrimonialiter copulavit de facto.

Quare dictus *Iohannes* nobis humiliter ſupplicavit, ut si inter predictos *Iohannem* et *Margaritam*, predictum consanguinitatis ſeu affinitatis, vel aliud canonicum impedimentum intervenisse constet; matrimonium ipsum inter eos contractum fuisse et esse nullum denunciari per discretum aliquem faceremus etc. etc. — —

Quia vero nobis de premissis non constat, fraternitati vestre, de qua plenam in Domino in hiis et aliis fiduciam obtinemus, per apostolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum de premissis et aliis circumstanciis universis diligentius informantes, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, auctoritate nostra decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam appellacione postposita firmiter observari. Non obstantibus felicis recordacionis *Bonifacii* papæ VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, quod aliquis ultra unam dietam a fine ſue diœcesis ad iudicium non vocetur, ac generalis concilii de duabus dietis, et alia qualibet apostolica constitucione contraria, per quam nostre iurisdictionis explicacio posset in hac parte quomodolibet impediri; aut si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica ſit ſede indultum, quod interdici, ſuspendi, vel excommunicari non possint, per

a) Conf. infra N. CXII. b) Conf. ibid.

c) *Ludovicus* filius *Ludovici* Bavari imperatoris, teste *Goswino* Mariæmontano coævo, anno 1349. circa festum Purificat. B. V. pulso *Ioanne*, *Margaritam* ſibi coniugem assumsit. Conf. infra N. CXII. Sed *Ioannes* de *Schönfelt* pariter coævus id iam anno 1342. factum narrat. (*Wurdtw. Nov. Subsid. dipl. T. III. p.* 236.)

litteras apoſtolicas non facientes plenam et expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mencionem. Datum *Avinione* XVI. Kal. Ianuar. Pontificatus nostri anno ſeptimo *d*).

Volentes igitur tanquam obediencie filius idem nobis iniunctum mandatum, in quantum in nobis eſt, cum debita reverencia et ſollicitudine adimplere. Vobis igitur omnibus et ſingulis ſub pena excommunicationis iam late ſentencie trium dierum ſpacio pro canonica et peremptoria monicione premiſſo, in hiis ſcriptis precipimus et mandamus, quatenus, prout requiſiti fueritis, communiter, vel diviſim ſpectabilem dominum *Iohannem* comitem Tyrolis, atque nobilem dominam *Margaritam* ſupradictos perſonaliter, honorifice et decenter accedatis, evocantes atque citantes ipſos, quos et nos in hiis ſcriptis ſic evocamus, ut feria ſexta proxima poſt octavam beatorum apoſtolorum Petri et Pauli *e*) in eccleſia parochiali S. Ioannis in *Tyrolis* compareant peremptorie coram nobis, per ſe, vel eorum procuratores ſufficientes, ſuper premiſſis inter ſe legitime proceſſuri, et noſtrum proceſſum atque ſollicitum et iuſtum deſuper iudicium Deo propicio recepturi. Datum ſub noſtro pendente ſigillo anno Domini MCCCXLIX. in vigilia Penthecoſtes *f*).

d) Hoc eſt die 17. Decemb. anno 1348. nam *Clemens VI.* papa electus eſt ann. 1342. 14. Maii.

e) Feſtum SS. Apoſt. Pet. et Pauli hoc anno incidebat in feriam II. quare proxima feria VI. poſt octavam feſti erat 10. Iul.

f) Hoc eſt die 30. Maii, ultima enim eiuſdem menſis erat ſolemnitas Pentecoſteos.

CVII.

ANNA abbatiſſa in *Schœnnis* comiti *Friderico* de *Toggenburg* duas mulieres dono concedit die 10. Ianuar. anno 1356.

Ex Tradit. S. Galli p. 597.

Wir Fro ANNA von Gottes Gnaden Abtiſchen des Gotzhus ze *Schennis*, tuont kunt und vergehent offenlich an diſem Brief, daz wir dem edeln Herren Graf *Friderichen* von *Tockenburg a*) und ſinen Erben geben hant und gebent mit diſem Brieff für vns, und alle vnſer Nachkommen, die erberen Frowen, Fro Annen Cuonrattes von *Langenrütti b*), vnd Fro Adelhaitten von Eglingen, iro beder Tochter, dü vnſer, vnd unſers Gotzhus aigen was, vmb die Güttait, ſo er uns vnd vnſerem Gotzhus getan hat, vnd noch tuon ſol vnd mag: vnd hand im dieſelben obgenante Frowen geben für aigen mit allen den Rehten, Nützen vnd Gewonhaitten, ſo zuo derſelben Frowen hört, alder gehören ſol etc. etc.

Ze *Schennis*, in dem Jar, do man zalt von Gottes Geburt drüzehen hundert Jar, vnd darnah in dem ſehs vnd funftzgoſten Jar, an dem nehſten Sunnentag nah dem zwelften Tag *c*).

a) *Fridericus* de *Toggenburg* uxorem habuit *Cunegundem Ioannis Donati* de *Vatio* filiam, quacum plurimam ditionem accepit; obiit a. 1368. Vid. *Leon.* Tigur. Lex. Helvet.

b) *Langenrüthi* villa eſt in iudicio Egnacenſi comitat. Turgoviens.

c) Id eſt 10. Ianuar. ſeu Dominica I. poſt Epiphaniam quod feſtum hoc anno in feriam IV. incidebat.

CVIII.

Ludovicus marchio Brandenburgicus Petro episcopo Curiensi castrum *Fürstenburg* etc. restituit die 23. Ianuar. anno 1358.

Ex apographo Mariæmontano.

Wir Ludwig *a*) von Gottes Gnaden Margraf zu Brandeburg und zu Lusitz, des heilligen römischen Reichs obrester Kamerer, Pfalzgraf bey dem Rhein, Herzog in Bayrn und in Charndten, Graf zu Tyrol und Görz, auch Vogt der Gottshauser *Aglei b*), Trient und Brixen, bekennen für uns, *Margreth* unsern lieben Gemahl, und all unser Erben offenlich mit disem Brief.

Wen der ehrwürdig Herr Peter, Bischof, unser lieber Haimlicher . . der Thumprobst . . der Dechant, und das Capitul gemaincklich zu Chur, für ſich, und all ihr Nachkomen ſich mit den Vesten *Fürstenburg c*) und *Staindsberg*, und mit allen anderen dem Gottshaus zu Chur Vesten, Leut und Guet, Edlen und Unedlen zu uns verpflicht und verbunden haben, als in dem Brief begriffen ist, den wir von ihme darum haben; haben wir durch Seligkeit unserer Seel, und auch zu Lob und zu Ehr Gottes, und ſeiner Muetter, den obgenanten Herrn Peter Bischof, und dem Gottshaus zu Chur die vorgenante Veste *Fürstenburg*, die wir inne gehabt haben, lediglich wider geantwürth und geben mit allem, was dazue gehört, Leuten und Guetteren, Geistlichen und Weltlichen, als ſie die vormahlen inngehabt haben.

Wir haben auch den vorgenanten Bischof mit ſambt den Vesten *Fürstenburg* und *Stainsberg* mit dem obgenanten Gottshaus Leuten und Guetteren, wie die genant ſeyn, die in unseren Herrschaften und Gebueten ligend, in unser Gnad, Schirm und Frid genädiglichen genamen und empfangen, also, das wir ſie zu den Rechten ſchürmen und vertretten ſüllen und wöllen, und ſie vor Gewalt und Unrecht retten, und versprechen getreulich gegen maniglichen, wo ihne des Noth geschicht, an Geuarth.

Und dessen zu Urkhund geben wir ihm disen Brief versiglt mit unserem Insigel, das daran hangt. Der geben ist zu *St. Petersberg* den Montag nach *St. Agnes* Tag *d*) nach Christ Geburt dryzehen hundert Jar, und darnach in dem acht und funffzigisten.

a) *Ludovicus* Ludovici Bavari imp. filius, fuit alter maritus *Margaritæ* Maultasch dictæ, quæ patrem habuit *Henricum* Bohemiæ regem et ducem Carinthiæ. Conf. N. XCVIII. a. 1325. *b*) Aquileia. *c*) Castrum in Venusta valle.
d) Anno 1358. festum S. Agnetis ſeu 21. Ianuar. incidebat in ſabbathum, proin ſequens feria II. fuit 23. eiusdem mensis.

CIX.

Guta Cazensis abbatissa Petro episcopo Curiensi ſuas possessiones in valle Venusta tradit pro iure patronatus in ecclesia Altæ Rhætiæ in valle Domestica, die 1. Iunii anno 1359.

Ex archivo episcop. Curiensi.

In nomine Domini amen. Nos Guta *a*) divina permissione abbatissa, et conventus cœnobii in *Catz*, Ord. S. Augustini, Curiensis diœcesis, notum facimus tenore præsentium universis, quos

a) Nullibi alias hæc *Guta* occurrit, unicumque hoc monumentum ſeculi huius de Cazensi parthenone ad manus est

noſse fuerit opportunum, quod nos diligenti præhabita deliberatione, et ſolemni ac unanimi conſensu, pro nobis et noſtris ſequacibus, et ſucceſſoribus, noſtræ eccleſiæ et cœnobii evidente utilitate inſpecta, cum reverendo in Chriſto patre ac domino PETRO Dei gratia epiſcopo Curienſi inivimus, tentavimus et conſummavimus permutationem et cambium in hunc modum:

Videlicet, quod nos bona et poſſeſſiones quaſcunque in valle *Venuſta* in locis quibuſcunque ſita, quæ nobis hactenus pertinuerunt, et pertinere potuerunt iure et modo quocunque, et ſpecialiter in curiis ſeu curtibus dictis *Schautzach b)* et *Milenz* cum ſuis reditibus etc. etc. et cum ſuis iuribus univerſis, prout eadem bona ad nos et noſtrum cœnobium hactenus pertinuerunt, proprietatis et dominii pleno iure tranſtulimus et transferimus per præſentes via et modo, qua poſſumus, meliori in reverendum in Chriſto patrem dominum PETRUM epiſcopum ſupradictum, ipſiusque ſucceſſores ac eccleſiam Curienſem, per ipſos in perpetuum poſſidenda; quodque idem dominus PETRUS epiſcopus ſæpe fatus, ſuique in perpetuum ſucceſſores de eisdem bonis diſponendi et ordinandi ac ea locandi, prout voluerint plenam habeant facultatem.

Dominus quoque PETRUS ep. Cur. prædictus pro se et ſuis ſucceſſoribus, accedente ad hoc capituli Curienſis conſensu, ius patronatus eccleſiæ in *Rialt* in valle *Tamleſch* ſitæ diœceſis Curienſis, quod ad ipſum et ſuos prædeceſſores longo tempore pertinuit, pleno iure in noſtrum cœnobium tranſtulit, cum ſuis iuribus et pertinentiis univerſis, titulo permutationis et cambii ſupradicti, in recompenſam omnium prædictorum.

Et in evidentiam omnium præmiſſorum nos GUTA abbatiſſa prædicta et conventus cœnobii ſupradicti noſtra ſigilla appendimus ad præſentes. Datum et actum in civitate *Curienſi* anno Domini MCCCLIX. die prima Iunii, indict. XII.

b) Forsan *Schanzen* in diſtrictu oppidi *Lätsch*, infra N. CXI. vocatur *Santzan*.

CX.

LEOPOLDUS archidux Auſtriæ R. P. GOSUINUM priorem Mariæmontanum ſacellanum ſuum conſtituit, die 1. Aprilis anno 1374.

Ex apographo Mariæmontano.

Wir LEUPOLDT *a)* von Gottes Genaden Herzog zue Oſterreich, zue Steir, zue Kherndten und zue Krain, Graf zu Tyrol etc. verjechen und thuen khundt offenlich mit diſem Brief, daſs wir angeſehen haben das gottlich und ſelig Leben des erbarn und gaiſtlichen Brueder GOSWEINS *b)*, Prior des Cloſters zue St. Mariaberg in dem Vingſchau; und haben auch betracht die groſsen Trey und Andacht, die er zue demſelben ſeinem Cloſter hat, und daſs er Tag und Nacht darum arbeit, daſs desselb Cloſter bey Ehren und Wirden beleib, und dem allmachtigen Gott, und unſer lieben Frauen Maria da fleiſsikchlich gedient werde; und habe dadurch den vorgenanten Prior zue Caplan, und in unſern weſendten Schirm und Gnadt genamen, und nemen auch wiſſentlich mit diſem Brief alſo, daſs er ſich gentzlich tröſten ſoll und mag aller Sicherhait, Frejung, Gnad und Schirmung wie andre Caplän bey unſern Vordern ſeligen, und bey uns her-

a) *Leopoldus* cognomento *Probus*.

b) Floruit *Goswinus* uſque ad ſec. XIV. finem, maximus plane inter ſuos vir, qui præter alia merita fideliter omnia conſcripsit, quæ ſuo tempore circa ſuum monaſterium contigerunt, ex quibus aliqua infra dabimus.

bracht, und die unser getreuen lieben unser Haimliche, oder unser Hofgsindt in khainer Weis, und Recht, oder Gwonheit angehörendt.

Davon haisen wir unser liebe Getreuen, alle Haubtleuthe, Herrn, Ritter und Knecht, alle Pfleger und Burggrafen, alle Richter und andere Amtleuth, die yetzo ſein, oder khonnfftig werden, und wöllen ernschlich, daſs ſie in, den ehgenanten Prior, lassen durch unseren Willen empfolchen ſeyn in allen ſeinen Sachen, die er an ſie bringt, und in ſchirmen und halten bey allen Rechten, Gnaden, Fraiheiten, und gueten Gwonhaiten, die ander unser Caplän, Haimlichen und Hofgesindt haben; daſs im khain Gewalt, khain Freuel, khain Räch noch Unrecht widerfahr in khainem Weg. Wer im dariber Laidt thet, der fiel darum ſchwerlich in unsern Zohrn und Ungnad.

Und deſs zu Urkhundt hieſsen wir unser Insigel hengen an disen Brief, der geben ist zue *Bozen* an dem heilligen Abent zu Ostern *c*) nach Christes Geburth dreizechen hundert Jahr, und darnach in dem vier und ſibenzigisten Jahr.

c) Hoc est ſabbatho ſancto, quod hoc anno in primam Aprilis incidebat.

CXI.

FRIDERICI Brixinensis, antea Curiensis, episcopi litteræ de commodis vicedominatus ecclesiæ Curiensis, quibus gaudebant nobiles de *Reichenberg*, die 23. Iunii anno 1377.

Ex archivo episcopali Curiensi.

Wir FRIDERICH *a*) von Gottes Gnaden Bischoff ze Brichsen bekhennen vnd thun khundt offentlich mit disem Brief, daſs zu den Ziten, da wir mit dem edlen vnd erbarn Manne Hansen von *Richenberg b*) von deſs Gottshuses wegen ze Chur, da wir daselbſs Bischoff waren, vberainkhomen vmb das gantz Vitztumampt des egenanten Gottshuses ze Chur, in dem Vinsgöw, als die Briefe lutent, die darüber gegeben ſind, daſs er vns da gab vnd antwurt den Rodel, der an disem Brief geheſſt, vnd gepreſslet ist; daran verschriben ſollendt ſtehn die Güter, Lehen, Aempter vnd Recht, die zue demselben gantzen Vitztumampt gehörendt.

Und deſs zu Uhrkhundt vnd Zeugnuſs hieſsen wir denselben Rodel verreſslen zu disem Brief, und vestnen mit unserm anhangenden Insigel. Dis ist beschechen ze *Wienn* an Ertag vor St. Johanstag ze Sunnwenden *c*) nach Krists Geburt 1377.

Hæc ſunt feuda, ſive beneficia, quæ nos de *Richenberg* habemus a reverendo patre nostro episcopo Curiensi. Primo habemus unum officium, quod dicitur *Vicedominatus.* Item omnes coloneas, quæ pertinent ad curtem Donegam. Item habemus unum officium a domo Tyrolensi, et dicitur *Marschalkampt* a Ponte alto citerius, et a Monasterio exterius *d*). Item omnes coloneas de *Tarasp* habemus ab ipso officio, et etiam beneficia. Item decimam de *Malls* — — Item

a) *Fridericus* a Menzingen anno præcedente ad ecclesiam Brixinensem, dimissa Curiensi, promotus.
b) *Richenberg* castrum duplex in valle Monasteriensi ſupra Tuberium, unde nobiles Reichenbergici ortum trahunt, qui bona ecclesiæ Curiensis in Venusta valle ſita, ut vicedomini administrabant.
c) Tempore ſolstitii æstivi, in festo S. Ioannis Baptistæ, quod hoc anno incidit in feriam IV. ut proin præcedens feria III. fuerit 23. Iunii.
d) Hoc est trans Ofenum et Valderam montes in Engadina a loco *Pontalt*, et cis montana dicta in valle Monasteriensi.

habemus in beneficio unum officium, quod dicitur *Chuchenmeisterampt*, item omnes decimas carnium et decimam de *Algund*. Item habemus unum officium quod dicitur *Schenckampt* — — decimam in *Marniga* ſolventem annuatim urnas XL. vini. Item concedimus villicationem ſive curtim de *Santzan* et alia beneficia et coloneas. Item habemus ex illa villicatione annuatim duo ſervitia cum XL. equis.

Item dominus episcopus debet habere extra ipsum duo ſervitia cum tot, quot vult conducere ſecum, et quotidiana ſervitia, quotiescunque vult. Item advocatus debet habere ſemel in anno ex illa villicatione unum ſervitium cum XL. equis et non pluribus. Item ſine aliquo officio habemus ab episcopo in beneficio, quandocunque est *Bisext* etc. ſive *Suguta* e) oves 100. et libras 40. veron. Item ponimus decanum, et ille habet a nobis in beneficio 80. modios grani et 120. formas casei etc. etc. Item quando episcopatus est ſine episcopo, tunc castrum de *Fürstenburg* debet nobis repræsentari, cum omnibus pertinentiis.

e) Melius: *Bissextus* ſive *Sacata*. *Bissextus* hic non annum bissextilem ſignificat, ſed ſpeciem quamdam exactionis episcopalis. *Sacata* vero, quasi *Secata*, erat ſervitium, quo vasalli fruges domini ſui metere tenebantur. Adi *du Cange*.

CXII.

Fragmenta ex relationibus a GOSWINO priore Mariæmontano ad finem ſeculi XIV. compilatis.

Ex apographo Mariæmontano.

Hæc est memoria comitum ducumque dominii de *Tyrol*.

Anno Domini 1243. obiit comes *Albertus* egregius ac nobilis princeps pater ducis *Meinhardi* in die S. Mariæ Magdalenæ.

Anno 1292. obiit dux *Albertus* filius ducis *Meinhardi*.

Anno 1295. obiit dux *Meinhardus*, qui primus comitum de *Tyrol* ducem Carinthiæ ac Stiriæ se ſcripsit, et nominavit, pluraque alia terribilia ac horrenda in terra nostra fecit, districtus et valles expugnando, et castra evertendo; humiliando etiam quoscunque poterat, nobiles, et ſibi ſubiiciendo in tantum, ut comitatus de *Tyrol*, qui minor erat, cæteris omnibus emineret. Hic ob remedium animæ ſuæ, et ſuorum parentum construxit religiosam domum monasterium S. Ioannis in *Stambs* et ibidem ſepultus anno ut ſupra, in vigilia omnium Sanctorum *a*).

Anno 1305. dux *Ludovicus* obiit in die S. Mauricii, et filius fuit ducis *Meinhardi*.

Anno 1310. ob. dux *Otho* filius ducis *Meinhardi* in die S. Urbani.

Anno 1335. ob. rex *Hainricus* *b*) filius ducis *Meinhardi* in die S. Ambrosii. Hic dominus *Henricus* filiam ſuam dominam *Margaretham* *c*) desponsaverat, ac in coniugem dederat nobili domino *Ioanni*, ducis Moraviæ filio regis Bohemiæ; qui tamen propter impotentiam coeundi a dominis et ab incolis terræ de terra pulsus est. Hæc depulsio facta est anno Domini 1348. feria VI. quæ erat in die omnium Sanctorum.

a) Fuit is *Meinhardus III.* de quo vid. *Wendenthal* Austr. Sac. 2. Th. 3. B. p. 393.

b) Habuit itaque *Meinhardus III.* filios quatuor, quorum heic obitum recenset *GOSWINUS*, *Albertum*, *Ludovicum*, *Ottonem*, *Heinricum*, hic ultimus fundavit monasterium in *Schnals* a. 1326. meminitque trium ſuorum fratrum defunctorum. Conf. ſupra N. XCVIII. dicto anno. *c*) Ob os informe *Maultasch* dicta. Conf. ſupra N. CVI.

Anno 1349. circa feſtum Purificationis B. V. M. venit dominus *Ludovicus d*) marchio Brandeburgenſis filius domini *Ludovici* imperatoris in caſtrum *Tyrol*, vocante eum conſilio, quod dictum dominum *Ioannem* de terra expulerat, ut traderet ſibi uxorem dominam *Margaretham*, quam dicto domino *Ioanni* abſtraxerant, tamen ſatis affinem ſibi, nullo divortio celebrato. Et ex tunc idem dominus *Ludovicus* dominium Tyrolenſe ſibi uſurpavit, et omnes ſibi, ut vero domino, iurantes annis pluribus regnavit. Tandem intoxicatus, ut dicitur, obiit anno Domini 1363. in die S. Lamberti.

Anno Domini 1363. dominus *Meinhardus* adoleſcens circiter 18. annorum filius dom. *Ludovici* ſupra memorati ſucceſſit in dominio patrem ſuum. Hic magnanimus, et ut ſperabatur alter *Meinhardus* modico tempore regnavit, et, ut vulgariter dicebatur, ut eius pater morte præoccupatus fuit anno ſequenti, quo patri ſucceſſit in octava Epiphaniæ videlicet 1364.

Nunc pauca de vicedominis et capitaneis eiusdem caſtri *Tyrol*.

Anno Domini 1347. erat *Volcmarus* capitaneus terræ, ſub quo dominus *Ioannes* dux de terra fugatus eſt. Huic ſucceſſit in regimine domina *Margaretha* uxor dicti domini *Ioannis*, et uno tantum anno regnavit. Demum ſubſtituit dominum *Cunradum* de *Schennau*. Huic ſucceſſit dominus *Fridericus Mautnez* temporibus domini *Ludovici* marchionis. Poſt hunc venit dominus *Schwigerus* de *Gundelfingen*. Poſt hunc ſucceſſit dominus *Engelmair*, quem dominus dux de *Tekk* fecerat decollari. Huic idem dominus *Cunradus* dux de *Tekk* ſucceſſit, qui etiam a domino *Schwigero* de *Gundelfing* gladio necatus occubuit poſt mira facta, quæ in terra noſtra perpetravit. Hunc ſucceſſit dom. *Rotterpeck*, quem ſecutus dom. de *Wolfſtain*. Poſt hunc conſtitutus fuit dominus *Hermannus* plebanus de *Tyrol* temporibus, quibus præfatus do. *Ludovicus* marchio occubuit. Hunc ſucceſſerunt dom. *Ulricus* de *Amatia*, et dominus *Häl*, qui aliquanto tempore ſimul terram regebant; tandem idem *Ulricus* generalis capitaneus terræ electus eſt, et tribus annis regnavit; huius temporibus fuit *Berchtoldus* de *Cuſidaun e*) capitaneus terræ.

Anno Domini 1361. in die SS. Tiburtii et Valeriani electa eſt domina LUCIA abbatiſſa in monaſterio S. Ioannis — — vacante tunc abbatia per mortem dominæ AGNETIS annis viginti novem. Conſecrata autem eſt præfata ſanctimonialis fœmina in feſto Aſſumptionis S. Mariæ a venerabili domino PETRO epiſcopo Curienſi, cui pro ipſa benedictione dati fuerunt floreni viginti novem, et ſcriptori, camerario, cæteriſque famulis quinque floreni.

Anno Domini 1363. in craſtino Kalendarum Septembrium inclitus ac nobilis princeps *Rudolphus f*) dux Auſtriæ et comes Tyrolenſis cum tota terra Atheſi *g*) ac omnibus appendiciis et iuribus, reſignante ſibi præmiſſa omnia domina *Margareta* relicta quondam domini *Ludovici* marchionis *h*), cum conſilio nobilium ac ignobilium huius terræ in ſuam poteſtatem redegit. Eodem tempore idem dux bona epiſcopatus Tridentinenſis de manu domini *Ulrici i*) advocati iunioris pro tunc capitanei totius terræ ad hoc electi per nobiles et ignobiles, abſtrahens in ſuam redegit poteſtatem. Ipſi vero epiſcopo domino de *Ortenburg k*) nil præter iura eccleſiaſtica, et

d) Vide ſupra eiusdem *Ludovici* chartam N. CVIII. Conf. quoque l'Art de Vérifier les Dats T. III. p. 522. et 523.

Unſer fründtlich willig Dienſt, ſambt was wür Ehrenliebs und Guets vermügen zuvor, fromm, fürſichtig, ehrſam, wyſs, inſonders guet Fründt und getrewe, liebe Aydt- und Pundtsgnoſſen! es hat uns der hochwürdig Fürſt und Herr Beatus, Biſchoff zu Chur etc., durch ir Fürſtl. Gnad. auſsgeſandten Anwald fürgebracht und zu erkhennen geben, wiewohl vergangner Jahren zwiſchen eüch und dennen von Salis und irer Mitpart und ir Fürſtl. Gnad. von unſeren Geſandten clarlich und aigentlich abgeredt, und vertragsweiſe nebendt gewonlicher beiderſeits gethoner Anlobung in Brief und Sigel begriffen worden, wie und welchermaſsen ſich jeder Theil gegen dem anderen, es ſeige habender Freyheiten, auch damahlen uferloffnen Coſtens, halten und tragen ſolle, ſo begegne doch ir Fürſtl. Gnad. jez dann an dennſelbigen Brief und Siglen, Freyheiten und Gerechtikheiten von dennen von Salis und iren Mithaften allerley beſchwerliche Intrag, und daſs die Sachen dermaſsen wider ir Fürſtl. Gnad. angericht ſeigen, daſs zu beſorgen, wofer ſy bemeltem irem Gegenthail der gethonen Foderung nit gefellen, oder inen ires Gefallens ein endtſchlieſsliche Andtwurt uf die Khurerkilbi nit geben, daſs ſy (wie dann uſs etwas uſsgelaſsnen trew Worten abzenemmen) etwas Tättlichs fürnemmen wurden. Zudeme daſs auch ir Fürſtl. Gnad. an etlichen Orthen ire gebürende Zins, Gülten, Zöll und anders bishär nit volgen mügen.

Inſonderheit aber werde ir Fürſtl. Gnad. uſserhalb denn hievor verrichten ſpennigen Articlen jez dann zue- und ohnahngemuetet, ſich zu eröffnen, ob ſy welle die Gotshausleüth für ir und irs Stiffts Schuz, Schirmherren und Coſtenvögt erkhennen oder nit, item ſo underſtande man ir Fürſtl. Gnad. alle zway Jar (als wie die Ambtleüth ins Veltlin) ainen Hofmaiſter zu ſezen, der inen den Gotshausleüthen Innemens und Ausgebens Rechnung gebe etc., welches geſtraks ir Fürſtl. Gnad. Stifft und deſſelbigen Freyheiten zuwider, mit ganz hochfleiſsigem Anrueffen, wür wollendt ir Fürſtl. Gnad. bey dero Stiffts Freyheiten, Brief und Siglen, und von gemeiner löbl. Aydtgnoſschaft Geſandten geſprochnen, ufgerichten und beſigelten Sprüchen ſchüzen, ſchirmen und handthaben etc.

Dieweil nun, wofer es bey den angemelten Verträgen nit beleiben ſolte, ſolches gemeiner unſer Aydtgnoſsſchaft (als denen, ſo ſelbige gemacht) Verkhleinerung bringen, und ſonſt bey euch und den anderen beyden Pündten, unſeren getrewen, lieben Aydts- und Pundtsgnoſſen, merk-

liche Unruewen verurſachen möchte — dem allem und vernerem Unrhat vor zu ſein, ſo gelangt an euch, unsere getrewe liebe Aydt- und Pundtsgnossen, unsers ſonders fleiſsigs und freündtlichs Gesinnen und Pitten, ir wellendt diejenigen, ſo wohlermeltem Bischoffen nit bey ufgerichten Sprûchen, Verträgen, Brief und Siglen, auch allten Fryhaiten und Gerechtikeiten bleiben lassen welltindt, dahin weisen und vermögen, daſs ſy desselbigen ires Vorhabens abstandind, und insonderheit gesagten Herren Bischoven darûber weiter nit trengen, noch iehzit anders, weder tättlich, noch was Unruhen erwekhen möchte, old Newerung brächte, furnemen. Deſsgleichen ir Fûrstl Gnad. dasjenig, ſo iren gehörig, es ſeigindt Zins, Gûlten, Zöll und anders, ohne verners Verspeeren pillichen gefolgen lassindt, auch ir fur euch ſelbs, das disem allem gemeſs gehandlet werde, darob und daran ſin.

Im Fahl aber ie etwar habende Foderung und Ansprach nit entwesen wellte oder möchte, daſs ſolches mit unparteyischem und breuchigem Rechten old guetlicher Vergleichung beschehe, und euch also in dem allem dermaſsen erzeigen und beweisen, wie die Billicheit uf im tregt, und wir euch wohl vertrauendt, wellendt euch hieruber, ewer furderlicher willferigen Andtwurth, gewertig ſein; warinne — wir dann euch alle guete aydt- und pundtsgnössische Freundtschaft, Trew und Liebe erzeigen und beweisen khünendt, das ſoll mit geneigtem Willen jederzeit beschehen. Vermerkhendt von uns im Beſsten euch und uns dabey göttlichem Schirm bevellende, Datum und mit unserem getrewen lieben Aydtgnossen der Stadt *Zürch* Secret Insigel in Namen unser aller verschlossen. Mitwuchs den 4ten May, an. etc. 75. Burgermeister, Schultheiſs, Landtaman und Rhät der dreyzehen Ohrten lobbl. Aydtgnoſsschaft.

CXLII.

BEATUS episcopus Curiensis Helvetiorum auctoritatem adversus violentias Rhætorum implorat die 18. Maii anno 1576.

Ex archivo episcop. Curiensi.

Unseren freündtlichen Grueſs, ſambt was wür Ehrenliebs und Guets vermügen zuvor, gestreng, edl, fromb, vest, fursichtig, weis Herrn, und getrewe, liebe Aydt- und Pundtsgnossen! wür ſchicken hiemit für euch, unser ſonders getrewen, lieben Herren Aydt- und Pundtsgnossen, den edlen, unserm getrewen, lieben *Hans Ludwig Göldin* von *Rappenschweil*, unserem Diener, euch in unserm und des Stifts Nammen klagsweis fürzubringen und zu berichten, wasmaſsen unser Widerpart und ir Anhang, unser widerspennigen und unrüewigen Underthonen, die Gotshausleüth, dem Stift und uns bisher uber alle ergangen Urtelmittl, Sprüchen und Verträgen, von eüch, unserem gliebten Herren, mit ſovil Muehe, Arbeit und Köstig aufgericht, unnd von inen angenomen und an Aydt Stat angelobt, antasten, molestiert, in unser Freyheit griffen, das Unser uns fürhalten, entziechen, und allerley unbeſiegter unerleidenlichen Sachen fürnemmen, den Stift und uns in Grund zu richten, und ſunderlichs uf künftigen Bytag Khurerkhilbi vil abermahlen anzufachen vorhabens, wo es inen gestattet würd, lassen allerley Trewung ausgehen (als uns dann glaubwürdig fürkhumbt), wie ſy uns in das Schloſs zu Chur fallen wellen, und unser versperte Gemach eröffen, und alles underobsich kheeren, daraus wohl erscheindt, was ir weiter Fürnemmen ſein möcht, wiewohl wür gueter Hofnung ſindt, nit Jederman der Meinung ſein

werde, aber noch zu besorgen, der lose Hauf, dem nicht zuvil iſt, und von dem das Stift dergleichen Ehrbarkhait mer erfahren, möcht ſich ſolches Gewalts anmaſsen, daraus dann (dieweil wür ſoliches nit vertragen khinden) vil weiten Unrath und Noth erfolgen möchte.

Derohalben an eüch, unser gliebte Herren und getrewen, lieben Aydt- und Pundtsgnossen, unser trewlich Ersuechen, ir gemelten unseren Gottshaus Underthonen ernstlichen zu ſchreiben, daſs ſy ſich ires unbefuegten und zum Thail geüebten an dem Stift und uns wider alle, wie obgemelt, Verträg und Gerechtikhait unser und des Stifts und zum Theil vorhabenden Frefels und Gewalts bemieſsigen, und dieweil auf Martini verschinen die Herren Gesandten ainer lobl. Aydtgnosschaft alle Sahen für eüch ire Herren und Oberen hindersich zu bringen an ſich genommen, damit von gemeiner Aydtgnoſsschaft weiter der Noturft nach Einsehen beschehen mög, und ſy die Gotshausleûth ſolches inen verabschiedet, daſs ſolchem nachkhumen werde, und auf kûnftig Jar Rechnung zu Baden der Sachen Einsehung werde fûrgenumen, damit Jedliches (wie billich) bey dem, dazue es Fueg und Recht hat, bleiben mög, dan fûrwar ſolches die groſse Noturft erfodert, zu Verhûetung vil Unrats.

Das ſtath uns um euch, unser gliebte Herren, getrewe Aydt- undt Pundtsgnossen, nebendt unserm Gebet mit aller Vermûglichkhait zu verdienen. Was weiter ist, werden ir Herren von obgemeltem unserm Diener mûntlichen ferner Bericht empfachen, dem welt ir Glauben geben, und uns und unserem Stift wie bisher zu unserem Rechten in guetem Bevelch und Schirm halten. Daran thuet ihr, als die Liebhaber der Gerechtikheit, ain guets und Gott ain angenemmes Werch, das er ohne belondt nit wûrt hingeen lassen. Datum in unserem Schloſs *Fürstenburg* den 18. May anno etc. 76.

CXLIII.

Testimonium, quod Cosmas *Zink* S. Blasii in Silva nigra monachus per compromissum a Ferdinando archiduce Austriæ denominatus legitime fuerit abbas monasterii Mariæmontani d. d. 26. Nov. anno 1578.

Ex archivo episcop. Curiensi.

Ad reverendissimum dominum ac principem, dominum Beatum episcopum Curiensem dominum nostrum colendissimum.

Nos fratres *Gabriel* Gatschischer et *Wilhelmus* Zayser repræsentantes totum monasterium Montis S. Mariæ Ord. S. Benedicti tenore præsentium fidem facimus, quod Rev. D. abbas Lucius bon. mem. in vigilia *a*) S. Galli an. 1577. ex hac mortali vita ad dominum migravit, et nos duo ſupradicti totum monasterium repræsentantes, quibus etiam frater *Ioannes* Runck parochus in Passeyr, qui propter curam animarum adesse non possit, ſuum ſuffragium ac votum ſubiecerat, una convenissemus ad eligendum ſive postulandum ſuccessorem, qui nobis in monasterio bene præesset, cum animo in omnem partem deflexo nullum in monasterio aut alibi idoneum ad talem dignitatem gerendam, et tantum oneris ferendum reperiremus, unanimi consensu adprobantes in hoc reverendissimo domino episcopo Curiensi ordinario etiam præsente compromisimus in personam

a) 15. Octobris.

ſereniſſimi domini et principis noſtri archiducis FERDINANDI, ut ipſe aliquem aliunde mitteret, qui nobis et monaſterio tam in rebus ſpiritualibus quam temporalibus conſulere poſſet.

Quare ſua ſerenitas, qua eſt pietate et clementia, nobis ac monaſterio noſtro cupiens accivit ex monaſterio S. Blaſii ordinis noſtri in ſilva Hercinia ſibi reverendiſſimum dominum COSMUM *Zinch*, et litteris ad nos datis 13. die Maii præſentis anni per ſuos commiſſarios generoſos viros dominos *Io. Iacobum Khuen*, *Oswaldum Trappium* et *Leopoldum Staelburger* die 22. Maii huius anni 1578. nobis præſentavit, quem nos libenter ſuſcepimus atque obedientiam et alia debita religioſorum obſequia ſancte promiſimus.

Cum autem nec benedictus nec confirmatus adſit, rogatam volumus reverendiſſimam dominationem veſtram, ut eum confirmari et benedici curet, inſtar noſtræ memoriæ prædeceſſorum abbatum, qui ab epiſcopo Curienſi confirmati et benedicti fuerunt; quod tamen fieri petimus non derogando utriusque partis rationibus et iuribus, quoad in curia Romana decidatur.

In quorum fidem his ſigillo monaſterii munitis propria manu ſubſcripſimus. Actum in ſupradicto monaſterio noſtro *Montis S. Mariæ*, die vero 26. menſis Novem. an. 1578. *Gabriel Gaſchütscher*, propria manu ſubſcripſi. *Wilhelmus Zayser*, prop. man. ſubs.

CXLIV.

PETRI episcopi Curienſis electio et iuramentum ligis Rhætorum præſtitum, et in litteras relatum die 18. Oct. anno 1582.

Ex collect. Mſc. Halleriana T. 20. p. 149.

Wir PETRUS von Gottes Gnaden confirmierten Biſchoff zu Chur, und wir der Thumbrobst, Thomb-Dechant und gemein Capitel der Stulkirchen zu Chur, bekennend und thun kundt menniglichen mit diſem Brieff, alsdenn nach ordenliches vom Babst ſo hellig bewilgetter beschechnen Reſignation, ſo der Hochwürdig Fürſt und Herr BEATUS, geweſener Biſchoff zu Chur, einem ehrwürdigen Thomcapitel gethan; dem ehrwürdig Thomcapittel zuſammen kamme, und ſich underredt und berathſchlaget, nach altem löblichen Bruch und Gewonheit des Stifft daſelbſten, einen anderen regierenden Herren und Biſchoff zu erwehlen: und aber ſölliches nit wellen thun und vollbringen, ohne ſonderen Gunſt, Wüſſen und Bewilligung des edlen, frommen, veſten, fürnemmen, erſamen und weyſen, unſer lieben und getreüwe, deſs gantzen Gottshuſs Gemeinden, hie diſs und endthalb den Birgend gelegen; darumben dan uff unser Anruffen und Begehren ein Tag von gmeinen Gottshuſs, zur Uſstrag ſollicher Sach der Erwehlung, berufft und gehalten worden zu Chur auff den dritten Tag Juny, deſs Jahrs ſo man zahlt von Chriſti Geburth fünffzehen hundert, achzig und ein Jahrs: und demnoch nun noch obbeſtimpten Tag ſöllicher Erwehlung eines regierenden Herren und Biſchoffs nach Nothdurfft tractieret und gehandlet worden, ſo fügend wir hiemit in Krafft diſs Brieffs menniglichen zu wüſſen, daſs wir uns uff obgeſchribnen Tag mit gemeinem Gottshuſs, von wegen aines regierenden Herren und Biſchoffs, vereinbaret und vertragen haben, inmaaſsen und geſtaltet, wie dan die in Artikelsweiſs von Worth zu Worth hiernach eigentlich und grundlich verſchriben ſtandt.

Vnd erſtlich, ſo habend wir die obgenantten Herren Thom Bropſt, Decan und gemein Capittel der Kirchen zu Chur uns mitt zeitlichen Vorbetrachtung und einheiligem Rath eines angeen-

den R. H. und Biſchoffs bewilliget und begeben, diſs hernach geſchriben Punckten und Artickel mit allem irem Innhalts nun fürohin unzerbrochenlich gegen gemeinen Gottshauſs zu halten angenommen, und darwider nit thun, noch geſchaffen thon werden. Vnd erſtlich habent wir veſt und helliglichen begeben und bewilliget, daſs ein angender regierender Herr und Biſchoff zu Chur, ein gemein Gottshuſs und die anderen zwen Pündt by den Artiklen, auch Glauben und Weſen, wie ſy dan jetz vor der Erwehlung ſtund, bleiben laſſen ſolle und welle.

Zum anderen, daſs ein Her von Chur gmein Gottshuſs by dem, ſo gmein Gottshuſs in Abweſen eines Herren von Chur bisher geandlet hat, es ſeyn Käüff, Verköüff, Loſung und anderſt, bliben laſſen, und darwider kein Neüerung fürnemmen ſolle.

Zum dritten, daſs ein Herr von Chur des Stifft Recht, Freyheit und Eigenhſchafft nit verkauffen, noch veraberwandlen ſolle und möge, ohne unſers des Capitels und gmeines Gottshauſs Rath, Vorwiſſen und Willen.

Zum vierten, ob es zu Fellen kämme, daſs ein Herr von Chur etwas handlette oder thette, dardurch gmein Capitel und Gottshuſs beſchwertt ſein vermeinte, und der Stifft Handlung halb von einem Herren Rechnung erforderte, daſs alsdan ein Herr von Chur, uff unſer deſs gmeinen Capittel und Gottshauſs wegen Rechnung zu geben ſchuldig ſey.

Zum fünfften, daſs ein Herr von Chur ſeine Aembter mit Gottshuſs Lüthen beſetzen ſolle.

Zum ſechſten und letſten, daſs ein Herr von Chur nit Gwalt haben ſolle, noch müge, daſs biſchöfflich Ambt niemandt reſignieren, permutieren, noch veränderen, ohne Rath, Gunſt, Wiſen und Willen unſers des gmeinen Capitels und Gottſhuſs.

Und demnach wir Petrus auff ſolchs von gemeinen Capitel angenomene Artikel zu angendem Herren und Biſchoff zu Chur erwelt und confirmiert worden; ſo geloben und versprächen wir in Krafft dis Briefs, daſs wir die obgeſchribene Puncten und Artikel mit allem ihren Innhalt und Begriff ſambt und ſonders gegen einen ehrwürdig Capitel und gemeinen Gottshauſs war, veſt und ſteth halten unverbrüchl. ſollen und wollen allwegen thrüwlich und ungeförlich. Damit ſo habent wir auch by unſeren Ehren und Würden dem gmeinen Capitel und Gottshuſs ein Eyd geſchworen, daſs wir ſöllichem allem geläben und treüwlich nachkommen wellen; und zu wahrer veſter Urkundt, ſo habent wir diſen Brieff mit unſer und deſs ehrwürdigen Capittel anhangenden Secret Inſigel verwahrt. Geben Donſtag nechſt nach St. Gallen tag *a*) von Chriſti Gebuhrt gezelt fünffzehen hundert achtzig und zwey Jahr.

a) Seu 18. Oct. nam feſtum S. Galli tunc feria III.

CXLV.

De querelis Leonardi abbatis Mariæmontani ad *Sixtum V.* papam ob damna ſuo monaſterio illata, huiusque ad archiducem Auſtriæ ea de re epiſtola die 19. Martii anno 1588.

Ex apographo Mariæmontano.

Conqueſtus eſt reverendus dominus abbas Leonhardus cum venerabili conventu ſuo apud ſanctiſſimum dominum noſtrum *Sixtum* modernum ſummum pontificem, ad cuius ſanctitatis ſedem mo-

naſterium iſtud (abunde diplomatibus tam antiquis quam recentioribus ſummorum pontificum atteſtantibus) absque ullo medio pertinet; id a nobilibus quibusdam, prætoribus, iudicibus, ſcabinis aliisque magiſtratibus ſecularibus Atheſinæ vallis mirum in modum ex importuna, temeraria et quaſi deſtinata malitia, indigne, inique et indeſinenter moleſtari, vexari, perturbari et lædi.

Petens igitur humiliter, et obnixe rogans ſuam ſanctitatem, ut ad ſereniſſimum archiducem Auſtriæ FERDINANDUM det litteras, ut a ſuis impiis conatibus eos arceat, quandoquidem et ipſi ſuos ſitus in illius territorio habeant, et a ſua poteſtate toti dependeant, quemadmodum et hoc monaſterium, cuius ſua clementia tutrix et defenſatrix exiſtit. Sanctitas vero ſua hac petitione facile mota, ut iuſta et æqua. Tenorem igitur litterarum archiduci miſſarum ſubſcribere placuit, quæ ſic ſe habent:

FERDINANDO ARCHIDUCI AUSTRIÆ.

Dilecte fili! nobilis vir ſalutem etc. Conqueſti ſunt graviter apud nos dilecti filii abbas et conventus monaſterii Montis S. Mariæ vallis Venuſtæ ſive Atheſinæ, oppida, villas, domos, iura, cenſus, fruges, cæteraſque ſuas, ſuorumque res cum a cæteris tum a tuis imprimis ſibi eripi, extorqueri, occupari, indictiones, tributa, onera imponi, ac per vim exigi, omnibus denique modis vexari contra ſanctorum canonum decreta, et privilegia pontificia, cæſarea, contraque ſententiam Oeniponti ſecundum ſe latam.

Quæ ſi vera ſunt, procul dubio ſunt graviſſima; ea vero te neſciente fieri arbitramur, novimus enim pietatem et voluntatem tuam ab omni iniuria abhorrentem, velleque monaſterium illud eſſe omnibus commendatum, tum ipſo religionis nomine, tum noſtra etiam cauſa; dicitur enim apoſtolicæ ſedi immediate ſubiectum. Hortamur igitur, ut iubeas tuos iniuria abſtinere, monaſteriumque illud commendatum habeas, eique auctoritate atque opera adverſus aliorum iniurias adiumento ſis, neve illud, eius res atque homines vexari ſinas, ut poſſint fratres ſecundum monaſterii normam ab omni moleſtia liberi Deo melius inſervire. Erit nobis gratiſſimum, tuaque præſtante virtute ac pietate digniſſimum. Datum *Romæ* apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 19. Martii an. 1588. pontificatus noſtri anno tertio *a*).

a) Vid. N. ſequent.

CXLVI.

SIXTUS V. papa epiſcopo Comenſi litem decidendam committit, quæ inter epiſcopum Curienſem, et monaſterium Mariæmontanum gliſcebat, d. d. 5. Februarii anno 1590.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

SIXTUS papa V. *a*) Venerabilis frater *b*) ſalutem et apoſtolicam benedictionem. Cum alias (orta lite et differentia inter venerabilem fratrem epiſcopum Curienſem, et dilectum filium abbatem ſanctæ Mariæ de Monte eiusdem Curienſis diœceſis comitatus Tirolis) fel. record. Gregorius papa XIII. prædeceſſor noſter litem ac differentiam huiusmodi *c*) bon. mem. epiſcopo Vercellenſi

a) Elect. anno 1585. 24. Apr. obiit anno 1590. menſe Auguſto.

b) Hæc epiſtola a tergo inſcribitur: *Venerabili fratri epiſcopo Comenſi*, qui tunc erat *Felicianus* Ninguarda electus a. 1589. *Tatti* Annal. di Como T. III. in append. p. 39.

c) Scilicet de iure exemtionis et præſtationibus quibusdam.

tunc in illis partibus ſuo ac ſedis apoſtolicæ nuntio terminandam commisisset, eiusdem episcopi Vercellenſis ſuperveniente obitu lis et differentia huiusmodi decidi et terminari non potuerit, prout adhuc indecisa pendet. Idcirco nobis humiliter ſupplicatum fuit, quatenus litem et differentiam huiusmodi tibi tanquam de eadem optime informato committere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Nos igitur huiusmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuæ per præsentes committimus et mandamus, quatenus litem ſeu cauſſam ac differentiam inter episcopum Curienſem et abbatem S. Mariæ prædictos vertentem cum omnibus et ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis audias, cognoscas, decidas, fineque debito termines. Nos enim tibi prædictos et alios quoscunque in executione citationis præsentium vigore decernendæ, et iam per edictum publicum conſtito, ſummarie et extraiudicialiter de non tuto accessu citandi, ac quibus et quoties opus fuerit etiam ſub ſententiis, cenſuris et pœnis eccleſiaſticis arbitrio tuo moderandis et applicandis inhibendi, contradictores et rebelles in ſententias, cenſuras et pœnas prædictas incidisse, ſervata forma concilii Tridentini, declarandi, aliaque circa præmissa neceſſaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi plenam et liberam facultatem apoſtolica auctoritate tenore præsentium concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus et ordinationibus apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum *Romæ* apud S. Petrum ſub annulo piscatoris die V. Febr. MDLXXXX. pontificatus nostri anno quinto.

CXLVII.

Clementis VIII. papæ ad Ioannem V. episcopum Curienſem consolatoriæ die 8. Februarii anno 1603.

Ex archivo episcop. Curienſi.

Clemens papa VIII. Venerabilis frater ſalutem et apoſtolicam benedictionem. Quanto caritatis affectu complectamur fraternitatem tuam in visceribus Christi, et tu non ignoras, et nos ipsi tibi libenter teſtamur. Scimus enim quod in tuo paſtorali munere pervigilas, et zelo catholicæ fidei incenſus, nihil habes antiquius gloria Dei, eiusque cauſam in locis iſtis magno animo, multaque conſtantia tueris. Audimus enim, quod ſatanæ miniſtri multa moliri, multa machinari, discordias ſerere, et tumultus commovere non ceſſant, ut fidem catholicam, eiusque denſenſores oppugnent, tibi vero, et eccleſiæ tuæ nominatim comminari, et insidiari. Sed quanto in hoc tibi compatimur, tanto magis gaudemus, quod tu divinæ gratiæ adiumento fretus, et in tua cuſtodia excubas, eorumque impiis conatibus prudenter, et fortiter, ut audimus, obſiſtis. Sic age, frater, confortare, et eſto robuſtus. Deus certaminis tui ſpectator eſt et adiutor fortis, quo te protegente, ſperamus, quod egregia virtute perficies, nec eccleſia tua, neve catholica religio, quidquam detrimenti ex his motibus patiatur; quod a ſumma Dei clementia toto ex animo precamur. Scripſimus præterea valde efficaciter chariſſimo in Christo filio noſtro *Rudolpho* imperatori electo, ut tibi pro eccleſia tua regalia, quæ vocant, concedat, et ea de re litteras ex optima formula expediri iubeat quam celerrime. Nuntio etiam apud eum noſtro mandavimus, ut negotium diligenter urgeat. Egimus id multa cum propenſione pro noſtro erga fraternitatem tuam amore, et voluntate, cui ad paſtoralis officii munus copioſam gratiam a patre luminum optamus, tibique noſtram apoſtolicam benedictionem ex animo impertimur. Datum *Romæ* apud S.

Petrum ſub annulo piſcatoris die VII. Februarii M.DCIII. pontificatus noſtri anno undecimo. *Silvius Antonianus* cardinalis.

CXLVIII.

PAULI V. papæ ad IOANNEM V. epiſcopum Curienſem conſolatoriæ 15. Iul. a. 1607.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

PAULUS papa V. Venerabilis frater ſalutem et apoſtolicam benedictionem. Abunde executus eſt pro fraternitate tua dilectus filius *Zacharias* canonicus, et vicarius Auguſtanus, ea, quorum gratia ſapienter inſtituta fuit viſitatio liminum ſanctorum apoſtolorum, ſtatutis temporibus ab epiſcopis habenda. Nam renuntiavit nobis diligenter omnia, quæ de ſtatu eccleſiæ Curienſis fidei tuæ commiſſæ, ut nobis exponeret, illi iniunxiſti. Dolemus quidem vehementer, venerabilis frater, tantis te diſtineri difficultatibus: quia omnia tibi quieta, et tranquilla deſideramus: ſed experti ſumus epiſcopatus graviſſimos, et nunquam intermiſſos labores; hortamur te, ut firmiter, ac patienter feras; quia hæc eſt communis epiſcoporum conditio, ut iugiter pro eccleſia ſua laborent: ad hoc enim vocati ſumus, et ob id præceptum habemus, ut ſuccincti lumbos baculum in manibus teneamus. Quod adhuc diligentius facere debent ii, quorum greges ſunt in medio luporum. —

Sed ex altera parte lætamur plurimum in Domino, quod intelligmus, fraternitatem tuam ſummo ſtudio atque vigilantia dare operam, ut divinus cultus augeatur, catholicæ religionis veritas conſervetur, et aberrantes a ſalutis tramite in viam iuſtitiæ redigantur. Et quidem agis, quod virtute tua, quam egregiam eſſe accepimus, dignum eſt.

Ceterum ad abſolutam fraternitatis tuæ laudem in miniſterio tuo deſideramus unum, quod maxime neceſſarium eſt ad illam conſenſionem eccleſiæ iſtius cum matre ſua et magiſtra ſancta Romana eccleſia repræſentandam; receptionem videlicet, et obſervationem reformationis calendarii et breviarii Romani, quam, cum a piæ recordationis prædeceſſoribus noſtris ſummo conſilio, ſummaque ſapientia habita ſit, haud decet eos, qui obedientiam huius ſanctæ ſedis profitentur, reiicere, aut negligere. Propterea, venerabilis frater, non tantum petimus a te, verum in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipimus, et mandamus, ut, quantum in te erit, cures, efficias ita, ut dilecti filii noſtri clerus, et populus Curienſis alacri animo eiuſmodi reformationem accipiant. Confide in divina bonitate, bene progredientur labores et ſtudia tua, ſi, quemadmodum ſperamus, provinciam hanc ſedulo ac ſerio aggredieris. Experimentum habeo venerabilis fratris epiſcopi Sedunenſis, qui nuper hoc ipſum feliciter obtinuit a ſubiectis ſibi clero, ac populo Valeſiæ ſuperioris; neque diffidit, poſſe aſſequi ſe illud idem a reliquis eccleſiæ ſuæ populis. Quare in nomine Domini, et cum benedictione noſtra admove manum ad aratrum: ipſe opus tuum perficiet, qui ſationes cunctas ad meſſem perducit rore ineffabilis miſericordiæ, et calore divinæ gratiæ.

Nos vero, qui te ex animo diligimus, labores tuos orationibus noſtris, et ſi in aliqua re auctoritate noſtra apoſtolica tibi opus erit, libenter adiuvabimus. Datum *Romæ* apud S. Marcum ſub annulo piſcatorio decimo octavo Calendas Auguſti MDCVII. pontificatus noſtri anno tertio. *Petrus Stroza.*

CXLIX.

Paulus V. papa Rudolpho imp. episcopatum Curienſem commendat die 29. Septembris anno 1607.

Ex archivo episcop. Curienſi.

Paulus papa V. Chariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem, et apoſtolicam benedictionem. — Valde nos ſollicitant moleſtiæ, quibus ven. frater epiſcopus Curienſis, ut accepimus, afficitur hoc tempore. Nam illum ex animo diligimus ob ſpectatam nobis pietatem ac prudentiam, qua eccleſiam ei creditam adminiſtrat. Petimus itaque a maieſtate tua, ut noſtra cauſa epiſcopum ipſum commendatum habeas, ac dilecto filio nobili viro *Maximiliano* archiduci fratri tuo ſignifices, ut epiſcopi perſonam, et eius eccleſiæ Curienſis res, atque iura tueatur ac protegat.

Quod quidem tanto maiori fiducia exigimus a te, quanto pro eo zelo, quem maxime decet primogenitum ſanctæ Romanæ eccleſiæ filium, et quo maieſtatem tuam præditam eſſe ſcimus, ſatis confidimus, fore tibi curæ, ne ſervi Dei paſtores boni ac vigilantes iniuſte lædantur. Dominus te ab omni malo cuſtodiat, et nos tibi peramanter benedicimus. Datum *Romæ* apud ſanctum Marcum ſub annulo piſcatoris tertio Calendas Octobris M.DCVII. pontificatus noſtri anno tertio.

CL.

Matthiæ imp. mandatum ad Rhætos, ut epiſcopum Curienſem in integrum reſtituant anno 1619.

Ex chartulario Curienſi.

Erſame, Liebe, Getreue! uns iſt von unterſchiedlichen Orten glaubwürdige Bericht zuekommen, daſs der ehrwürdig Johann, Biſchof zu Chur, unſer Fürſt und lieber Andächtige, ſamt deſſelben zugethanen Kapitels-Perſonen und Kleriſey, von euch neülicher Zeit, unbewuſst aus waſerley Urſachen, von ſeinem anvertrauten Stift, von uns tragenden unmittelbaren Reichslehen, und dem ganzen Land in Churwalchen ausgeſchaft und vertrieben worden ſey.

Solches iſt uns um ſo viel mehr mit ſonderbarer Befremdung und Miſsfallen fürkommen; je mehr wir in Act nehmen und befinden, daſs von euch dieſsorts unſer gebuhrenden khayſerl. Hoheit, Authorität und Jurisdiction gar zu nahent gegangen, und derſelben durch vorberührt gewaltſame und wiederrechtliche Anmaſsung allerhand Nachtheil, Schimpf, Verkleinerung zugezogen werden will: ſo uns dergeſtalt hingehen zlaſſen unſers khayſerl. tragenden Amts und glaiſten ſchweren Pflichten wegen weder gebühren, noch verantwortlichen ſeyn will.

Wir ſtellen zwar die Urſachen und Klagen, welche ihr zue obgenannts Biſchofen zue Chur Andacht und derſelben vorgemeldten Thuemkapitel haben mögt (weil uns dieſelbe der Zeit unbekannt) an ſeinen Ort; es ſeye aber damit bewandt, wie es wölle: ſo ſollet ihr euch doch genugſam zu erinnern wiſſen, daſs ſeine des Biſchofen Andacht, als ein ohnmittelbarer und von uns ordentlich bekannter Fürſt des Reichs, darinnen vor niemand andern, dann uns, als regierenden Kaiſer, Lehenherrn und dieſsorts ordentlichen Richter, mit Recht, wie ſichs gebührt, angelangt und beſprochen werden kan und mag; wie wir dann auf euer ordentlichs Anrufen und

Klagen nicht würden unterlaſſen haben, in Sachen dasjenige anzuordnen, was Recht und Billigkeit, darüber man ſich keinesweegs zu beschweren, erfodert, und mit ſich bringt.

Demnach aber mehr beſtimmtes eüer wiederrechtlich eigenthätliche Beginnen eines ſehr weiten Auſſehens und andrer unſerer und des heil. Reichs Churfürſten, Ständ und Mitglieder halber von böſer gefährlicher Conſequenz und zue gröſserer Weitlaüfigkeit leichtlich ausſchlagen dörfte.

Hierum ſo ermahnen und begehren wir an euch hiermit gnädig- und ernſtlich, ihr wöllet die gewiſſe unfehlbare Verfügung thun und anſtellen, damit obbeſagtes Biſchofen zue Chur Andacht und deſſelben Thuembkapitels in universali et particulari in dem anvertrauten Stift und deſſelben Poſſeſs, Beneficien, Freyheiten, Gerechtigkeiten, Gefäll und Einkommen alsbald, auch ohne Saumung und Verweigerung zu vorigen Stand, Ehren, Würden wirklich reſtituirt; und auf den unverhoften wiedrigen Fall zu anderer Ungelegenheit und ſchwererer Weiterung kein Urſach gegeben werde: da ihr alsdann nach beſchehener vorberührten völligen Reſtitution und was derſelben anhängig bey uns mit euren prætendirenden Spruch und Klagen ordentlich fürkommen werdet; gedenken wir und ſeynd erbiethig, euch gebührlich ſchleunige Recht gedeihen und wiederfahren zu laſſen. Seyen hierüber eüer unterthänigſt unabſchläglichen Antwort mit eheſtem gewärtig, und euch ſonſten mit khaiſerl. Gnaden wohlgewogen. Geben zu *Wienn* A. 1619 *a)*.

a) Eodem anno *Matthias* imp. obiit 10. Martii; hinc litteræ primo anni bimeſtri datæ fuerunt.

CLI.

Gregorii XV. papæ ad Ioannem V. episcopum Curienſem conſolatoriæ die 25. Augusti anno 1621.

Ex archivo episcop. Curienſi.

Gregorius papa XV. Venerabilis frater! ſalutem et apoſt. bened. Binas a fraternitate tua litteras accepimus, quarum alteris pontificatum nobis maximum gratulabare, alteris, quam nulla nobis obiecta eſſet ob eam dignitatem gaudendi occaſio, uberrime declaraſti. Lacrymas plane cohibere pro paterna noſtra ſollicitudine non potuimus, dum adeo compoſite atque magnifice epiſcopatus tui Curienſis caſum miſeratus es, atque hæreticorum ſcelera, et catholicæ religionis damna enumeraſti. Cum autem a nobis, ad quos rerum chriſtianarum curam pertinere Deus voluit, tot vulneribus morbisque fere deſperatis medelam ſuppliciter expoſcis; facile coniicere potes, quam atrox paternis oculis ſpectaculum præbeat tot ærumnarum ac cruciatuum commemoratio, cum ea, quæ cupimus, remedia adhibere præſenti temporum iniquitate, et difficillima rerum conditione prohibeamur.

O miſerias deplorandas ſub hac altiſſimæ dignitatis ſpecie latentes! officioſe quidem gratulantium voces populorum undique noſtras aures circumſonant, nosque ab omnibus fœlices exiſtimari intelligimus; ſed reipſa quot in præſenti chriſtiani orbis perturbatione aut calamitates intuemur, aut pericula proſpicimus, tot doloris gladiis viſcera noſtra laniari ſentimus. Venimus in altitudinem maris, et ne tempeſtas demergat nos, valde timendum eſt, niſi qui furente oceano cancellos circumdedit, eiusque tumentes fluctus compeſcit, procellarum turbines in auram tranquillitatemque quam celerrime convertat. Ea nobis unica ſpei anchora relicta eſt, cui dum innitimur, deſperare omnino non poſſumus: poſuit enim tenebras latibulum ſuum, et non raro in

ipſis ſuppliciis atque cruciatibus miſericordiarum pater et Deus totius conſolationis deliteſcit. Sane quis Ionam e navi præcipitatum, ſævientis pelagi vorticibus abreptum, immanis belluæ visceribus conditum atque omnino ſepultum ſperaſſet unquam in lucem rediturum? Hæc nos extremis etiam calamitatibus conflictatos ſolentur exempla, ac Deo, cui homines chariſſimi ſumus, favente nulla tanta eſſe infortunia intelligamus, per quæ aditus eſſe aliquando non poſſit ad felicitatem.

Plane dum tui exulis, ſenis, ægrotantis, tot miſeriis affecti atque afflicti reminiſcimur; lacrymis atque ægritudine tibi benevolentiam noſtram teſtari miſerentes cogimur; ſed tamen colligendus demum eſt animus, et fraternitati tuæ ſolatia præbenda eſſe ducimus, quæ non aliunde facilius, quam a tua virtute petieris. Erige te venerabilis frater! ne ſuccumbas dolori, ſed quanti te Deus fecerit, contemplare: memineris, tunc amicos Dei nimis honorari, cum digni habentur, qui contumelias pro IEsu Chriſto patiantur. Præclara de te iudicia fecit totius mundi arbiter, cum te idoneum delegit, cuius fidem periculis experiretur; et tandem dignum invenit, qui mortificationem IEsu Chriſti corpore animoque tuo circumferens conſtanti moleſtiarum perpeſſu divinam benevolentiam promereris. Nam exuli patriam et regnum, ſeneſcenti non adoleſcentiam modo, ſed immortalitatem, ægrotanti ſalutem, afflicto delicias atque æternæ beatitudinis gaudia pollicetur, qui dives eſt in miſericordia, et nos Dei filios ſuiſque cohæredes divinæ bonitatis teſtamento adoptavit.

Sed fraternitatem tuam fortaſſe magis aliena damna, quam propriæ moleſtiæ ſollicitaverint; cruciatus enim, quibus ipſi torquemur, poſſumus quidem vi fortitudinis contemnere, ſed aliorum ſalutem negligere, eorumque damnis non commoveri charitate prohibemur. Videmus plane, quid tandem tibi animi ſit, cum ſponſam tuam Curienſem eccleſiam omnibus ornamentis ſpoliatam ea paſſam eſſe videris, quæ hæreticis furentibus collibuiſſent, eum gregem a Domino tibi creditum luporum leonumque dentibus diſcerpi cognoſcis; quæ audiens atque commemorans in pectore tuo eorum dentes atque ſævitiam te experiri neceſſe eſt. Ei quidem rei non tam ſolatia quærenda ſunt, quam auxilia celerrime comparanda, idque a nobis flagitari atque exigi cum intelligamus; non deſiſtimus quidem Deum aſſiduis precibus orare, ut præſens periclitanti religioni opituletur: tum etiam neque conſilio, neque auctoritate deſumus, ne unquam tantam cauſam deſeruiſſe arguamur. Etenim litteris apoſtolicis, paternis precibus, nuntiorum voce chariſſimos in Chriſto filios reges principesque hortamur, ut in Valliſtelinæ diſcordiis componendis, atque Italica pace conſtituenda pietati præcipue ac catholicorum incolumitati conſulatur; et quantum in præſenti rerum diſcrimine fieri poteſt, detur opera ſedulo, ut ibi catholica religio omnino ius ſuum recuperet, et priſtinam dignitatem tueatur.

Ad id negotium conficiendum eo venerabilem fratrem *Alexandrum* epiſcopum Campanienſem allegavimus, cui etiam mandavimus, ut cum de componendis Griſonum et Curienſis epiſcopatus diſſidiis agetur (quæ res adhuc integra eſt, nec de ea aliquid in Hiſpaniis tranſactum eſſe ſcimus) fraternitatem tuam audiat, tuam cauſam agat, ac non ſolum eccleſiæ illi, ſed toti Europæ teſtatum relinquat, nos pontificatui noſtro nullam aliam gloriam, nullam felicitatem impenſius quærere, quam catholicæ religionis propagationem, ſedis apoſtolicæ dignitatem, ac publicam catholicorum ſalutem. Hæc ex eo uberius accipiet fraternitas tua, quæ tibi dilectus filius cardinalis *Ludoviſius*, noſter ſecundum carnem nepos, iam pridem ſignificavit.

Tibi apoſtolicam noſtram benedictionem impartimur, atque a Deo eam felicitatem precamur, quam paſtor optimus in commiſſi ſibi gregis ſalute poſitam eſſe intelligit. Datum *Romæ* apud

ſanctam Mariam maiorem ſub annulo piscatoris die XXV. Augusti MDCXXI. pontificatus nostri anno primo. *Ioannes Crampolus.*

CLII.

Ioannis V. episcopi Curiensis libellus ſupplex ad regem Galliarum die 12. Augusti anno 1625.

Ex archivo episcop. Curiensi.

Christianissime rex! Maiestati vestræ christianissimæ humillima et devotissima mea obsequia, ac preces etc. Cum innata Maiestatis vestræ pietas, ac catholicæ religionis defensio, qua Mai. vestræ nomen per universum celebratur, mihi quoque ſit perspectissima; in tam extremo religionis catholicæ, et episcopatus mei constitutus periculo, ad tanto celebratam Mai. vestræ iustitiam, qua unica evidentissimo et imminentissimo malo huic ſuccurri potest, ſupplex ac humilis recurro, Maiestatique vestræ mea totiusque cleri iura, immunitates, privilegia hæreticorum iniuria ablata, aliasque nostras prætensiones per multum reverendum patrem *Ignatium* Bergomatem Capucinum humillime præsento, ac per Christi viscera rogo, ut Mai. vestra piissimorum antecessorum ſuorum vestigiis insistendo, episcopatum hunc antiquissimum ab antecessoribus ſuis tantis cumulatum donis ac privilegiis, nunc vero ab hæreticis ad ſtatum miserrimum redactum, et restaurare et in pristinum restituere clementissime dignetur, quo cæteris Maiestatis vestræ ſanctissimis ac iustissimis operibus laus hæc non modica attribuetur.

Ego et omnes fideles catholici pro felici longæva Mai. vestræ tutissima regnorum ſuorum gubernatione ac conservatione Deum humillime deprecabimur. Maiestati vestræ me afflictumque episcopatum ad omnia clementissima Maiest. ſuæ iussa ac mandata devotissimum offerens. *Curiæ* 12. Augusti anno 1625.

CLIII.

Libellus ſupplex Iosephi *Mohr* episcopi Curiensis ad regem Hispaniarum pro legitima pensione annua ex valle Telina, 8. Augusti anno 1628.

Ex archivo Benedurano lit. C. n. 67.

Magne rex catholice *a*)! Necessitatem Curiensis meæ ecclesiæ catholicæ Maiestati vestræ explicare ea voluntas iussit, qua ad toto orbe terrarum fidem propagandam orthodoxam indefesso fertur conatu. Quæ religio cum in Rhæticis partibus ob hæreticorum iam a centenis annis inolitam crudelitatem misere pessumdata iaceat, et Curiensis episcopatus ob ingens æs alienum hæreticis creditoribus debitum ita gemat, ut nec catholicam pietatem episcopalis auctoritas revocare, nec grex pusillus ſui pastoris tutela ſincera diutius, ni ſub invictissimæ manus vestræ regio asylo, persistere queat; idcirco humillime Maiestati vestræ ſupplico, ut tantis miseriis meis meique episcopatus clementissimo ſuccursu prospicere non dedignetur. Quod fiet, si ex valle Telina, quæ modo in cath. Mai. vestræ regiam potestatem devenit, annuam pensionem, mihi alias veteri et

a) Erat *Philippus IV.* qui anno 1621. regnare cœpit.

nunquam intermortuo iure debitam, mihi uſuvenire concedat. Nuncius apoſtolicus breve apoſtolicum deſuper cum informatione pleniori totius negotii exhibebit.

Deus ter Opt. Max. cath. Mai. veſtram reipublicæ chriſtianæ, toti orbi, bonis omnibus et piis mentibus æternum ſoſpitet, cui me meaque omnia ſervitia paratiſſimus defero. *Curiæ* 8. Aug. anno 1628.

CLIV.

Ioannis VI. epiſcopi Curienſis epiſtola paſtoralis ad clerum ſuum die 7. Septembris anno 1642.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

Ioannes Dei et apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopus Curienſis dilectis nobis in Chriſto decano, vicariis, canonicis, totique clero noſtræ diœceſis ſalutem in Domino ſempiternam, et præſentibus obedire mandatis.

Ubi primum Calvini ſecta in Rhætiam irrepſit, qui in huiuſce ſectæ caligine delitescere cœperunt, cæteros (quibus firmus erat in avita catholicæ religionis norma perſiſtendi animus, plurimis articulis liberum fidei exercitium prorſus adimentibus ſuis freti viribus, cum plures ac potentiores eſſent) coarctarunt. Hiſce incluſa limitibus Rhæto-catholicorum eccleſia diu ingemuit ploravitque, donec tandem mediis deſuper miſſis, ab utriusque religionis hominibus iidem articuli fuerint anno 1623. abrogati, ac plena catholicis religionis libertas ſanctiſſime promiſſa. Cum vero nunc temporis eiusdem Rhætiæ proteſtantes eo mentis aciem figant, ut religionis res in antiquum ſtatum cogitent redigere; pro iniuncto nobis officio huiusmodi conatibus obviare partium noſtrarum, quantum in Domino poſſumus, arbitramur.

Quocirca inter alia media, quæ ad rem facere videntur, haud minimum illud exiſtimamus, uti parochi populum ſibi ſubiectum ad fidem, ſine qua nemo ſalvari poteſt, fortiter tutandam ſedulo adhortentur, communitatibusque, ut ſuis ad publicas dietas deputatis hoc idem negotium ita iniungatur, ut illis nihil contra præſentem ſtatum liceat immutare, perſuadeant. Agitur enim de animarum ſalute, imo et de patriæ, quæ pernicioſis hiſce novitatibus perturbaretur, ac antiquæ inde calamitates quaſi poſtliminio redirent. Quia vero auxilia a Deo, qui ad ſe recurrentibus non deeſt, primitus ſunt expetenda; volumus et mandamus, ut aliqua pro cuiusvis populi commoditate inſtituatur proceſſio, aut ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum per aliquot horarum intervallum exponatur, ſi forte, quod ſperandum, Dei vindicis ira, quam peccatis noſtris multipliciter provocavimus, placata, tranquillus, in quo nunc degimus, ſtatus nobis conſervetur, ac in fidei unitate libertateque Deum cognoſcamus, ac ad eiusdem obſequium trahamur. Tibi igitur præfate decane præcipimus, quatenus non ſolum per te, ſed per omnes tui decanatus parochos præſens noſtra ordinatio ea, qua nobis pollicemur, pietate ac zelo executioni demandetur, non obſtantibus quibuscunque in contrarium. In quorum fidem etc. Actum *Curiæ* die 7. Sept. a. 1642.

CLV.

Ioannis VI. episcopi Curienſis epiſtola paſtoralis, qua catholicos ſuæ diœceſis in conſilium vocat die 3. Ianuarii anno 1643.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

Von Gottes Gnaden Johann Biſchoue zu Chur, Herr zu Groſsengſtingen etc. Unſeren gnäd. Grueſs, ſambt was wür Liebs und Guets vermügen anuor. Edle, Veſte, Ernveſte, Weyſe, Fürneme, ſonders Getrewe, Liebe! Dem Herrn iſt bekhandt, was der catholiſchen Religion zuwider für Noviteten von den Herrn Proteſtanten durch Antrib ihrer Miniſtern ain geraumbte Zeithero fürgenummen worden. Wan dann durch dergleichen Bevorſtehungen beſagt catholiſche Religion zuegleich der allgemeine Rhueſtandt in nit geringe Gefahr geſezt; habendt wür mit Zuethueung der fürnembſten Catholiſchen obſtehende Gefahr euch Catholiſchen fürzueſtellen; beynebens daſs ihr eure Ehrenboten auf negſten Beytag, ſo den 18. Febr. newen Calenders allhier zu Chur ahngeſteldt, mit uns deſswegen zu conſultiren, und auf fürträgliche Mitel, zu Abwendung aller Ungelegenhaiten, zue berathſchlagen, bevollmechtigen wellet, anzuefiegen rhatſamb auch nothwendig befunden. Und wie wür der Erſcheinung kheinen Zweifel, als volziehent ſie daran ir Schuldigkhait; gebendt aller Welt, daſs ihnen die Ehr Gottes und des lieben Vaterlands rhueiger Wohlſtandt angelegen, zue erkhennen; beherzendt zuegleich jene Catholiſche, welche diſer Zeit angefochten.

Wür unſers Thails wellendt khein gebührliche Mittel (auch mit Darſetzung Leibs und Lebens) zu Mantenier- und Fürpflanzung der catholiſchen Religion, erwünſchter vaterlendiſchen Fridens Behalt- und Genieſsung fürträglich geachtet, unterlaſſen. Verbleibendt interim den Herren mit gnädiger und beſter Wohlmeinung jederzeit wohl zuegethuen. *Chur* den 3. Jenner 1643.

CLVI.

Eiusdem ad imperatorem libellus ſupplex pro avertendis hæreticorum vexis die 28. Februarii anno 1644.

Ex archivo epiſcop. Curienſi.

Titl. Die unaufhörliche Betrangnuſs, welche der catholiſchen Religion und meinem Geſtift hierlandts durch die calviniſche Pündter beſchieht, erzwingen, bey E. K. May., als meinem allergnädigſten Kayſer und Schuzherrn, mich deſſen zu beclagen, und umb allergnädigſte Abwendung allerunterthenigſt ahnzuehalten. Dann ſie ſich aller dem Biſtumb ſchuldigen Unterthenigkheit endtzogen zu haben nit beniegen, ſunder wellendt mir und den Catholiſchen das freye Exercitium der Religion benemmen, die calviniſche Prædicanten aller Orthen, beſunderen aber zu *Zizers* und ſelbige Herrſchaft (welche von dem heil. röm. Reich dependirt, dem Biſtumb aber von uralten Zeiten durch der Kayſer und röm. Khünig Liberalitet von Billigkheit zuſtendig), einfieren, die Kirchen und Einkhumen ſich impatroniren; und obwohlen ich ſambt den Catholiſchen uns ſovil müglich geweſt widerſezt, auch bis dato abgewehrt: dahero E. K. May. nit behelligen ſollen; iſt doch anizt ir Furia ſo groſs, wie ſie dann die Catholiſche weit übertreffen, daſs ohne ſtarke

Hilf oder wenigst högst ansehnliche Vermittlung wür Catholische untertrukt, und in Kurzem die catholische Religion, consequenter auch diſs uralte Bistumb, völlig extirpiert, und zu nichten gerichtet würdet. Und habendt ſich die Uhncatholische eben heindt der einen Kirchen zu *Zitzers* mit gewerter Handt impatroniert; ahn ybrigen Orthen ſols gleichfellig beschehen.

Als gelangt ahn E. K. M. mein und der Catholischen allerunterthenigist flehenlichs Bitten, E. K. May. belieben ſich allergnedigst diser Landen völligen Corpo oder wenigst den Calvinischen ain ſollich allergnedigst Bevelchmandat ablauffen zu lassen; auff daſs ſye von ſo ſchedlichen Attentat abstehen, in Religionsgescheften nichts erneweren, ſundern mich und die Catholischen, als weliche under dem allermechtigistem E. K. May. Schuz gleben, in wahrer Religionsfreyhait nit perturbieren. Daran erzeigendt E. K. M. uns Betrengten die allergröste Gnad: wellendt hinwider den Allerhögsten umb E. K. M. ſigreich glückhseelig langwirigste Regierung allereyferigst bitten; E. K. M. mein Bistumb und mein geringste Person allerunterthenigst ahnbefelch- und underwerffendt. *Chur* den 28. Hornung a. 1644 *a*).

a) Eiusdem ferme tenoris litteras episcopus ad *Claudiam* archiducissam dedit die et anno iisdem, graviter conquerens de violentiis acatholicorum in Oengadina inferiore.

CLVII.

Eiusdem ad archiepiscopum Mediolanensem *a*) litteræ d. d. 16. Ian. anno 1645.

Ex archivo episcop. Curiensi.

Eminentissime, Reverendissime, Colendissimeque Domine! Superfluum atque otiosum fuerit, Eminentiæ Vestræ calamitosum rei catholicæ inter Rhætos ſtatum describere, cum is eidem perquam ſit cognitus, atque ab acceptis antehac informationibus exploratissimus. Id ſolum demississimi obsequii mei ratio postulare videtur, ut Eminentiæ Vestræ modos quosdam mihi perquam præstabiles atque necessarios visos, non ſolum ad extremam catholicæ religionis perniciem avertendam, verum etiam eandem religionem ſustentandam asserendamque proponam.

Dominus *Bernardinus Gaudentius* cathedralis ecclesiæ meæ custos certiorem me fecit de quibusdam mediis inter agendum cum Em. V. tam voce quam ſcripto in medium allatis, quæ quidem admodum mihi probata ſunt. Atque ut, quod in re est, plane edicam, ſiquidem catholicam religionem in Rhætia (hoc est ipso in Italiam aditu) ſalvam ac incolumem velimus, inter alia prorsus necessarium, ut aliquis episcopatui ſplendor reddatur. Postquam enim hæresis in eiusdem iurisdictionem invasit, eandem cum censibus, decimis aliisque redditibus atque privilegiis eripuit, adhæc episcopos prædecessores, ne ſubditorum erroribus adhærere, eosque velut rerum dominos ac magistratus ſuos agnoscere venerarique deberent, exulare compulit, episcopatumque ſibi vendicavit, quod vel maxime patrui mei *Ioannis* quondam episcopi temporibus contigit; quibus cum a *Paulo V.* ſummo pontifice ſerenissimæ Venetorum reipublicæ ſacris interdictum fuisset, eiusdemque ſerenissimæ reipublicæ militares copiæ iter per Rhætiam facerent, patria excedere, ſolidosque — annos in exilio procul ab episcopatu degere debuit. Hoc enim interregno, vel potius episcopatus vacua ſede, residentia in hæreticorum potestatem vindicata, pro lubitu redditus administrarunt, instrumenta monumentaque dissiparunt, maceris pretii ſup-

a) Ecclesiæ Mediolanensi tunc præerat *CÆSAR MONTIUS* cardinalis præsul pietate præstantissimus, obiit anno 1650. *Ughell.* Ital. S. T. IV. p. 278.

pellectilem averterunt, denique nonniſi gravi impoſita mulcta epiſcopum exturbatum anno 1610. reſtituerunt. Quocum illis non conſentientibus in iteratum exilium anno 1614. eiecerunt, revocatumque denuo anno 1619. non ſolum proſcripſerunt, verum et capitis in eum ſententiam cum incredibili epiſcopatus detrimento tulerunt.

Poſtquam, inquam, huiusmodi in epiſcopos eorumque poſſeſſiones violentas molitiones exercuerunt, redditus adeo peſſumierunt, præſertim pluribus ſubſequentibus annis, quibus horrida calamitoſiſſimaque bella Rhætiam everterunt, ut, cum epiſcopatui non fuiſſet tantum reliquum, factum, ut cenſibus, hoc eſt octo pro centum exolvendis, ratione debitorum durantibus illis vexationibus contractorum, nomina in immenſam atque intolerabilem ſummam excreverint. Equidem ut aliqua ſaltem ratione epiſcopatui levamen afferrem, anno 1641. usque adeo familiam ac menſam meam in arctum redegi, ut quod certorum proventuum in Tiroli ſupereſt, id in cenſuum exſolutionem cederet; quod vero Curiæ et alibi incerto colligitur, id meæ ſuſtentationi adplicaretur: quæ certe ſuſtentatio infrugiferis hiſce præſentibus annis usque adeo modica eſt ac tenuis, ut victus panis mihi non ſufficiat; ex quo fit, ut qui cæteris adeſſe, reique catholicæ, prout occaſio ferret, expenſa aliqua ſuccurrere deberem, ab iisdem ego catholicis atque aliunde victui meo neceſſaria quærere debeam, adeo ut, niſi aliunde mihi ſubſidium præberetur, ne medii quidem anni neceſſaria mihi ſuſtentatio foret. Quæ rerum indigentia tandem ad epiſcopatus derelictionem me compellet; qui tamen, ſi proventus alicuius adiumento relevaretur, non ſolum catholicos aliqua in ipſos largitione facta demereri poſſem, ut eo ferventius atque conſtantius fidem retinerent, epiſcopatuique ſuccurrerent; verum etiam hæreticorum animos emolliret, ne usque adeo ferociter atque pervicaciter in perniciem atque exitium noſtrum incumberent.

Equidem Em. V. non piiſſimam ſolum, verum etiam rei catholicæ unice proficuam operam præſtaret, ſi tantum efficeret, ut vel abbatia, vel alii quipiam annui redditus epiſcopatui adiicerentur.

